CONCIONES FVNEBRES F. IOANNIS DE SANCTO GEMINIANO, ORDINIS Prædicatorū Illustrissimi Theologi.

Concionatoribus, & animarum Pastoribus nō solùm perutiles, verùm etiam summo-perè necessariæ.

Opus ab innumeris mendis, & fastidiosis breuiationibus vindicatum, ac multis erroribus expurgatum, & è tenebris, in quibus centum annos iacuerat, in lucem emissum.

Studio, & diligētia Magistri IOACHIMI FORGEMOVLTII *Doctoris Theologi Parisiensis.*



PARISIIS,

Apud MICHAELEM NIVELLIVM, via Iacobæa, sub signo duorum Cygnorum, aut trium Secularum.

M. DC. XI.

Cum Priuilegio Regis.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. DOMINO HENRICO GONdio, peruigili Parisiorum Antistiti. S.

QVo salutis ardore Christiani, oculis cincti incedere debeant (Antistes vigilantißime) mirabilis illa D. Ioannis visio ostendit, in qua animalia cernit plena oculis antè & retrò, quibus sanè indicatur vigilãtia perpetua: his enim similes oportet eos esse, oculis vigilãtibus plenos, & cẽtoculos quosdã Argos, ne dormiẽtes imparatos, mors iudiciũque opprimat. Quãdoquidẽ nec labor, nec vlla ingenij acies, nec naturæ lumẽ, ad propulsanda gehẽnæ ignis pericula, sufficit, si vigilãtia desit & circũspectio; Ex qua quemadmodũ boni viri prudentiã diiudicamus, sic ex futurorũ considerratione, improborum dementiam admiramur. Quis nescit sapientis esse, oculos in finem vltimum, ad quem conditus est homo coniicere, mediaque meliora, & à Christo instituta ad

*eũ consequẽdũ amplecti & eligere? Nauigaturus quẽ portũ intendit, videt, cursumque suũ ne aberret, eò dirigit: Prudẽs Christianus immortalis vitæ, & beatitudinis supernaturalis illi propositę, nõ est ignarus, ideóque nõ ad iocũ, nõ ad epulas, nõ ad fœdas carnis voluptates, nõ ad fluxas & interituras opes congerendas, mẽtis cogitationes, volũtatis affectus, vigilias & studia cõferre, ęquũ iudicat: Insani verò & illius vltimi finis immemores, parùm de salute solliciti, per deuios saltus, varios que anfractus viarũ, errabundi vagantur: Ac si denique hîc, nõ vt in exilio, sed veluti in patria & genitali solo degerẽt. Quo quid calamitosi⁹, quid demẽtius excogitari potest? Hæc est omniũ malorum causa, & origo: Eã lamẽtabatur Ieremias propheta. Sordes (*inquit*) in pedibus eius, nec recordata est finis sui. Quoties (Reuerendißime Pręsul) tu tui gregis amãtißimus, pio pastorali affectu, eorũ defles insaniã, qui neque cõsilio, neque ratione, diuinisque oraculis, sed temeritate & cæco vulgi iudicio, vitã ita cõponũt, vt intra se ipsos, quasi peregrini in aliena*

regione errãtes, alia sciãt, seipsos nesciãt, aliena indagare cupiãt, sua negligãt? Quo quid magis alienum à ratione? Hos mēte captos (Antistes reuerēdißime) tua prudētia, tuorũque salutis amore satis demõstras: Dum enim, vt tuũ gregē ad æterna pascua ducas, tãta sollicitudine vigilas & laboras, exēplo vigilatiã doces, & vt vigilemus nos præparando, & præparemus nos vigilãdo suades cũ Christo, sæpius dicente, Estote parati, quia qua hora nõ putatis, filius hominis veniet. Paratos nõ esse cõuenit (ait D. Hylarius in 24. cap. Matth.) quia Dei ignorãtia intentã sollicitudinē suspēsæ expectationis exagitat. Isboseth dormiētē mors percußit, & in Orcũ deturbauit. Sãson soporeoppressũ, Dalila fortitudine spoliauit. Sauli dormienti Dauid hastã abstulit & scyphũ: Christiano dormiēti hastã auffert diabolus, hoc est animi robur & fortitudinē, dũ pias cogitationes mortis, orationes deuotas, rerũque æternarũ meditationē procul à se expellit: qua velut hasta, aduersus tartareos pugnatur hostes: Pœnitentiã & lachrymas dissuadet, quibus consciētia

expurgari solet. His malis miserijsque vt omnibus in prõptu facile sit remediũ, hoccõcionum funebriũ opus exaratũ est, in quo, velut in lucidißimo speculo mortẽ ipsã, vitæ huius miserias intueri licet, ex eoque erui præcepta, quibus omnes ad reddẽdã sũmo iudici rationẽ, egregiè se præparẽt, lætique in cõspectu illius aßistãt. Quę doctrina præstãtior, quę vtilior quã vt cùm prudẽtibus virginibus oleũ in vasis habẽtibus Christo occurramus, finisque vltimi nusquã obliuiscamur? Hãc si Concionatores & Pastores suorũ animis imprimãt, omnia cõsequẽtur: Idque illis erit facile, si breuitatẽ, incertitudinem, vanitatem nostrã, horrorem & velocitatẽ mortis, calamitates & incommoda, quibus hominis vita iactatur, ante oculos auditorũ proponãt. De quibus omnibus acuratissimè disseruit, vir sũmæ integritatis & admirãdæ doctrinæ, Reuerendus Pater ac frater Ioãnes de Sãcto Gemiano, qui inter cæteras laude dignas lucubrationes suas, hoc cõcionũ funebrium opus, posteris reliquit, in quo, de mortis meditatione, quam summam philosophiam nobilis ille

auctor censuit, prȩclarè multa ac vtilia scripsit. Quod quidem cum in manus meas incidisset, eo à me diligentissimè perlecto, elucidato, & repurgato, tibi parochis omnibus offerēdum, humillimè offero. Habebunt enim, vnde officio satisfaciant, & mœstos ex morte suorum, consolentur. Idque libentiùs in animum meum induxi, quòd mos ferè apud omnes inualuerit, vt in die obitus defunctorum & anniuersariorum, breues exhortationes habeantur, quibus ad orationes, pro illis fundendas amici & parentes inuitentur, mortuique de vita bene acta laudibus efferantur, ac superstites de futura vita, & de ratione apud supremum iudicem reddenda, admoneantur: Sicque vigilantes & prȩparati, cum Domino moriantur. Quod autem hoc opus, sub tuo nomine, ab integro, proprio nitori restituerim, huncque laborem nostrum tibi consecrauerim, nemo mirabitur, si te omnis vigilantiæ exemplar perfectissimum, & ad mortis perpetuam meditationem calcar acutissimum meminerint. Tui enim ouilis ea est cura &

ſollicitudo, vt qui noſtris vigilijs & lucubrationibus vti noluerint, in te ipſo, tanquam in altero clariori ſpeculo intuentes, peruigilis hoſtis animæ inſidias præcauere, & futuræ dãnationis, pericula præuidere poſſint. Accedit erga me humanitas tua (Illuſtriſsime Antiſtes) & beneuolentia, nullis meis officiis aut meritis, ſed tua benignitate mihi conciliata, quã ego ingratus non meminiſſe viderer, ſi omnibus, quibus poſſum rationibus, longè lateque non diffunderem. Hoc igitur meæ erga te obſeruantiæ teſtimonium, ſi hilari vultu & læto animo exceperis, tuòque hoſpitio & patrocinio dignum iudicaueris, ſumma & immenſa me à te accepiſſe beneficia exiſtimabo, teque nobis & reipub. Chriſtianę ſanum & incolumem Deus Opt. Max. ſeruet, obnixè precabor. Vale, E muſæo noſtro Nauarrico.

Toto animo & ſtudio tuus
ſeruuus obſequentiſſimus
IOACHIMVS FORGE-
MOVLTIVS.

DE FELICI ET INGENIOSA HVIVSCE OPERIS INTERPOLLATIONE.

EPIGRAMMA.

Hoc dignum cedro tenebris Libitina negauit
Damnari, quod nox alta premebat opus.
Luctantes blattis excusso puluere chartas
Dat clarum rursus posse videre diem.
Iam toto licet orbe legi, passúmq; mouebunt,
Vt tacito irrepit mors inopina gradu.
At prodest periisse libro: nam cultior exit,
Maiorque est illi, quam fuit ante, nitor.
Haud aliter rugas seniumque recoctus aheno
Aemonius fertur deposuisse senex.

I. TVRNERIVS.

AD DOCTISSIMAS CONCIONES FVNEBRES.

EPIGRAMMA.

Forte sub angusto cognoscere lemmate poscis,
Quod tam grande sophos continet istud opus.
Exspecta, breuiter dicam: modò tempora parua
Non doleas animo sustinuisse mora.
Hic Sophia summas poteris scrutarier artes,
Si Sophia pars est maxima, nosse mori.
Ergo diuina praestans si mente Lycurgus,
Qui Spartae leges, iuraque sacra dedit,
Ne iuuenum quaterent animos spectacula dira,
Ac perterrerent mortua membra viri,
Extinctos ciues condi permisit in vrbe,
Coniunxitque sacris moesta sepulchra focis:
Conuiuas inter si gens Ægyptia, mortis
Quo memores fiant, triste cadauer habet.
Vt caput impauidum feriant immania fata,
Haec modò de tenebris eruta scripta lege.

IAC. IOLY.

IN LAVDEM LIBRI ORATIONVM FVNEBRIVM A DOCTISS. VIRO D.D. Forgemoultio, Patruo meo Collendissimo, recogniti.

CARMEN.

Quisquis ades cupiens cœli dignoscere callem,
Quasque refert animis virgula sacra dapes;
Haustum Pegaseo voluas de fonte libellum,
Cui cingunt Charites, Calliopeque comas,
Nempe quod æthereis oriunda viburna cupressis
Contineat, nostræ clepsydra certa viæ:
Hinc abeant igitur fatalia numina Parcæ,
Quæ capiunt hominum subdola fraude genus.
Pocula concessit nautis pallentia Circe,
Ast hac Dulichia deperiere manu,
Pectora sic hominum ludens mors effera fato
Corruit, egregio Marte petita libri,
Cuius in arte latet, vitæ tutissima amussis,
Quæ debet cunctis dicier alma Pharus,
Nam si cuncta cadant certo sub limine vitæ,
Fessaque per Syrteis vndique cymba ruat,
Candida mens igitur fatales currat in auras
Vt sit in aduersis tuta carina notis.

AD EVNDEM PATRVVM.

EPIGRAMMA.

Vt sol, cum radiis suis coruscat,
Ortus de Thetydos sinu profundo,
Tellus gramineis amicta campis,
Vernat, candidulo referta flore:
Sic tu, Palladiis amicus aris,
Arces funereas necis procellas,
Queis multi Stygiam petunt Erynnin.

Ioan. Forgemoultius Nepos addictissimus.

ANTONIVS SENENSIS Lusitanus in Bibliotheca fratrum Ordinis Prædicatorum.

IOannes de Sancto Geminiano vir de literis bene meritus, plurimarum rerum notitia illustris, in Theologia Scholastica & in sacris literis non mediocriter peritus, & concionator egregius scripsit opus insigne de exemplis & similitudinibus rerum, duobus magnis voluminibus in folio quæ fuerant impressa Venetiis anno. 1499. & I. Picardus Victorianus id addidit ex libro ibidem excuso Basileæ eodem anno, præterea.

Librum vnum sermonum de tempore
Alium sermonum de Sanctis
Librum vnum collationum diuersarum
Sermones de opere sex dierum
Sermonum funebrium liber vnus fuit impressus in 4. *Lugduni, anno.* 1510.

Sermones duos notabiles in Parasceue Domini per modum Dialogi inter Christum & latronem, Cain & Abel. Et alium in vigilia Paschæ, & habentur inserti inter sermones Gotscalchi ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini. Claruit autem Ioannes anno. 1510.

Paulus Langius in Chronico Citizensi ad annum. MCCCXX.

Sequuntur viri doctrina excellentes, qui his temporibus claruere. Ioannes de Sancto Geminiano declamator insignis, ordinis Prædicatorum.

TABVLA DISTINCTIONVM ET CONCIONVM omnium, quæ hoc opere continentur.

Distinctionis primæ, sunt septem Conciones. pag. 7.

Distinctionis secundæ, sunt nouem Conciones. pag. 120.

Distinctionis tertiæ, sunt octo Conciones. pag 236.

Distinctionis quartæ, sunt decem Conciones pag. 348.

Distinctionis quintæ sunt quadraginta octo Conciones. 473.

FINIS.

APPROBATIO HVIVS LIBRI.

NOs ſubſignati Doctores Theologi teſtamur hoc concionum funebrium opus, F. Ioannis de Sancto Geminiano ordinis Prædicatorum Theologi, per Magiſtrum Ioachimum Forgemoultium Doctorem Theologum Pariſienſem, in lucem editum: Studioſis Theologiæ & Parochis omnibus vtiliſſimum & impreſſione digniſſimum, cum nihil contineat, quod à fide Catholica & bonis moribus ſit alienum. Die vigeſima Octob. anni. 1610.

F. D. RICHARD.
F. CL. DE NAN.

INCIPIVNT

CONCIONES FVNEBRES, SIVE PROMPTVARIVM CONCIONVM DE MORTVIS SECVNDVM venerabilem Patrem, Fratrem Ioannem à sancto Geminiano, & primò, eiusdem in omnes conciones proœmium.

THEMA.

Considera Israel pro his, qui mortui sunt, super excelsa tua vulneràti. 2. Reg. 1. 2.Reg.1.19.

QVIA mos inualuit apud multos, in defunctorum funeribus conciones haberi, quę & si pro mortuis fortuitò fiant, id est occasione ipsorum, magis tamen pro consolatione viuentium & ad erudiendos auditores eas fieri credendum est. In his igitur concionibus tria sibi debet proponere concionator; quæ verbis in themate positis breuiter & implicitè significantur.

Concionatorum officium. Primò igitur, intendat populum erudire. Secundò, quærat gloriam Dei & honorem. Tertiò, dirigat si fieri possit sermonem suum, ad defuncti commendationem.

Concionatores ad mundi contemptũ inducere debẽt. Quod attinet ad primum, inducitur concionator ad considerandum ea, quæ dicere velit, & quæ sint magis vtilia populo. Huiusmodi autem esse videntur; quę auditores ad mundi contemptum inducunt, ob oculos illis proponendo labores & dolores huius vitæ, &
Psal.9. 16. eorum, qui hac maximè delectantur, hinc Ps.9. *Tu laborem & dolorem consideras: laborem* scilicet, viuentium, & *dolorem* morientium.

Peccatum quomodo detestandũ. Poterit etiam concionator ad detestationem peccati, & contritionem commouere, siue exaggerãdo peccati deformitatem & malitiam, Iob.11. *Vidēs iniquitatem, nonne considerate,*
Iob.11.11. scilicet quàm sit deformis & fugienda: siue ostendendo eiusdem peccati vilitatem, de qua,
Tren.1.11. Tren.1. *Vide Domine & considera, quàm vilis facta sum.* Siue declarãdo peccati sterilitatem, hoc est, quàm inutilis fiat peccator, propter peccatum, destruit enim omnia bona opera, & illum ad gehennam mittit, Lucæ. 12. *Considerate cor-*
Luc.12. 24. *uos, qui neque metunt, neque congregant*, id est, peccatis denigratos, quoniam non seminant, scilicet merita, nec metũt, scilicet præmia. Siue docendo quæ mala ex peccato & calamitates
Psal. 90. 8. sequantur. Ps.90. *Oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.* In his etiam cõcionibus, non parum vtile erit, dicere de his, quæ peccatoribus iudicij diuini timorem incutiũt,

etenim nihil est, quod magis ad pœnitentiam & peccati odium incitare possit, quàm timor, & diligentissima illius extremi diei conside- ratio. Iob.23. *Considerans eum, timore sollicitor.* *Iob.23. 15.*

Secundò loco, Dei honorem intendere debet concionator, idque suadet scripturæ nomen, (Israël) idem enim significat ac videns Deum. Talis eum esse debet quilibet concionator vt oculis contemplationis suæ Deum iugiter intueatur & videat, quod fiet si non propriam gloriam & vtilitatem in suis concionibus sed tantummodo Dei honorem, & animarum salutem sibi proponat, aliàs non Deum sed semetipsum aspiceret, sicq; bonis caducis non æternis remuneraretur, nec de facto concionatoribus promissa præmia obtineret. de quibus Numer.10. *Dominus bona promisit Israel:* id est, recta intentione prædicanti. *Gloria Dei quærenda à concionatore.* *Numer.10. 29.*

Debet quoque demum videre, qui prædicat, oculo recto intentionis internæ, hoc est recta fide, hinc D. Augus. humanæ (inquit) mentis acies inualida, in tam excellenti luce non figitur, nisi prius per iustitiam fidei emundetur. Vnde si concionator in fide errans, aut dubius Deum contempletur, quasi corrupto & non sano oculo Deum intuetur, & tunc verè non cognoscit eum, secundùm illud Esa. 1. *Israel autem me non cognouit.* Et de hæretico prędicatore scriptum est. Rom. 11. *Cæcitas ex parte contingit in Israel.* Ex parte quidem dicit, quia plerumque doctor hæreticus, licet in vno erret articulo, in alio tamen non errat: Verè *Intentio bona in concionatore.* *Esa.1.3.* *Rom.11.25.*

etiam Iſrael poterit concionator vocari, ſi fuerit ſanctus & mundus in corde, Hierem. 2. *Sanctus Iſrael domino*: Si fortis & laborioſus in opere Numero. 24. *Iſrael autem fortiter aget.* Rurſus ſi ſit verax, & non doloſus in ſermone Ioa. 1. *Ecce verus Iſraelita, in quo dolus non eſt.* Idem ſi ſit fertilis, id eſt, multum faciens fructum in peccatorum conuerſione. Oſeæ. 10. *Vitis frondoſa Iſrael.*

Hier. 2. 3.

Ioan. 1. 47.

Laus defunctorum.

Tertiò, in concionatore requiritur in funeribus defunctorum de eorum laudibus nonnulla dicat, vt ſi bene vixerint, eorum laudata opera alijs ſint exemplo, & ad bene agendum excitent: Vnde tutius eſt viros probos mortuos, quàm adhuc ſuperſtites oratione commendare Eccl. cap. 4. *Laudaui magis mortuos quàm viuentes.* Duas ob cauſas vtilius eſt hominem mortuum laudare, quàm viuentem: prima ne adulari videamur, ſecunda ne laudatum tentet elatio.

Eccl. 4. 2.

Lauda igitur poſt periculum, prædica ſecurum, lauda nauigantis fœlicitatem, ſed cùm peruenerit ad portum, lauda ducis virtutes, ſed cùm perductus ſit ad triumphum.

Si vero defunctus claræ vitæ vel famæ non extiterit, ſatius eſt doctrinæ & opinioni viuentium, quàm talis defuncti laudibus, inſiſtendũ: imò ſi deprauatæ vitæ fuerit, omninò ſilendum eſt, ne apud eos, qui eius vitam nouerunt, non ædificatio ſed potius ſcandalum, oriatur.

Niſi fortè de eius recõciliatione, & finali

pœnitentia certiſſimum & notiſſimum teſtimonium habeatur. Quod certe ad conſolationem ſuorum, & pœnitentiam aliorum plurimùm valebit: Sed ſiue laudandi ſint defuncti, ſiue vituperandi, illud Senecæ obſeruandum eſt, cum ait, *Lauda parcè, vitupera parciùs.*

Sed vt quæ in ſermonibus funerum generaliter dicta ſunt, magis particulariter & clariùs eluceſcant: Viſum eſt mihi fratri Ioanni, poſt conciones de tempore & etiam feſtiuos: de mortuorum quoque concionibus præſens opuſculum edere, ad multorum inſtantiam fratrum. In quo primò ponentur conciones de ſtatu viuentium, & morientium, ſeu de vita & morte hominis generaliter.

Secundò verò, conciones dignitatum & ſtatuum, aut officia, ſeu ætates vel euentus fortunæ, & modos varios mortis, de quibus prædicabitur ſpecialiter.

Vltimò verò ponuntur conciones, ad conſolationem remanentium, & mortuos lugentium, pertinentes. Rurſus primum illud generale, in quatuor membra diuiditur.

Primum, continet ſermones de miſeria hominum.

Secundum, alios complectetur in quibus de mortuis, & mortis conditione, tractatur.

Tertium, alios in quibus promiſcuè de vtroque agitur.

Poſtremum verò, eos, qui de ſtatu poſt mortem loquitur, continet.

Itaque erit facile fratribus concionatori-

bus, & curatis, qui ad funera prædicare debuerint, sermonem, prout eis videbitur, vel generaliter vel in particulari, pro quocunque defuncto singulis hominum conditionibus eligere & assumere idoneum & conuenientem. Studui autem hos sermones breues facere, sed diffusos tamen per plures partes distinctos: vt ex ipsa prolixitate sermonis Concionator, si necessarium fuerit, possit prædicare prolixiùs, & ex ipsa membrorum distinctione, de vnaquaq; concione, quantùm libuerit, etiam prædicare. Pluralitas autem partium cuiusq; concionis, ad hoc valebit plurimùm, vt de vno eodemque sermone, si breuiter prædicare voluerit, plures exhortationes possit assumere. Ad laudem scilicet illius & gloriam, in cuius manu sumus nos & sermones nostri. Sap. cap.
Sap. 7. 16. 7. *in manu enim illius & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientiæ disciplina, &c.* Qui cum sit Dominus vitæ & mortis, nos in vita per gratiam dirigat, & ad gloriam post mortem perducat, qui viuit & regnat Deus in sęcula benedictus, & per sydera gloriosus.

AMEN.

DISTINCTIO
PRIMA, IN QVA DE CONTEMPTV MVNDI ET HVIVS VITÆ AGITVR; SVNTQVE IN EA SEPTEM CONCIONES.

Prima est, de breuitate vitæ humanæ.
Secunda, de multiplici defectu & miserijs humanæ vitæ.
Tertia, de eiusdem vanitate, mutabilitate, & incertitudine.
Quarta, de calamitate huius vitæ.
Quinta, de tædio humanæ vitæ.
Sexta, de fragilitate eiusdem.
Septima, de labilitate præsentis vitæ.

Concio prima, de breuitate vitæ humanæ.

THEMA

Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: Constituisti terminos eius, qui preteriri non poterunt. Iob. 14. 5. *Iob. 14. 5.*

DIVINA scriptura humano more loquens, res quasdam dicit habere dies æternos, sicut ea quæ semper fuerunt, sunt & erunt, vt omnia quæ sunt in Dei essentia, & ad eius naturam

Michea.5.3. ſpectant, vnde Micheæ cap. 5. de filij Dei æterna generatione, dicitur, *Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis eius:* qui ſicut nunquam inceperunt, ita nuſquam finem habituri ſunt. Propterea ſoli Deo tribuūtur: Nam æternitatis dies ſolius Dei, & non aliarum rerum ſunt: Cæteræ namque omnes, præter vnum Deum, naturæ mundi initio aut poſteriores, aut certè coæuæ ſunt, & ſæculorum originem nullæ excedunt Pſal. 89. *Deus autem noſter ante ſæcula, & priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à ſæculo tu es.* *Pſal.89.2.*

Quædam verò dicuntur habere dies longos, *Dies longi.* ſicut res ſpiritales, vt Angeli & animæ rationales, quia ex quo cœperunt, nunquam ſunt interituræ, hinc Prouerb. 3. *Longitudo dierum,* *Prou.3.16.* *in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.* Vbi per ſiniſtram, temporalia intelliguntur, vt ſunt diuitiæ, honores, &c. per dexteram, ſpiritualia & æterna. Et idcirco longitudinem dierum agnoſcit in eis.

Alia ſunt, quæ dicuntur habere dies bre- *Dies breues.* ues vel paucos, ſicut ſunt naturalia corpora, & ſublunaria. Quia igitur homo viuit vita ſpirituali ex gratia, & vita corporali ex natura, hinc fit, quod homini quandoque promittuntur dies longi ex gratia, quandoque breues ex *Eſai.38.5.* natura. Vnde apud Eſaiam cap. 38. dicitur, *In diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem & venit ad eum Eſayas, filius Amos, Propheta, dicens. Diſpone domui tuæ, morieris tu, & non viues.* Et iſtud verum erat, quantùm ad

naturam, quia tunc moriturus erat: Sed post orationem eius, & lachrymas subditur, quod Esaias iterum dixit illi: *Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam & vidi lachrymas tuas: Ecce ego adijciam super dies tuos, quindecim annos*: Et istud fuit de gratia: habuit igitur dies longos ex gratia, quos debebat habere paucos ex natura vel culpa. Beatus itaque Iob loquens de homine in verbis in Themate propositis, ratione naturalis & corporalis vitæ ipsius dicit esse breues, *Breues* (inquit) *dies hominis sunt, &c.* In quibus verbis tria ostendit de vita hominis corporea.

Primò, describit eam esse abbreuiatam.

Secundò à Deo mensuratam.

Tertiò, limitibus & termino definitam. *Causa mortis.*

Primò igitur vita hominis abbreuiata ostenditur: Cuius quidem ratio est, quia ante peccatum primorum parentum Deus hominem immortalitate donauit, qua quandiu peccaret, non frui debebat, vt ipse sibi aûthor esset vitæ & necis 1. Corpus enim hominis coruptionis in se principia habebat, sed inerat vis quędam supernaturalis, cum gratia originali homini concessa, per quam poterat corpus ab omni corruptione præseruari, quandiu ipsa Deo subiecta & obediens mansisset. Conueniens igitur maximè fuit bonitati & sapientiæ diuinæ, vt à principio suæ creationis, daretur ei virtus, per quam corpus supra naturam materiæ, quæ est principium interitus, conseruaretur. Verùm per peccatum eadem

Rom. 5. 12. ſublata, naturæ propriæ & mortali corpus relictum eſt, hinc D. Paulus Rom. 5. cap. *Per peccatum intrauit mors*, hoc eſt vita hominis, quæ diuina gratia, perpetuò duratura erat, mortalis facta eſt & abbreuiata, illud ipſum eſt, quod docet Iob. illis verbis. *Breues dies hominis, &c.*

Misericordia Dei relucet in breuitate vitæ. In quo Dei miſericordia erga homines, maxime relucet, etenim conſiderata vitæ breuitate, quis non libentiùs & faciliùs incommoda & mala huius vitæ quibus affluit homo non perferet? inquit omnia (Tullius) breuia tolerabiliora eſſe debent, ſi magna ſint; Propterea dicitur de electis qui tempore Antichriſti grauiſſima patientur, ne deficiant, dies *Mat. 24. 21.* breuiabuntur. Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna quæ non fuit ab initio mundi, neque fiet:* Et niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro, ſcilicet propter electos, breuiabũtur dies, inde etiam ſæpe accidit vt Deus miſericordia vtens in ſuos nimia calamitate oppreſſos per mortem ad ſe vocare feſtinet. Idipſum Ethnici nouerunt. Narrat enim Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. quod in ciuitate Maſſilienſium antiquitus, in cuſtodia publica venenum quoddam ſeruabatur, cicutâ præparatum, quod mortem inferre licebat, vel ijs, qui nimia aduerſitate premebantur, vel qui nimia proſperitate efferebantur. Illi quidem id aſſequebantur, vt miſerijs finem imponerent: hî verò, ne amiſſa proſperitate ante mortem, in calamitatem inciderent. A qua

çonſuetudinę abhorrent Chriſtiani: Attamen quia non licet homini propter quamcunque aduerſitatem ſibi mortem inferre, fas eſt aliquando eam à Deo optimo maximo expetere, vt Elias anguſtiatus, petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & dixit: *Sufficiat mihi Domine, tolle animam meam.* Et de Paulo. *cupio diſſolui, & eſſe tecum.*

Item in hoc, quod hominis dies breues ſint, Deus prouidit vtilitati noſtrę, auocat enim huiuſmodi breuitas, diligēter cōſiderata, ab amore rerum delectabilium huius mūdi, & ad contemptum rerum caducarū inducit. Hinc Iob. cap. 20. *Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram quod laus impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti: Si aſcenderit in cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, Et qui viderant eum dicent, Vbi eſt?*

Breuitas vitæ auocat hominem ab amore rerum terrenarum.

Iob. 20. 4.

Mundi contemptus.

Sed notandum eſt dies hominis, dici breues ratione paucitatis, exeo quòd vita humana ad paucos dies protendatur. Sunt enim quædam animalia, quorum vita longiſſimo tempore durat, ſicut cerui, qui (vt ait Plinius) nūquam patiuntur febrem, & diutiſſimè viuunt. Vnde quidam viui capti ſunt centū annis, poſt mortem Alexandri magni, geſtātes annulos aureos, quos eis Alexander innecti fecerat. De palma autem Ariſtoteles refert in lib. de longitudine & breuitate vitę, eam quingentis annis viuere. Iob. 29. *Sicut palma* (inquit) *multiplicabo dies. At vero homo natus de muliere, breui viuēs tempore.*

Iob. 29. 18.

Iob. 10. 20. Dicitur habere dies breues id est paucos, iuxta illud Iob. cap. 10. 20.

Paucitas dierum meorum finietur breui.

In quibus verbis tres conditiones de tempore humanæ vitæ, tanguntur.

Prima quidem, quòd illud sit modicum.

Secunda, quòd termino circunscribatur,

Quarta, quia valde sit abbreuiatum, ideo dicitur, breui scilicet, temporis spacio.

Circa, primam igitur cōditionem, obseruādum est, quòd licet illi qui ad decrepitā peruenerunt ætatem verè dicantur plurimos habere 3. Reg. 1. 1. dies, vt 3. Reg. cap. 1. dicitur, *Rex Dauid senuerat*, hoc est, dies habebat plurimos: Tamen duas ob causas dies plurimi, dicuntur pauci: prima, quandoque propter vehementem passionem id contingit. Secunda aliquando facta ad alios comparatione. Nam si vehementi amore aliquis ad rem quampiam afficiatur, propter cuius consecutionem multi sunt sustinēdi labores, illi pauci videbuntur. Sic qui ardētissimo desiderio & amore gloriam, & ęterna gaudia expetunt, magnum tēpus laboris, modicum reperiūt. Scimus enim quod in paucis vexati, in multis bene disponentur, hinc. 1. Pet. cap. 1. *Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus*. Huius rei figuram habemus in Iacob, Genes. 29. Qui seruiuit pro Rachel septem annis: & illi videbantur dies pauci, præ amoris magnitudine. Nam Rachel quæ videns principium significat, pro vita æterna sumitur, quæ in visione Dei cōsistit, qui est rerum om-

Dies plurimi dicuntur pauci cur?

1. Pet. 1. 6.

Gen. 29. 20.

nium principium: cuius amore Iacob captus, id eſt, quilibet vir pius & bonus, & pro ea cõparãda, Dei cultui & pręceptis ſeſe ita ſubijcit, vt dies multi laboris, illi pauci videantur, præ multitudine illius. Nam ſicut dicit B. Auguſt. *Omnia ſæua & immania, tolerabilia, & prope nulla efficit amor.*

Quandoque etiam contingit multos dies dici paucos vel paruos, ex aliorũ comparatione: ſicut illi qui vixerũt poſt diluuium, comparatione eorum qui in principio mundi fuerunt: Vnde Iacob. 47. Interrogatꝰ à Pharaone: *Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ?* Reſpondit, *dies peregrinationis meæ, centum viginti annorum, ſunt pauci & mali*: quia nondum peruenerat ad dies Patrum ſuorum. *Gen. 47. 9.*

Vbi primò animaduerte quod Iacob loquẽs de vita ſua, tãquã de vita humana, vocauit eã peregrinationẽ, ſolius enim hominis eſt dum viuit, peregrinari: Angeli enim non peregrinãtur, neque peregrè proficiſcũtur, quia Deo cõiuncti ſunt, & in termino. *Vita hominis peregrinatio.*

Nec beati, cum non ſunt in via, ſed in patria, qui eſt terminus viæ, & vitæ humanæ. De damnatis idem iudicium, cum ſunt in perpetuum exilium relegati. Bruta etiam non dicuntur peregrinari, quia totum illud bonum, quod illorum appetitum ſatiare poteſt, eſt bonum ſenſibile, & caducum. Vnde meritò ſolus homo dicitur peregrinus & viator inter omnes creaturas, quia non eſt vltimo fini cõiunctus: de illo igitur dici poteſt: *Tu ſolus peregrinus in hieruſa-* *Peregrinus ſolus homo.*

Luc. 24. 18. *lem, quæ interpretatur visio pacis.* Luc. 24. id est; tu solus ad beatitudinem æternam tanquam ad patriam tibi propriam tendere debes, ibi enim perfectissimè voluntatis tuæ capacitas expletur & satiatur.

Secundò nota, quòd Iacob dies suos ait fuisse malos, siue propter euentum malorum, quibus agitatus fuerat: siue propter peccata, quæ homo quotidie perpetrat.

Tertiò, dijcit fuisse paucos non tantùm comparatione patrum (quorũ nullus ante diluuiũ legitur in scriptura minùs vixisse quàm septingentos annos) sed etiam dierum æternitatis, vita enim præsens, ad futuram & æternã collata, vix momentum censeri debet, ideoque Iacob dixit, *dies peregrinationis suæ, esse paucos & malos.*

Mors præuidenda & reformidãda. Iob. 10. 20

Secundum quod obseruandum est in authoritate sumpta ex cap. 10. libri Iob. illud est, de termino vitę humanæ, ait enim *finietur breui:* scilicet morte: Quæ quidem multùm est præuidenda & reformidanda: Nam quãdo sese offert aliquod periculum, in quo pauci periclitãtur & multi euadunt, non est mirum si audaces illud nec timeant, & sibi parum caueant. At verò quando tale est periculum, vt pauci inde euadant, quin vel vita priuentur, vel veste aut suis rebus spoliantur, tunc imprudentia magna est, imo stultitia, si quis velit illac transire non diligentissimè sibi prouideat. Ita si mors seu finis huiusmodi esset, quem multi euadere possent, nemo miraretur eos, qui illum contẽ-

Præparatio ad mortem.

nerent, nec ad eum sese disponerent. Verùm cū nihil sit certius illo fine, hoc est morte: Quis non stolidos vocabit eos, qui de morte nusquā cogitant, eamq; paruifaciunt? In qua si impa-rati reperiantur, actum est de illis. Tanta est e- *Mors nemini fauet.* nim illius potestas & crudelitas, vt nemini parcat: Sicut se habet in Gallia, sic in Hispania, & Anglia: Sicut erga senes & pauperes, ita erga iuuenes & diuites: Et frequētius occiditur porcus pinguis, quàm macer: sic moritur bos, vt vitulus: sic Asellus vt Asina, & frequenter Asina Aselli corium ad Macellum defert. Sic iuuenes & filios, parentes & amici ad sepulchrum non raro deferunt & concomitantur. Licet enim finis ita sit omnibus certus & necessarius, vt nemo à morte excipiatur, nec contra eam remedium afferri possit, potest tamen homo prudens sibi prouidere & animæ saluti cōsulere, ne in gehennam detrudatur, propter quod dicitur. 1. Petri. cap. 4. *Appropinquabit finis*, id est mors, *Estote itaque prudentes, & vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Matth. 25 cap. 1. Pet. 4. 7. Vnde iste finis est admodum reformidandus, quia periculosus, incertus & propinquus: Quēadmodum enim latro carcere inclusus & morti adiudicatus, continuo agitatur timore, vt si quis ostium aperiat carceris, credit tortorem venire, qui illum debeat extrahere & ducere ad supplicium: Ita miseri peccatores in peccatis dormientes, perpetuò cruciantur, dum de animæ exitu cogitant, eo quod sciant se in perpetuum damnandos. Iuxta illud Rom. 6. *finis illorum mors est.* Rom. 6. 21.

Tertia conditio tẽporis vitæ humanæ, notata est, in illis verbis, *finitur breui*, Iob. 10. Certum est enim tẽpus hominis esse valde breue. Vnde Aristot. lib. de lõgitud. & breuitate vitæ, ponit tres causas breuitatis vitæ hominis, & aliorum animalium. Prima est nimius vsus Veneris, quia emittit nutrimentum iam dispositum, vt in corpus conuertatur. Ea de causa passeres masculos ait non multùm viuere: E contrario castitas multùm diuturnæ vitæ confert, inde asserit mulos diutius, quàm equos viuere. Secunda causa est, nimium exercitium laboris, quia labor absumit calidum, dum exhalatur simul cum humido efficit, sicque animalia exsiccantur & frigidissima redduntur. vt citiùs consenescant. Tertia causa est defectus nutritionis, idque per accidens, quia calor digerens, nec inueniens nutrimentum, agit in humidum primigenium, quo consumpto, seipsum consumit, sicque tandem & ipse deficit, sicuti flamma consumendo oleum, quo nutritur, seipsam etiam consumit: qui igitur his tribus grauatur, illud Iob. potest de se dicere, cap. 17. *Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & solùm mihi superest sepulchrum.* Idem sit iudicium de vita spirituali, quia inordinatus vsus Veneris, ex luxuria, Nimius etiam labor ex auaritia: defectus nutrimenti spiritualis, ex accedia, ab operibus bonis auertit, quibus vita spiritualis nutriri & conseruari solet: vnde Seneca. *Generosos animos labor nutrit, à quo detrahit accedia.* His itaque tribus vitijs, spiritualis vitæ dies

Iob. 10. 20.

Tres causæ breuitatis vitæ hominis.

Iob. 17. 1.

dies breui finiuntur & deficiunt.

SECVNDO, ostenditur in principali authoritate, ex cap. 14. Iob. mensuratam esse vitam humanam, his verbis, *Numerus mensium apud te est*. sc. tibi notus & constitutus: Quod licet ita sit, comparatione Dei, qui omnia nouit, homini tamen adhuc viuenti est ignotus: Nam sicut multa suæ potentiæ sibique soli reseruauit, vt creare & miracula facere: Ita multa suæ scientiæ, quæ solus sciat, reseruauit: vt est numerus electorum, dies iudicij futuri, & innumera alia. Matth. 24. *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli Dei, nisi solus Pater*: Non quòd filius excludatur, quia quæcunque nouit Pater, nouit & Filius, tum quod dies iudicij peculiari quadam ratione in scripturis sacris, dicatur dies Domini, Christus illum diem, cuius omnia signa prædixerat, non potuit ignorare: Dicitur tamen nescire humano more, vt ostēderet se verè esse hominem, quemadmodum Ioan. 11. cap. Cùm absens sciuisset Lazarum esse mortuum, in cuius domū venerat, quæsiuit ex illis locum in quo positus erat, quem ipse non potuit ignorare, sed vt se verè hominem ostenderet. D. igitur Cyrillus lib. 9. thesauri. cap. 4. & alij græci interpretantur Christum ignorare diem iudicij, ratione humanæ naturæ, hoc est, si tantùm spectetur in eo quòd sit homo, quia quatenus erat homo & Deus illum diem nullo modo ignorabat. D. vero August. 1. lib. de Trinitate cap. 6. & 13. Ait Filium sic nescire diem iudicij, quia non sciebat, vt

Iob. 14. 5.

Homini hora mortis est ignota.

Matth. 24. 36.

Christus diem iudicij non ignorauit.

Ioan. 11.
Psal. 38. 5.

discipulis reuelaret. Potuit tamen Deus reuelare, si placuisset. Simile est de fine, id est, de morte hominis, quia diem, horam & mortem vniuscuiusque Deus scit, quæ omnia homo nescit, nisi Deus reuelet. Idcirco Dauid à Deo petijt, vt sibi reuelaretur dies mortis, Psal. 38. *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est, vt sciam quid desit mihi.* In quibus verbis, de tribus à Deo Dauid precabatur certus fieri.

Psal. 38. 5.

Primò, de mortis suæ qualitate.

Secũdò, de vitæ quãtitate, & dierũ numero.

Tertiò, de proprij defectus necessitate.

Homo de morte quatuor ignorat
Eccl. 9. 12.

Quòd ad primum attinet: Certum est hominem de morte sua quadruplicem habere ignorantiam, videlicet status, temporis, loci, & modi: Nescit enim in quo statu sit moriturus, bono an malo, in gratia Dei an in peccato: Qualis enim in morte reperietur, talis in perpetuum remanebit, vnde à quodã Patre, dicitur mors momentum, à quo pendet æternitas, propter sententiam mortis vel vitæ æternæ, quæ à Deo Optimo Max. fertur in ipso mortis articulo. Item ignoratur tempus mortis, non quod nesciat se moriturum homo, nihil enim certius, sed quòd hora mortis sit illi maximè incerta, & suspecta, vnde prudens ille habetur, qui semper paratus est & vigilat, sicut bonus seruus & nesciens qua hora Dominus eius sit venturus, perpetuò attentus est, nec dormit. Quemadmodum etiam auis, cùm videt sagittam paratam, quamprimùm euolat, priusquã

percutiatur: ſic homo cùm ſagitta Dei, id eſt, hora mortis ſit parata, debet euolare ad pœnitentiam, priuſquam percutiatur, & conuerti ante mortem, aliàs non poterit. Tertio, mors, eſt homini ignota, quo ad locum, An in terra, an in aqua, an ruri, an domi ſit moriturus ignorat. Hinc Seneca. Mors mihi inſidiatur in õni loco, mors vbique te expectat, tu quoque ſi ſapiens fueris, vbique eam expectabis. De modo idem ſit iudicium, homo enim neſcit an morte naturali, an violenta, in ſenectute, an in iuuentute, morbo, an gladio, ſuſpendio, an cõbuſtione ignis, vel ſubmerſione aquæ, an quauis alia morte, propter quod dicitur. Eccleſ. 9. *Eccl. 9.12.* *Neſcit homo finem ſuum.*

Aliquando tamen Deo concedente & reuelante per ſe, vel per ſpiritum aliquem, homo finem ſuum cognoſcit, ſicut Sauli mortem ſuam Samuel mortuus, per Pythoniſſam reuelauit, ſicut patet Eccleſ. 46. 22. vbi de Samuele loquens, dicit: *Poſt hæc dormiuit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis:* *Deus aliquando reuelat horam mortis.* Et ſicut dicit D. Auguſt. ad Simplicianum: illa ſuſcitatio Samuelis non abſurdè poteſt intelligi eſſe facta miro modo, vt ſcilicet non dominante arte magica, ſed potius diſpoſitione Dei occulta, quæ & Pythoniſſam & Samuelem fortè latuerit, idque per ſpiritum Samuelis defuncti: Vel per operationem dæmonis, viſione ſeu illuſione imaginaria, quam ſcriptura Samuelem appellat: Sicut ſolent imagines,

rerum suarum nominibus appellari. Et si obijciatur, quòd dæmones nesciunt futura contingentia, respondendum est, cum D. Augustino, lib. de cura pro mortuis agenda: Deum ad vtilitatem Ecclesiæ, non solùm vti bonis Angelis & ministris, sed etiam malis, sicut patet
Numer. 24. de Balaam, Numer. 24. Per quem Deus multa vera prædixit, cùm tamen esset magus, sicuti ibidem habetur.

An anima Samuelis fuerit ex suscitata per Pythonissã.

De Pythonissa de qua hic fit mentio, & 1. Reg. cap. 23. 15. & Eccl. 46. 23. ad quam iuit Saul, vt exuscitaret arte magica Samuelem, dico, dæmonem exsuscitasse, non spiritum Samuelis, quamuis hoc in scriptura expressum non sit.

Multi enim authores grauissimi ita sentiũt. Tertullia. in lib. de anima. D. August. lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 15. & 16. & generatione 6. ad Dulcitium. D. Hieronimus in cap. 28. lib. 1. Reg. & in cap. 7. Esayæ. Et author librorum de mirabilibus scripturæ sacræ, lib. 2. cap. vlt. Procopuis in commentarijs in eum locum. Probarunt autem hanc sententiam nonnulli his rationibus: Prima est non esse credibile animam Samuelis, quæ erat in requie, obtemperasse incantationibus vnius mulierculę: Secunda, non esse probabile, tam sanctum virum & prophetam huius criminis tam flagitiosi conscium fuisse. Tertia, quia non potuit anima Samuelis aliud corpus induere quàm suum: Quarta, sumatur ex verbis illis, quæ dixit Sauli, Cras tu & filij tui

mecum eritis. At Saul non fuit cum illo, sed potius in inferno. Igitur non fuit spiritus Samuelis exsuscitatus à Pythonissa muliere, sed dæmon, quamquam multi contrarium sentiant.

Secundò, authoritate illa desumpta ex Psal. 38. petebat Dauid de numero dierum vitę suæ certificari. Fuit autem opinio quorundam, dicentium id certò per astrologiam sciri posse. Sed falluntur, nam licet corpora cœlestia agant in hæc inferiora, ex eorum tamen notitia nusquam poterit certò cognoscere astrologus, quandiu sit aliquis victurus, cùm talis effectus non solùm pēdeat à causis naturalibus sed etiam à nostra voluntate, quæ cum sit immaterialis, & domina suarum actionum, fieri non potest, vt astra sua actione illam attingāt, sicut nec possunt certò prædicere vbertatem vel sterilitatem terræ, futuram pluuiam vel grandinem: ratio est, quia hęc effecta non solùm pendent à cœlo, sed etiam à causis proximis, quæ cùm non sint antequam eueniant, certò sciri non possunt: multò magis de numero dierū nostrorum id affirmari potest, cùm & à causis proximis pendeat nostra mors, & etiam à voluntate, vnde fit vt quidam citiùs alij tardiùs moriantur, quidam morte violenta, alij naturali. Ex quibus colligo, neminem dierum nostrorum numerum scire posse, nisi reuelatione. Videtur tamen scriptura illum determinasse Eccles. cap. 18. *Numerus dierum vitæ hominis, vt multùm centum anni.* Respondeo

Psal. 38. 5.

An quis possit scire horā mortis per astrologiam

Eccl. 18. 8.

ſcripturam loqui in genere,non autem de numero dierum alicuius hominis particularis, hoc eſt,quorundam ętas protenditur vſque ad centeſimum annum, non quòd ſit verum de omnibus, ſed de paucis,ſicut Geneſ. 17. dixit Sara de Abraham, *putaſne, centenario naſcetur filius?* Vult igitur dicere ſcriptura, quòd ſi qui homines ad hunc numerum dierum peruenerint, multùm eſt, licet in conſpectu Dei, & comparatione æternitatis eius, quaſi nihil ſit & valde exiguum quid. Sap. *Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ.*

Gen. 17.17.

Tertiò, illa authoritate pſal. 38.5. Dauid notitiam precatur proprij defectus, ſecūdùm gloſſam, id eſt, quantùm deſit de pœnitentia peragenda, ad plenam ſatisfactionem, & remiſſionem peccatorum, hoc eſt enim ſcitu neceſſarium in hac vita, quia poſt hanc vitam, quidquid minus fuerit ſatisfactum, ſupplebitur per ignis purgatorij pœnam, de cuius magnitudine hæc habet D. Auguſt. Quamuis (inquit) ſalui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quid poteſt homo pati in hac vita. Et Gregor. in pſal. 3. in pœnitentialem: illum (inquit) tranſitorium ignem omni tribulatione præſēti exiſtimo intolerabiliorē. Beda in eundem pſalmū dicit, nulla eſſe ſuplicia martirum vel latronum, cum illis purgatorijs pœnis conferenda. Idem affirmat B. Anſelmus. 1. Cor. 3. & B. Bernard. ſermone de obitu Humberti. Idem probant omnes reuelationes, quæ apud Bedam libro tertio & ſexto hiſtoriæ apud ſanctā,

Quàm grauis ſit ignis purgatorij.

Brigitam, apud Dionysium Carthusianum, & in vita sanctæ Christinæ mirabiles habentur: licet igitur ille ignis non sit æternus, erit tamē durior omni pœna temporali: & ideo deberent pœnitentes in hac vita, ad plenam satisfactionem omni diligentia conari: Quod quidem fit precipuè per elemosinas, vnde dixit Dominus cuidam diuiti adolescenti Luc. 18. *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Luc. 18. 22. Ad hoc etiam conferunt merita Christi, nobis applicata per indulgentias, & alia opera pœnalia.

Sed notandum, quòd generaliter loquendo, ad hoc quòd aliquid non desit alicui, oportet vt omnia possideat, quod fit, quando homo habet illum in quo continentur omnia, scilicet Deum, per gratiam in hac vita, & per gloriam in futura: hinc est, quòd morientibus datur pro viatico Christus, sub sacramento, vt nihil desit in hac vita, & in ipso mortis articulo 1. Cor. 1. cap. *In omnibus diuites facti estis in illo, id est.* in Christo, & subditur. *Ita vt nihil vobis desit in vlla gratia.* 1. Cor. 1. 5.

Alij hæc verba psal. 38. *Notum fac mihi Domine finem meum*, alio modo interpretantur: per Psal. 38. 5. finem enim, Christum intelligunt, iuxta Apostolum, Roman. 10. *finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti*: Vocatur enim Christus incarnatus finis, non quidem consumptionis, sed perfectionis & consummationis, vnde ibidem glosa, finis enim Christus est, in quo lex iustitiæ non consumitur, sed impletur, om-

nis enim perfectio in ipso est, vltra quam, non est, quò spes se extendat: finis etiam est fidelium Christus, ad quem cùm venerit currentis intentio, non habet quid amplius possit inuenire, sed habet in quo possit permanere: finis ergo dicitur Christus, non quia consumit, sed quia perficit, vnde & de seipso dicit,
Apo. 1. 8. Apocal. 1. *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis.* Dicens ergo, *Notum fac mihi Domine finem meum*: ponit intentionis finem, quasi diceret, notum fac mihi Christum incarnatum: eodem desiderio sancti Patres videre Christum
Luc. 10. 24. expetierunt teste Christo, Luc. cap. 10. *Multi, Reges & prophetæ voluerunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.*

Quæri potest hoc in loco, An in hac vita, nostra sit determinata virtus, qua quis tantùm viuere possit: Respondeo, quòd viuere nostrum, fundatur in humido radicali, quo calor naturalis intrinsecus fouetur, & illo durãte, eius operatione non impedita, vita cõseruatur: illud autẽ humidum est certæ & determinatæ virtutis, licet maioris in vno, quàm
An tempus vitæ sit definitum. in alio, secundùm dispositiones diuersas conceptionis & natiuitatis: Virtus istius augeri non potest, sed bene foueri & conseruari, ne ab aliquo consumatur, nisi quantùm calor naturalis continuè consumit, ipsa autem per calorem naturalem consumpta, statim deficit vita. Cùm ergo illud humidum radicale sit determinatæ virtutis, sic & tanto tempore, &

non plus poteſt naturalem calorem fouere: atque ita in quolibet homine eſt determinatum tempus, quo viuere poteſt, & non vltra. Illud autē humidū radicale poteſt conſumi ab alio, quàm per calorē naturalē, vt per calorem inordinatum & externum, veluti febrium, vel per aliam hominis malam viuendi rationem: Vel poteſt eius operatio totaliter extingui, vt puta, quando veneno, vel gladio, vel aliqua alia ratione interficitur: ſicque vita noſtra abbreuiari poteſt. Quemadmodum ſi tantùm olei infundatur lampadi ad fouendum ignem per vnum diem, quamuis non poſſis efficere vt vltra foueatur, tamen facere potes vt minùs duret, vt putà augendo ignem lampadis, quia tūc plus conſumet de oleo, vel extinguendo violēter lampadem: Sic, in propoſita quæſtione, dicitur quod determinata eſt virtus in homine, per quam per tantum tempus viuere poteſt, & non vltra: Sed illa, cùm poſſit impediri, etiam hominis vita potèrit abbreuiari, non autē prolōgari. Id docet alibi Beatus Pſalmiſta, Pſal. 54. *Viri ſanguinum, & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos*: Quia tales per deprauatam viuendi rationem, virtutem illam vitalem diſſipāt, & etiam quia ſepiùs tales morte violenta vitam finiunt: Quantitas ergo vitæ, reſpondet quantitati caloris naturalis, & humidi radicalis, quo dictus calor fouetur & conſeruatur.

Similitudo.

Pſal. 54. 27.

TERTIÒ, authoritas principalis Iob. 14. pro Themate allata, oſtendit vitam humanā terminis circumſcriptam & limitatam eſſe.

Iob. 14. 5.

Multi termini vitæ humanæ. quia habet terminos naturales, casuales, & prouidentiales. Termini naturales sunt ex naturali constitutione seu complexione & temperamento, vnde quidam citiùs, alij tardiùs moriuntur. Casuales, sunt ex casu fortuito & accidente non prçuiso, hi verò propemodum sunt infiniti. Prouidentiales verò illi dicuntur, qui ex diuinç prouidentiæ consilio ortum habent, suntque finiti, quia scilicet vita humana vlterius progredi nō potest, quàm à Deo sit constitutum, vnde dicitur Psal. 104. *Terminum posuisti quem non transgredientur.*

Sed notandum, quòd in morte, vita hominis peccatoris terminatur in magna amaritudine & molestia, siue quia priuatur mundo, & eius delicijs, quibus tantopere delectabatur: siue quia diuinum reformidat iudicium: siue quia nihil sperat, præter infernum. Iosu.15. *Mare magnum terminus eius*, id est, amaritudo magna. At verò iustus moriēs plurimū lætatur, habet enim duos terminos maximè expetēdos, vnum in glorificatione animæ, post mortem: alterum in glorificatione corporis, in resurrectione, Prouerb. 15. *Domum superborum demolitur Dominus, & firmos faciet terminos viduæ*, scilicet, in æterna gloria. Ad quam nos perducat Deus, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Iosu. 15. 4.

Prouerb. 15. 26.

DE MVLTIPLICI DEFECTV HVMANÆ VITAE.

THEMA.

Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.

Iob. 14.

SIcut voluntas hominis non fertur in bonum, nisi cognitum, sic nec malum vitat aut spernit, nisi illud cognoscendo animaduertat: Inde fit, vt homo vitam æternam, quæ sũmum bonum est, debiliter diligat, quia parum bene cognoscat. De vita hac temporali, quæ miserrima est, eadem est ratio: Ideo enim nullus eam spernit, quia eius miserias, calamitates, & angustias nemo attentè considerat. Quemadmodum si aliquis in rosario, tantùm rosas aspiceret, non autem spinas, magis pungeretur. At si consideret spinas, ab illis cauebit. Hinc Beatus Iob, vt hanc vitam despectui habeamus, & de eius amissione per mortem minùs doleamus, generales eius miserias describit, in verbis propositis. *Homo natus de muliere breui viuens tempore, &c.* In quibus

Voluntas hominis nũquã fertur nisi in bonũ cognitum.

Simil.

verbis, vitam humanam tripliciter describit.

Primò, quantùm ad sui principium, sicque ostendit, quantùm sit debilis, & fastidiosa.

Secundò, quantùm ad medium, sicque ostendit, quantùm sit flebilis & calamitosa.

Tertiò, quantùm ad exitum, sicque quantùm sit terribilis, & formidanda demonstrat.

Principium humanæ vitæ debile & putridum.

Quod attinet ad primùm humanæ vitæ principium, ostenditur esse debile & putridum, quia videlicet *natus est de muliere*, qua nihil fragilius & debilius: & concipitur ex eius menstruali sanguine, quo nihil putridius & sordidius. Idque accidere homini, propter peccatum primorum parentum, nonnulli asserunt: Nam si homo permansisset in statu innocentiæ, nec peccasset, generatio illius non fuisset (inquiunt) ex viro & muliere: In qua sententia est Gregorius Nyssenus, in lib. de creatione hominis, cap. 18. arbitratur enim in statu innocētiæ futuras non fuisse nuptias, nec generationes per cōmixtionem maris & fœminæ, innuitque Angelos seipsos multiplicasse, per actum quendam perfectissimum, qui à nobis nequit cogitari, & per quendam alium illi similem fuisse multiplicādos homines, qui in eo statu erant futuri, sicut Angeli.

An si homo non peccasset generatio fuisset ex commixtione maris & femina.

Contraria tamen sententia vera est, futuras videlicet tunc fuisse nuptias, & generationem per commixtionem maris & fœminæ, quam affirmat & latè probat, D. August. 9. super Genesim ad literam, à cap. 3. vsque ad 11. & 14. de Ciuitate Dei c. 26. Eandem sententiam as-

ſeuerant D. Thomas 1. parte quæſt. 98. Magiſter ſent. Scholaſtici communi cõſenſu in 2. diſtinct. 20. Rationibus ea probatur primò, quoniam ea, quæ naturalia ſunt, nec ſunt per peccatum ab homine ablata, nec per peccatum ſunt ei collata: Sed naturale eſt generi humano, vt ſe per connubia, commixtionemque maris & fœminæ multiplicet: Ergo fuiſſet in ſtatu innocentiæ: Secundò, quoniam Eua ante peccatum creata fuit, vt eſſet in adiutoriũ Adamo, vt Geneſ. 2. habetur, nec ad a- Gen. 2. 18.
liud in ſtatu innocentiæ, vt latè probat. D. Auguſt. locis citatis quàm ad filiorum procreationem: Ergo in ſtatu innocentiæ, futura erat filiorum procreatio, per coniunctionem maris & fœminæ. Tertiò, quoniam ante peccatum, iuncti ſunt matrimonio Adam & Eua, vt
ex illis verbis Adami Geneſ. 2. conſtat. *hoc nunc* Gen. 2. 23.
os, ex oſsibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Item Geneſ. 1. ante peccatum, primis parentibus dictum eſt, *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Ergo in ſtatu innocentiæ, futura erat multiplicatio generis humani, per maris & fœminę commixtionem. Non fuiſſet tamen deformitas inordinatæ concupiſcentiæ, quę nunc eſt in actu generationis, quia inferiores vires omnibus modis rationi ſubijciebantur: Et ideo non ex culpa, ſed potius ex natura, naſcitur homo ex muliere, & etiam ex materia ad corruptionem & putredinem apta: Vn-

de non est mirum, si vita corporis humani, ex tali generata principio, fragilitatem & immundiciam habeat: De qua dicitur Iob. 25. *Nunquid iustificari potest homo, comparatus Deo, aut apparere mundus, natus ex muliere? Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundę, in conspectu eius, quantò magis homo putredo, & filius hominis, vermis?* In quibus verbis exprimuntur quinque humanæ vitæ defectus.

Iob. 25. 4.

Primus, quia est ad malum procliuis, & iniusta.

Secundus, quia est impura & immunda.

Tertius, quia est fragilis & infirma.

Quartus, quia est obscura.

Quintus, quia est putredini obnoxia & corrupta.

Vita humana procliuis ad malum, & iniusta.

Primò ergo ostenditur humana vita esse procliuis ad malum, & iniusta, cùm dicitur *potest homo iustificari?* Iustitia enim humana in duobus potissimùm deficit à diuina iustitia: quia hæc in malũ nulla ratione flecti potest: illa verò est maximè ad vitium propensa, Gen. 8. *Sensus & cogitatio humanĩ cordis prona sunt ad malum ab adolescẽtia sua.* Deindè hæc à bono, nullo modò deficere potest: illa multùm difficilis ad bonum. *Et propterea nòn est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*: Propter illa duo, iustitia hominis comparata iustitiæ Dei, iniustitia censetur: sicut baculus qui oculo corporeo videtur rectus, appositus rectæ regulæ, curuus apparet. Hinc sancti viri rectitudinem diuini iudicij plurimùm reformidant. Vnde D. August. Væ

Gen. 8. 21.

Iustitia hominis, ad iustitiam, Dei comparata, est iniustitia.

etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam, id est ex sola iustitia. Idirco psal. 142. ita precabatur sanctus Dauid, *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs.* Psa. 142. 2.
Si ergo iustus vix saluabitur, iniusti & peccatores vbi parebunt? 1. Pet. 4. 9. id. Si ille qui fuit iustus, purus & innocens, iudicio Dei examinatus, vix saluabitur, quid fiet iniustis, vsurarijs, raptoribus vel homicidis, & aliis huiusmodi? vbi parebunt? sc. Impunè: nulla erit creatura quæ non eis aduersetur & bellum inferat. 1. Pet. 4. 18.

Secundò, quando dicit Iob. 6. *Aut appareat mundus natus de muliere*, c. 25. Naturam humanam immundam esse, peccati immundiciã ostendit: respectu Dei, & respectu sui: quia immundi etiam illi sunt, qui videntur sancti, si ad regulam diuinæ puritatis conferantur, nam frequenter pannus qui oculo hominis intuentis solùm videtur albus, si apponatur rei albissimæ, immundus & niger apparebit. Hinc Esa. cap. 64. *Quasi pannus menstruatæ, omnes iustitiæ nostræ.* Puritas igitur spiritualis siue corporalis hominis, nihil est, puritatis diuinę respectu: & ideo dicitur Iob. 15. *Ecce inter sanctos eius, nemo est immutabilis: Et cœli non sunt mundi in conspectu eius: Quantò magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam, iniquitatem?* Hinc patet, quòd nec spiritualis munditia sanctorũ, id est, Angelorum, nec munditia corporalis cœlorum, est aliquid ante Deum. Nam cœlum constat materia: Angeli verò & sancti à prin-

cipio saltem habuerunt possibilitatem ad culpam, à quibus omnibus, Deus longè abest: At homo est abominabilis, propter corruptionē mali, & defectum boni.

Tertiò, quando in authoritate superiùs adducta, dicitur: *Natus de muliere*: vult vitæ humanę fragilitatem & infirmitatem ostendere, vt diximus superiori concione: Ratio est, quia vnumquodque principiatum, naturam principij sui participat: Sed principium, ex quo nascitur homo, est fragile & debile, quia nascitur ex muliere: Et iterùm est putridum & abominabile, quia nascitur ex menstruo. Ioan. cap. 3. *Quod natum est ex carne, caro est.* id est, fragile. Vnde Boëtius, *Porrò si corpus hominis spectes, quid imbecillius homine reperire queas, quem sæpe morsus interficit muscularum?* Augetur etiam humanæ generationis debilitas, quòd viri & mulieres, hodie in teneriori & debiliori ætate, quandoque matrimonium contrahant: hinc debiles filij nascuntur, & breuioris vitæ: Idcirco dicit Aristoteles, mulierem nuptam debere esse perfectæ ætatis & virtutis, scilicet 18. annorum. Vir autem vt sit perfectæ virtutis ad generandum, & filios generet fortes & robustos, debet attigisse trigesimū sextum annum. Propterea in prima mundi ætate, tardè filios genuisse leguntur, sicut patet Genes. cap. 5. Vbi legitur, quod Seth post centum annos ætatis suæ, genuit Enos, quem priùs genuisse neminē legimus, postea verò plures: Et vixit Enos nōgentis quinque annis: Seth verò nongentis duodecim

duodecim annis. Enos poſt nonaginta annos, genuit Cainan,& poſt plures. Et Cainan cœpit generare poſt ſeptuaginta annos ætatis ſuę: Tunc enim genuit Malalehel: Et vixit, poſtquam genuit, octingentis quadraginta annis, genuitque filios & filias. Et facti ſunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus eſt. Et ſimile habetur ibidem de multis alijs.

Matrimonium quando contrahendum.

Sed Eccleſia magis attendens ad ætatem animæ, quàm corporis, ſtatuit, matrimonium contrahi poſſe ætate dilectionis & pubertatis, in puella, duodecim annorum, & in maſculo, quatuordecim, quia tunc incipit ratio vtriuſque vigere, & motus atquē ſtimuli carnis inſurgere, propter quos non vxorati in peccata carnis frequenter incidunt.

In natis ex muliere triplex malum reperitur.

Peccatum originale.

Eſt autem animaduertendum, in natis ex muliere, triplex malum inueniri. Primum eſt, infectio & labes peccati originalis. Cùm enim duplex ſit natiuitas, in vtero, & ex vtero: quãtùm ad primam, ſolus Chriſtus natus eſt ſine macula peccati originalis, Luc. cap. 1. Dixit Angelus virgini Mariæ: *Quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.* Quod vero ſpectat ad alios quoſdam ſãctos, qui ex gratię ſpeciali priuilegio in vtero ſanctificati fuerunt, & à peccato purgati, in quo concepti fuerant, tales quantùm ad ſecundam natiuitatem, ex vtero nati dicuntur immunes à peccato, ſicut legimus de Hieremia Propheta, de beato Ioãne Baptiſta, qui ſpiritu ſancto repleti fuerunt, ex vtero matris ſuæ. Luc. 1. cap. & Matth. 11.

Peccato originali immunes.

Inter natos mulierum non surrexit maior Ioãne Baptista: Et de beata Maria Virgine, quæ quia prę-uenta fuit à filio, ex vtero matris nata est expers peccati originalis.

Secundò, quidam nascuntur ex illegitimo coitu masculi & fœminæ, & istud est secundũ malum. vt qui ex simplici fornicatione, stupro, adulterio, & spurij, & filij naturales dicuntur. Omnes enim hi ad actus legitimos, officia, dignitates, & quæ requirunt aliquam honestatem, non admittuntur: Item sunt priuati paterna hæreditate, quamuis de iure naturali parentes illis prouidere in necessarijs teneantur: Vnde est Episcopi, vtrosque parentes cogere ad hoc, vt eis prouideant. Talium ergo spuriorum generatio, vocatur natio iniqua. Sap. 3. cap. *Filij adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thgro semen exterminabitur: Et siquidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit senectus illorum. Nationes enim iniquæ, diræ sunt consummationis.*

Spurij dicuntur natio iniqua Sap. 3. 16.

Seruitus.

Tertium malum est, quòd quidã serui nascuntur, vt qui ex muliere serua, quia secundũ axioma iuris, partus sequitur ventrem. Et hoc est rationi consentaneum, quia filius habet à patre complementum formale: à matre verò materiale: Seruitus autem corporis conditio est, Cùm seruus sit quasi instrumentum ad operandum: Proles igitur in libertate & seruitute sequitur matrem. At vero in his, quæ ad dignitatem pertinent, quæ est ex forma rei, sequitur Patrem, sicut in honoribus, magistrati-

bus, & hæreditate & alijs huiusmodi: hæc sũt conformia legi Mosis, & canonibus Ecclesiasticis: Figura huius rei habetur, in Ismaele qui natus est de ancilla, ad Gal. 4. *Qui secundùm carnem natus est, in seruitutem generans; quę est Agar.* *ad Gal. 4. 23*

Quartus defectus humanæ vitæ, est, videlicet quòd sit obscura: idque significatur illis verbis supra citatis, Iob. 25. *Ecce luna etiam non splendet in conspectu eius, & stellę non sunt mundę in conspectu eius.* Per lunam enim intelligitur natura humana, quia habet lumen scientiæ, cum defectu ignorationis, non tamen sine vmbra obscuritatis, sicut patet de fide, quæ est certissima cognitio, sed tamen obscura & ineuidens. Per stellas intelliguntur Angeli, cum lumine scientiæ creati, quam habent à Deo, sicut stellæ suum lumen à Sole. Luna ergo in conspectu Dei non splendet, quia in conspectu claritatis diuini iudicij, omnis scientia humana, est mera obscuritas: Vnde còram Deo, syllogismi Dialecticorum, persuasiones Rhetorum, argumenta Philosophorum, & omnes etiam allegationes Aduocatorum, nihil valebunt: Plato vt stultus (ait D. Hyeronimus) adducetur, cum suis discipulis: Eius sapientia nihil illis proderit, nihil Aristoteli subtilitas, tot tãtarumque rerum cognitio: *Quia Luna tunc non dabit lumen suum. Marc. 13.* Et Angeli non sunt mundi à peccato. Quia licet à principio fuerint creati in scientia & gratia, tamen quidam eorum peccauerunt: vnde Iob. 4. cap. *In Angelis suis reperit prauitatem:* & sic à vero lumine auer-

Vita humana obscura.

Iob. 25.

Marc. 13.

Iob. 4 18.

ſi ſunt, ſicque obtenebrati ſunt. Iob. 3. 9. *Obtenebrentur ſtellæ caligine eius.*

Humana vita immũda & putrida. Quintus humanæ vitæ defectus, quia videlicet immunda & putrida: Dicitur autem homo putredo propter tria. Primò quidem, quia ex putredine generatur, ſiue ratione ſeminis à maſculo emiſſi, ſiue quantùm eſt ex parte matris, vt eſt menſtrualis materia, quorum vtrũq. eſt putrefactioni proximũ. *Iob. 17. 14.* Iob. 17. *Putredini dixi, Pater meus es, & mater mea, & ſoror mea vermibus.* Secundò dicitur homo putredo, quia viuens, putredine nutritur, repletur & conſeruatur *Iob. 7. 5.* Iob. 7. *Induta eſt caro mea putredine.* Tertiò, quia corpus eius per mortẽ in putredinẽ reſoluitur. *Iob. 13. 28.* Iob. 13. *Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea.* Propterea ibidem Iob. 25. homo dicitur vermis: At vermis ex putredine generatur, Quidni igitur homo erit putredo, cùm viuens, à vermibus comedatur, & mortuus à vermibus cooperiatur? *Eſay. 14. 11.* Eſa. 14. *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Ita vt verè de ſe poſſit dicere illud Pſal. 21. *Ego ſum vermis & nõ homo.*

Iob. 14. 1. *Breuitas vitæ.* SECVNDÒ principaliter iiſdem verbis Iob. 14. in Themate citatis quinque includũtur, quæ quàm ſit miſera & calamitoſa hominum vita, manifeſtè oſtendunt.

Primum, eſt ipſius vitæ modicitas.
Secundum, multiplex ipſius calamitas.
Tertium, ipſius fragilitas.
Quartum, ipſius vanitas.
Quintum, ipſius mutabilitas.

De primo ergo notandum eſt, non ſolùm tẽpus vitæ alicuius, dici breue, ſed etiam totum tempus: licet enim Philoſophus ſtatuat primũ motum eſſe perpetuum, & per conſequens tẽpus, quod eſt menſura eius, Tamen veritas fidei tenet motum cœli, poſt diem iudicij, finẽ habiturum, ceſſabit igitur tempus. Apocal. 10. *Iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, qui creauit cœlum, & ea quæ in eo ſunt, & terram & ea quæ in ea ſunt, & mare, & ea quæ in eo ſunt: quia tempus non erit amplius.* Vnde tempus ſicut habuit initium, ita finem habebit: Et quia breue eſt, omne quod fine clauditur, 1. Cor. 7. *Tempus breue eſt:* & præcipuè reſpectu æternitatis, quæ infinita & tota ſimul abſque ſucceſſione vel motu: vnde cùm totum tempus ſit finitum, ſequitur eſſe quaſi momentum, reſpectu æternitatis. Pſal. 89. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præterijt:* Cùm ergo tempus quo quiſque viuit, ſit parua portio temporis totius, conſequens eſt tempus vitæ humanæ, multò magis breue dici debere.

Vita hominis breuitas. *Apoc. 10. 6.* *1. Cor. 7.* *Pſal. 89. 4.*

Aſſignatur autem à quibuſdam triplex ratio, quare Deo placuit hominem breui tempore viuere. Primò quidem ad puniendam culpam, nam in humana natura, (vt ipſi dicũt) ſicut aucta eſt culpa, ita vita hominis abbreuiata eſt. Nam in prima mundi ætate, hoc eſt, ante diluuium, quia nondum peccatum erat multiplicatum, vt poſtea fuit, homines diutiſſimè viuebant. Gen. 5. *Adam vixit nongentis triginta annis:* Malalehel vixit octingentis no-

Tres rationes breuitatis vitæ hominis. Prima. *Gen. 5. 3.*

naginta quinque annis. Lamech, qui fuit Pater Noe, & quasi filius illius primæ ætatis, vixit septingentis septuaginta annis: Tempore autem Noe, quia peccatum erat nimis multiplicatum: vt Deus volens abbreuiare tempus vi-
Gen. 6. 3. tæ humanæ, dicit ad Noe. Gen. 6. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, Eruntque dies illius centum viginti annorum.* Tempore etiam Dauidis, quia multùm increuerat idololatria, & alia peccata, adhuc breuior facta est hominis vita: vnde Dauid. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: Si autem in potêtatibus eius, octoginta anni.* Iob. 17. cap.
Iob. 17. 1. *Dies mei breuiabuntur & Spiritus meus attenuabitur.* Quantò enim magis augetur peccatum, tātò & spiritus, id est vita spiritualis minuitur, & propter culpæ punitionem, humanæ vitæ dies breuiantur. Hæc ratio D. Thomæ non placet, quia nunc nō minori tempore viuunt homines, quàm tempore Dauidis. Refert igitur illam diuturnitatem vitæ eorum qui vixerunt in prima ætate, ad Deum, vt videlicet genus humanum multiplicaretur.

2. ratio breuitatis vitæ. Secunda ratio breuitatis vitæ hominis, est finis miseriarum, quibus perpetuò affligitur, Certum est enim melius esse homini in maximis miserijs detento, morte leuari, quàm semper viuere, quia melior est mors, quàm vita amara, inquit Eccles. cap. 30. Hinc videmus Sanctos viros, propter finiendam miseriam, & quia cum tædio est tempus vitæ nostræ, Sapiēt. cap. 2. mortem exoptasse, sicut Paulus, *Deside-*

rium habens dissolui ad Philipp.cap.1. Et Rom.7. *Infœlix ego*, dicebat, *quis liberabit me, de corpore mortis huius?* & Propheta, *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est*, Si verò homini prosperè omnia succedant, non est securus, potest enim in calamitates & miserias incidere: Vnde ait Boëtius, *Infœlicitatis summum genus est, aliquando fuisse fœlicem*: Sicut refert Valerius Maximus, lib. 6. cap. 11. De Polycrate Samiorum Tyrãno, qui dum prosperâ fortunâ vsus est, omnibus alijs, diuitiarum copia, honore, gloria, rerũ magnitudine, & prosperis successibus, excellebat, vt nemo beatior illo videretur, nihil mali, nihil iniucundi, vnquam expertus est: Quam fœlicitatem vt omnibus manifestaret, annulũ pretiosissimum, valdeq; illigratum, ex industria proiecit in mare, ne scilicet expers omnis dãni videretur, quem tamen non dudum post capto pisce, qui eum vorauerat, recuperauit; Non tamen ignominiosam mortem tãdem effugit: Mythilenis enim in summitate montis, ab Oronthe præfecto, cruci affixus est: Vbi tamdiu mansit, quò omnia eius membra tabido cruore confecta, putrida fierent. Inde multi antiqui veneno seipsos necauerunt, aut propter miserias, quibus affligebantur, aut quas reformidabant. Non ita est de viris bonis, non enim sibi inferunt mortem, propter tædium vitæ, quantumuis calamitosæ, sed vt ait D. August. *Habent vitam in patientia, & mortem in desiderio*. Deus autem quandoque nonnullos ex singulari gratia, & priuilegio quamprimùm

Rom. 7. 24.

Prosperitatem sequitur afflictio.

subtrahit ex hac vita, ne à sua bonitate recedãt, & in malitiam peccati corruant. Vnde Sap. 4. cap. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* & Paulò post. *Consummatus in breue expleuit tempora multa. Placita enim erat anima illius. Propter hoc festinauit educere illum de medio iniquitatum.*

Sap. 4. 11.

Tertia ratio breuitatis vitæ hominis.

Tertia ratio breuitatis vitæ hominis, ponitur in remedium superbiæ: ad quam reprimendam, precipuè eorum, qui in alios imperium habent, breuitatis vitæ memoria multùm valet: sicut patet in Alexandro magno, qui quasi Dominus totius orbis, breui consumptus est. Machab. 1. *Regnauit Alexander duodecim annis, & post hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur.* Vnde etiam summi Põtifices, penes quos est summa potestas spiritualis, vt plurimùm non multo tempore viuunt. Eccles. 10. *Omnis potentatus breuis vita.*

1. Machab. 1. 8.

Eccl. 10. 11.

Secundò, humanæ vitę describitur multiplex calamitas: Miseria enim importat defectum boni & abundantiam mali: vnde beatitúdo sanctorum, dicitur esse ab omni miseria immunis: quia habeat carentiam omnis mali, & abundantiam omnis boni, hinc fit, vt qui degunt in cœlo, totaliter sunt beati, qui detrusi sunt ad inferos, omnino miseri: Nos autem qui adhuc superstites sumus, & multis bonis caremus, & multis malis affligimur, replemur multis miserijs. Psal. 68. *Improperiũ expectauit cor meum, & miseriam.*

Vita humana multiplex calamitas.

Psal. 68. 24.

Sed aduertendum est, quòd illi, qui in hac

vita minus miſeriarum experiuntur, vt ſunt opulenti & diuites, in alia vita magis crucia- *Luc 16.* buntur: Et è contrario boni & patientes pauperes, vt patet in Lazaro Luc 16. & diuite epulone, cui dixit Abraham. *Recordare fili, quia recepiſti bona in vita tua*: Propterea Iacob 5. cap. *Iacob. 5. 1.* *Agite nunc diuites vlulantes, plorate in miſerijs veſtris, quę ſuperuenient vobis.*

Tertiò deſcribitur hominis fragilitas: *Hominis fragilitas.* *quia quaſi flos egreditur & conteritur*, flos enim licet cum decore egrediatur, cum odore progrediatur, gratioſè colligatur, & cum honore in ſertis ponatur, citò tamen & tãdem marceſſit, & deſpectus in terram decidit: ſic homo quamuis in pueritia pulchritudinis decorem habeat: In iuuentute bonæ famæ odorem, in virili ætate glorioſam conuerſationem, & aliquando dignitatis honorem: Citò tamen morte peremptus marceſcit, & deſpectus in terram decidit, vt flos: hinc 1. Pet. cap. 1. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni* *1. Pet 1 24.* *pſal. 89. Manè ſicut herba tranſeat, manè floreat* *Pſal. 89. 6.* *& areſcat.*

Quartò, deſcribitur humanæ vitæ vanitas, *Humana vita vanitas.* *fugit velut vmbra*: Vmbra inſequentes fugit, & fugientes inſequitur: ſic eſt de vita humana. Illi enim fugiunt vmbram, id eſt, vitam, qui mori deſiderant: Sed illi ſequuntur eam, qui mori fugiunt, & viuere cupiunt: At frequenter accidit qui mori expetunt, diutiùs vt viuãt. Apocal. 9. *Deſiderabunt mori, & mors fugiet ab* *Apoc. 9. 6.* *eis.* Et è contra, Sap. 2. 5. *Vmbræ tranſitus eſt tem-*

pus nostrum & Ps.101. Dies mei sicut vmbra declinauerunt.

Humanæ vitæ instabilitas. Quintò, ponitur humanæ vitæ instabilitas, quia *nunquã in eodem statu permanet.* Nam sicut flumen perpetuo fluxus, tendit ad mare, nec vlla hora desistit, Ita vita hominis, continuò ad mortem: Varietati enim multùm subiicitur: Quæ aliquando est ab homine, ex causa interiori, aliquando ex exteriori. Si ex interiori, illa potest esse vel spiritualis, & ex accidentibus animæ. Nam alio modo se habet, quando est iratus, Etenim in ira extrahitur calor ab interioribus, ad exteriora: Alio verò, quando efferur amore & cupiditate, nam huiusmodi passiones calorem ad interiora comprimunt, & ita de aliis: Quandoque etiam accidit illa varietas, ex causa intrinseca corporali: putà ex humore, cholera, sanguine, vel phlegmate: vnde variæ ægritudines in corpore generantur, sicut temperatæ inter se, sanitatem éfficiunt. Nonunquam etiã illa varietas, accidit ex causis exterioribus, veluti ex varietate temporum, ætatum, aëris, locorum, somni, vigiliarum, otij, exercitiorum: hæc omnia si moderata sint quantitate, qualitate, ordine, multùm ad sanitatem conferunt: Sin minus, morbi oriuntur & infirmitates: Nihilominus, siue sit sanus homo, siue æger, non desinit ista varietas: Quia vt ait Philosophus, non est eadem sanitas hominis vespere, quæ fuit mane: Iob. 8. *Innitetur super domum suam,* scilicet corporis, quod est domus animæ &c.

Iob. 8. 15.

non stabit, (*suple*) In eodem statu permanens: Sed post resurrectionem, gloriosum manebit corpus, & vita hominis semper in eodem statu, quia erunt corpora gloriosa, sicut stellæ in perpetuas æternitates.

Tertiò, in themate principali ex Iob. 14. ostenditur vitæ exitum, esse terribilem, & formidolosum, propter iudicium: *Et dignum ducis super huiusmodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium?* Scilicet denudando & aperiendo illius facta, sicut in aspectu Solis, latebræ illustrantur, Hebræ 4. *Omnia sunt nuda & aperta oculis eius*: *Boëtius, magna est vobis, si dissimulare non vultis, indicta probitatis necessitas, cùm omnia agatis, ante oculos iudicis cuncta cernentis.* Sequitur: & *Adducere eum tecum in iudicium*, Scilicet disceptando, & rationem operum exigendo: Matth. 25. *Esuriui enim, & non dedistis mihi comedere:* Eccles. vltim. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, pro omni errato siue bonum siue malum*, & tunc sicut dicitur Ioan. 5. *Ibunt qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ.* Ad quam nos perducat æquissimus & iustissimus iudex Iesus Christus. Amen.

Humana vitæ exitus terribilis & formidolosus.

Iob. 14. 1.

Hebræ. 4. 13.

Iudicium Dei reformidandum.

Mat. 25. 42.

Eccl. 12.

Ioan. 5. 29.

DE VANITATE ET MVTABILITATE HVMANÆ vitæ.

THEMA.

Psal. 143. 5. *Homo vanitati similis factus est: Dies eius sicut vmbra prætereunt Psal.* 143.

Peccatum deformem reddit animam. ILLA iudicatur infirmitas corporis maxima, qua macilentum, debile, & infirmum redditur, facies verò deformis & pallida: ita vt penitus pristinam omnem imaginem & effigiem amisisse videatur. Idem omnino efficit peccatum in anima, quam ita immutat, vt nihil in se pulchritudinis pristinæ retinuisse infecta peccato appareat: Amissa enim pinguedine gratiæ & donorum cœlestium, quibus ornabatur, efficitur turpis & macilenta, & quasi in aliam imaginem & similitudinem transmutata.
Dan. 4 30. Huius rei figuram habemus, Daniel. 4. cap. in Rege Nabugodonozor, Cuius cor propter peccata sua, in cor feræ mutatum est, quia videbatur sibi imaginem & figuram gestare bestiæ, ac si in anteriori parte factus esset bos, in posteriori leo, vnde de eo dicitur ibidẽ versu. 30. *Eadem hora sermo completus est super Nabugodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectũ*

eſt, donec capilli eius, in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & vngues eius quaſi vngues auium: Vbi animaduerte effectus peccati: Nam primò ab hominib' peccator eijcitur, id eſt à viris iuſtis, qui ſunt vera membra Eccleſiæ, à quibus ſeparatur per peccatum, eſt enim Charitas quæ propriè & veriſſimè nos vnit Eccleſiæ. Secundò, vt bos fœno veſcitur, quia per luxuriæ vitium & gulæ, carnalibus & libidinoſis voluptatibus paſcitur: *Nam omnis caro fœnum*: Tertiò, rore cœli inficitur, id eſt, ſuggeſtione diaboli decipitur, qui ita illius obſcurat intellectũ, vt ei bona videantur mala, & mala bona. Quartò, ſemper in capillis, id eſt, in malis cogitationibus & ambitionibus augetur. Quintò, per rapacitatem auaritię, vngues inſtar rapaciũ auium, habere videtur, & ſic homo quodammodo in aliam figuram tranſmutatur. Eadem mutatio videtur facta, primo homine peccante, in humana natura: Quia homo qui creatus fuerat ſimilis veritati, id eſt Deo, qui eſt prima & pura veritas, factus eſt per peccatum ſimilis vanitati, & eſt quod vult dicere Propheta Dauid, in verbis allatis ſuperiori Themate. *Homo vanitati ſimilis factus eſt*, Scilicet per peccatũ, qui primo erat ſimilis veritati, ait gloſſa. In quibus verbis corruptio hominis per peccatum, ex tribus declaratur.

Peccati effectus.

Eſay. 11.

Peccatum cauſa corruptionis hominis.

Primò quidem, ex materiæ vilitate.
Secundò, ex culpæ mutabilitate.
Tertiò, ex vitæ inſtabilitate.

Innuitur ergo primò vilitas materiæ: dicitur

Homo ab humo. enim homo, ab humo id eſt, terra humida, de qua à Deo corpus eius formatum eſt: Licet etiam homo ſit creatus à nobiliſſimo artifice Deo placuit tamen illi corpus hominis de infima & vili materia effingere, ſcilicet de limo terrę, vt ea ratione ad cordis humilitatem induceretur: Deus enim in eo maxima vſus eſt ſua prouidentia, quando formam nobiliſſimā homini contulit, videlicet animam rationalē, qua omnibus cœleſtibus corporibus præfertur & præſtat, (cœlum enim ſecundùm veram Philoſophiam eſt inanimatum) & ideo etiam ſupra cœlum locabitur glorioſus poſt reſurrectionem: Alia ex parte, Deus fecit hominem de viliſſima materia, hoc eſt, de terra, vt ſpretis his inferioribus, memor nobilitatis animæ, ſemper ad cœleſtia tenderet, & corporis vilitate permotus, ab humilitate nuſquam recederet. & ideo dicitur Geneſ. 2. *Formauit Deus hominem de limo terrę.* in quibus verbis tria diligenter animaduertere debemus.

Quare Deus hominem de limo terræ formauit.

Geneſ. 2. 7.

Primò, artificis bonitatem.

Secundò, operis proprietatem.

Tertiò, materiæ vilitatem.

Bonitas artificis. Circa primum, notandum eſt, omne agens agere ſibi ſimile, Atqui cùm Deus ſit bonus, imo ſummè bonus, nullum opus poteſt ab eo manare aut formari niſi bonum. Geneſ. cap. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona:* Et hoc eſt contra eos, qui dixerunt corpus hominis, imò quodcunque aliud, eſſe malum. Licet Origenes exiſtimaret corpus hominis à ve-

Gen. 1. 31.

Opinio Origenis de creatione rerum.

ro & bono Deo esse formatum, dixit tamen omnem naturam corporalem esse malam, à Deo quidem creatam, non quòd bona sit, sed in pœnam spiritualis creaturæ. Fuit enim in ea opinione, omnes omnium animas ante corpora simul cum Angelis creatas fuisse: quòd tam Angelos, quàm animas, & omnes spirituales creaturas, crederet esse æqualis conditionis & naturæ: Differre verò tantùm merito, ita vt quædam earum, vt animæ hominum, alligari corporibus mererentur, Aliæ in sua puritate, secundùm ordines diuersos, perpetuò remanere: datum igitur est illis corpus in pœnam.

Verùm hæc sententia erronea est, & aduersatur scripturis sacris: Ait enim Deus Genes. 1. producta qualibet specie. *Vidit Deus quod esset bonum.* q. d. quod vnumquodq; ideo factum est, quia bonum est ipsum esse, & futurum esse. Item pugnat cum vera Aristotelis Philosophia: Cuius sententia est, impossibile esse animam esse ante corpus, & contrà, quia anima vnitur corpori vt forma, & est pars totius cõpositi naturę humanæ: At Deus in prima creatione, vnamquamque rem instituit, iuxta ordinem naturæ suæ conuenientem. Cùm igitur pars, non debeat existere sine toto, Priùs eam non formauit, quàm corpori vniret: Non fuit igitur cõueniens aut necesse, eam corpus præcessisse. Idcirco cùm dicitur, *Formauit Deus hominem,* intelligitur productio corporis simul cum anima: Quando verò postea subditur, *Spirauit in faciem hominis spiraculum vitæ*: Quia

Refutatur sententia Origenis. *Genes. 1:*

facies hominis, est id, in quo operationes vitæ magis elucescunt, propter sensus ibi existētes, propterea in faciem hominis, dicitur esse spiratum vitæ spiraculum: Patet ergo corpus non in pœnam animæ, sed in bonum, illi esse vnitum, contra Origenis sententiam, hinc dicitur Eccles. 17. *Deus de terra formauit hominem*: quia terra est elementum fertilissimū & fructiferum, vt per hoc satis sit manifestum, corpus non in malum, sed in vtilitatē animæ à Deo concessum: Quod etiam confirmatur, quia per sensus, suam haurit cognitionem, acquirit etiam merita per corporis actus: Sed sicut terra, nisi excolatur, non fructificat Ita nec terra corporis, sine cultura pœnitētiæ, vel boni operis, & sine custodia rationis & prudentiæ, nullum emittet fructū. Homo verò primus ante peccatum habebat corpus nō solùm ad auxilium animæ, sed etiam ad solatiū: Erat obtemperans, sine rebellione, propagabile, sine libidine, vegetabile, sine mortalitate, & animæ conforme: hoc est sicut anima erat innocens, & tamen poterat peccare: sic corpus ita erat impassibile, vt etiam mortalitatem incurrere posset: Vnde poterat mori & non mori, obtemperare, & rebellare: Et hoc fuit ratione defectiuæ naturæ, ex nihilo creatæ, nec per gratiam vel gloriam confirmatæ. Sapient. cap. 10. *Hæc, illum qui primus formatus est à Deo, pater orbis terrarum, cum solus esset creatus custodiuit, & eduxit illum à delicto suo.*

Eccl. 17. 1.

Sap. 10 1.

Operis proprietas.

Secundò, debemus in authoritate allata, operis pro-

ris proprietatem considerare, quia formauit, id est, produxit hominem, id est, partem hominis, quæ est corpus, sub forma sua, quę est anima, quàm, s. creando infudit, & infundendo creauit: Quidam philosophus interrogatus ab Adriano Imperatore, quid esset homo, talem descriptionem dedit. *Homo est mancipium mortis, hospes loci, viator transiens*: In qua, mortis seruitutem, & corruptionis necessitatem tangit, De qua Psal. 88. *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* Tres sunt causæ huius necessitatis moriendi: Prima ex parte naturæ, inquit Seneca, mors est homini, natura, non pœna: Nam omne compositum ex contrariis, necesse est tandem resolui & corrumpi: sicut sunt omnia corpora mixta, & ex quatuor elementis composita, quale est corpus humanum. Secunda ratio est ex parte culpæ, Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Vnde sicut peccatum, ita mors regnat in omnes: Remedium tamen dederat illi Deus, si non peccasset, ne moreretur. Quod ex tribus constat. Primò, secundùm August. in quæst. 5. No. testa. ex diuina gratia, animæ virtutem conferente, qua posset corpus ab omni corruptione vindicare: Secundò, ex esu ligni vitæ, speciem sua virtute conseruante, & senectutem prohibente: hinc. D. Aug. 14. de Ciuitate, cap. 26. ait, *quòd cibus aderat homini, ne esuriret, potus ne sitiret, lignum autem vitæ, ne illum senectus dissolueret.* Tertiò, ex vsu aliorum pomorum, in

Homnis descriptio.

Psal 88. 47.

Tres causæ necessitatis moriendi.

Rom. 5 12

Remedium aduersus mortem datum Adamo.

deperditionem humidi radicalis, à calido restituente. Sed peccato superueniente, omnibus huiusmodi remediis, quæ erant ex gratia, priuatus est. Tertia causa necessitatis mortis, est ex parte Diuinæ iustitiæ: Nam sicut videmus in ciuitatibus fieri statuta & leges municipales, quibus postea à Rectoribus ciuitatis ius dicitur ciuibus: Ita Deus mundo statuta & leges condidit, quibus secundùm suam iustitiam, homines à Deo iudicãtur. Illud autem

Hebr. 9.27. de morte, est generale, Heb. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autẽ iudicium*: Ab eo nullus excipitur. Nec Alexander per suã

Mortis necessitas. potentiam, *Imo decidit in lectum, & cognouit, quòd*

1. Machab. 1.6. *moreretur* 1. Machab, 1. Neque Salomon, vel alius quicunque Philosophus, propter suam sapientiam & scientiam, *quia moritur doctus, si-*

Eccl. 2.16. *militer & indoctus*: Eccles. 2. Neque Samson, propter fortitudinem nimiam, imò dixit, *Moriatur anima mea cum Philistin*, Iudic. 16. Neque diues Epulo, propter omnium rerum abundantiam, *Imò mortuus est diues, & sepultus*

Luc. 16.22. *est in inferno*. Luc. 16. Nullus igitur eximitur à morte: propterea dictum est superiùs, *Quis est*

Psal. 88.47. *homo qui viuet & qui non videbit mortem?* Psal. 88. Iuxta istud decretum, omnis homo iudicabitur in ipso mortis articulo, hinc Eccles. 18.

Eccl. 18.19. *Ante iudicium para iustitiam*, Scilicet in vita, ante mortem, vt videlicet ad modum citati cuiusdam ad iudicium instrumenta tecum habeas, id est pœnitentiæ partes, vt testes, tuam causam defendentes: Aduocatum sapientem

tecum ducas, ſcilicet Chriſtum, dignè & purè in ſacratiſſima Euchariſtia ſuſcipiendo, ſicque propitium iudicem inuenies. Inſuper reſpondit philoſophus interrogatus quidnam eſſet homo, *hoſpes loci*, in quo voluit oſtendere durationis breuitatem, quia ſicut hoſpes manet paruo tēpore in hoſpitij loco, ita quoque modico tempore, homo in mundo viuit, Iob. 14. *Homo natus de muliere breui viuens tempore.* Eccleſ. 29. cap. *Tranſi hoſpes*, quaſi dicat, non hîc ſiſtas, quia non eſt hîc patria, ſed via. Hinc Patres primæ ætatis nolebant ædificare domos, ſed habitabant ſub arboribus, quia videbatur eis, quòd modico tempore in hoc mundo vitam degebant. Heb. 11. *Confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt, ſuper terram*: qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Item dicit Philoſophus, quòd homo eſt viator tranſiens: Stultus ille eſſet viator cui modico tempore, eſſet conficiendum longum iter, vellet tamen in quolibet hoſpitio diu manere: hic eſt homo. Luc. 19. cap. *Homo quidam nobilis, abijt in regionem longinquam accipere ſibi regnũ.* Nam nobilitati hominis maximè competit, abeat in regionem lōginquam, & vt omnibus viribus tendat ad cœleſtia & æterna, vt tandem regno potiatur cœleſti: Verùm quàm infœlix homo, dum amore & deſiderio rebus creatis tantùm adhæret, in eiſque ſolis quieſcit. Is ſtultus viator verè dicendus eſt. Hier. 14. *Quaſi viator declinans ad manendum.*

Homo in hac vita hoſpes & peregrinus.
Iob. 14. 1.
Eccl. 29. 33.
Hebr. 11.
Peregrinatio eſt vita noſtra.
Luc. 19 12.
Hier. 14. 9.

Tertiò, in authoritate citata ex Gen. 2. cap. Gen. 2. 7.

Materia hominis vilitas.

consideranda est materiæ vilitas: *Quia formauit hominē de limo terræ*: Quod fecit Deus multiplici ratione: Primò, ratione sensibilitatis, quia scriptura sacra, loquens de principio productionis mundi, tantùm facit mentionem de illis elementis, quæ sub sensum magis cadunt, scilicet, terra & aqua: Vnde quamuis corpus hominis constet quatuor elementis, tamen vt ostendatur esse ex istis elementis magis compositum, dicit ipsum esse de limo terræ, in quo est mixtio aquæ & terræ: De aëre autem & igne, scriptura non facit mentionem, quia ipsa non percipiuntur à rudibus, sensu, vt illa duo. Verè tamen, certum est corpus humanum omnibus elementis constare, quorum virtutes & proprietates in quatuor honoribus manifestantur: Nam virtus ignis manifestatur in cholera, quæ ad modum ignis, calida est & sicca: Virtus aquæ in phlegmate, quod frigidum & humidum est. Proprietas aëris, in sanguine, qui calidus & humidus est. Sed terræ proprietatem melancholia continet, quæ frigida & sicca est. Hæc ad animam referri possunt, vt in se, similitudine quadam, dicatur quatuor elementa continere: Mens hominis pro intellectus subtilitate vtitur: pro aëre, conscientiæ puritate: pro aqua, ingenij volubilitate: pro terra, animi stabilitate.

Secunda ratio, quare corpus humanum dicitur de limo terræ formatum potiús quàm de alijs elementis, est propter temperamenti æqualitatem, in qua terra primum locum obti-

net,& abundat: Nam nullum eſt aliud corpus, quod magis accedat ad medium temperamẽti, quàm illud, quod videtur fuiſſe neceſſarium vt animus cognitionem hauriret ex ſenſibus, quorum omnium fundamentum eſt factus: Idcirco oportet corpus hominis habeat æqualitatem complexionis: Ad quam conſtituendã ſuperiora elemẽta, ſcilicet ignis & aër, prædominantur in eo ſecundùm virtutem, quia vita præcipuè conſiſtit in calido, id eſt, igne, & humido, id eſt aëre: inferiora verò elementa ſc. aqua & terra abundant in ipſo ſecundùm ſubſtantiam, aliàs non poſſet eſſe ipſa dicta æqualitas mixtionis, niſi inferiora elementa (quæ ſunt inferioris virtutis) in ipſo ſecundùm ſubſtantiam abundarẽt, Et propterea dicitur corpus hominis de limo formatum, quia limus vt dictum eſt, eſt terra aquæ permixta, vt inde diſcat anima, contractum peccatum per aquã pœnitentiæ eſſe abluendum. Pſal. 68. poſtquã Pſal. 68. 2.
dixit: *Infixus ſum in limo profundi*, ſtatim addidit: *Veni in altitudinem maris*, ſcilicet per pœnitẽtiã.

Tertia ratio, propter quam homo dicitur formatus de limo terræ, eſt propter conformitatem limoſæ terræ ad hominem: Nam terra limoſa eſt immunda: Corpus etiam hominis, cum libidine conceptum, imprimit animæ peccati originalis maculam. Item terra limoſa eſt lubrica, corpus etiam ex limo formatum, inducit animę ad peccandũ facilitatem & inclinationem: Senſus enim hominis pronj ſunt ad malum ab adoleſcentia: item terra limoſa

inficit, propter exhalationes corruptas, ita corpus animam inficit, multiplici deordinata passione, Sapient. 10. *Deus eduxit illum de limo terræ.*
Sap. 10. 2. *Vanitas hominis.*
SECVNDO, in authoritate principali, describitur conditio hominis ex culpæ mutabilitate,
Psal. 143. 5. *quia vanitati similis factus est homo*, sc. per peccatum Psal. 143. Et ratio est, quia vanum propriè dicitur, quod non assequitur suum finem, vt medicina quæ data est ad expellendum morbum, nec expulit, vana est, sanitas enim est finis propter quem datur medicina. At finis vltimus hominis ad quem conditus est, est
Tob. 2. 17. vita æterna. Tob. 2. cap. *Vitam illam expectamus.* Scilicet tanquam finem nostrum, à quo fine assequendo impedimur per peccatum, quia nihil coinquinatum ingreditur regnum cœlorum: Vnde per peccatum, homo efficitur similis vanitati, id est, rei omnino inutili quantùm ad vltimum finem.

Sed iterum aduertendum est, quòd quia vanitas plerumq; in Scriptura sacra pro mutabilitate sumitur Roman. cap. 8. *Vanitati creatura*
Rom. 8. 20. *subiecta est, non volens*, id est, mutabilitati secundùm Glosam, cùm omnis homo viuens sit subiectus mutabilitati, secundùm omnes species motus, quæ sunt generatio, corruptio, augmētatio, diminutio, alteratio, mutatio, secundùm locum: Ideo omnis homo viuens dicitur esse vniuersa vanitas, Psal. 38. *Veruntamen vniuersa*
Psal. 38. 8. *vanitas omnis homo viuens.*

Consueuit etiam distingui, quadruplex modus vanitatis, in quibus comprehendi videtur

vniuersa vanitas huius mundi.

Nam vt docet Hugo de Sancto Victore, Est vanitas mutabilitatis, mortalitatis, curiositatis, iniquitatis. *Vanitas quadruplex*

Vanitas mutabilitatis inuenitur omnibus rebus naturalibus, quia sunt in eis mutationes contrariæ: Et id omne quod per vnam mutationem proficit, per aliam mutationem contrariam euanescit: sicut quod acquiritur per generationem fit inane per corruptionem: Ita de accretione, & decretione, & alijs mutationibus. Quia ergo huiusmodi vanitatis contrarietas, in omnibus corporibus naturalibus reperitur, ideo dicitur Eccles. 2. *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole*: Vnde quia homo hic viuens sub Sole multùm habet de ista vanitate, dicitur esse vniuersa vanitas, id est, pertinere ad vniuersam vanitatem. *Vanitas mutabilitatis.* *Ecc. 2. 11.*

Sed obseruandum est, quòd homo non solũ secundùm vitam naturalem huic vanitati subijcitur, sed quodammodo quoad vitam spiritualem: Quia sicut generatur per Baptismi gratiam, ita corrumpitur per mortalem culpã, per quam scilicet euanescit omnis gratia per Baptismum acquisita. Vnde qui post Baptismũ innocentem se cõseruat, nec peccato inficitur, dicitur in vanum animam suam non accipere, Psal. 23. *Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vanum animam suam &c. Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.* Item sicut vita spiritualis augetur per *Psal. 23. 4.*

bona opera, & in eis perseuerantiam, ita immutatur & inanescit per incuriam, otium, & negligentiam: propterea in via Dei non progredi, regredi est, vt ait D. Bernard. Et ideo de ociosis & negligentibus dicitur, Psal. 77. *Defecêrunt dies eorum*, scilicet, in vanitate otiositatis.

Psal. 77.

Item sicut vita spiritualis alteratur in bonũ per pœnitentiam, ita in malum per recidiuam culpam, & tunc inanescit quicquid boni homo fecit. Similiter quantùm ad similitudinem motus localis, de quibusdam dicitur, Psal. 106. *Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos:* Ascendunt vsque ad cœlos, sc. per superbiam, inaniter se extollendo, sed descendũt vsque ad abyssos, in æternam damnationem sese præcipitando, Hieremiæ cap. 1. *Vanitate*, sc. Superbiæ *seducti sumus*.

Psal. 106. 26

Vanitas mortalitatis.

Secunda, vanitas est mortalitatis, & hæc inuenitur in omnibus animalibus, quorum videlicet vita finaliter per mortem inanis efficitur, & prorsus deficit: Quæ vanitas est in homine, quia est animal mortale, in quo, non distinguitur ab alijs animalibus. Eccl. 3. *Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirãt omnia, & nihil habet homo iumentis amplius.* Igitur vita, fortitudo, pulchritudo, diuitię, omniaque temporalia vanitati subijciuntur & inania sunt.

Eccl. 3. 19.

Vanitas curiositatis.

Tertia est vanitas curiositatis, quæ potissimùm in hominibus reperitur, idque tripliciter. Primò, ratione studiorum, quando videlicet aliquis in ea studia incumbit, quæ parum

ſunt vtilia, ſicut de quibuſdam D. Hieronimus ait, *Sacerdotes dimiſſis Euangelijs, & prophetijs, videmus comedias legere, & amatoria bucolicorum verſuum verba cantare.*

Item quādo aliquis vult doceri ab eo, à quo non licet, vt à magis vel dæmonibus, vt futura ſciant, Quæ curioſitas non ſolùm eſt vana, ſed etiam ſuperſtitioſa, & peſſima, de qua D. Auguſt. libro de vera religione: *Neſcio* (inquit) *an Philoſophi impedirentur à fide, vitio curioſitatis, in perſcrutandis dæmonibus.*

Item quando, ea quæ expetit ſcire, non refert ad Deum. Vnde D. Auguſt. lib. de vera Relig. in conſideratione creaturarum, non eſt vana & peritura curioſitas exercenda, ſed gradus ad immortalia & ſēper manētia faciēdus.

Item quando homines, ad ea quæ ſuperant humani ingenij facultatem feruntur, hac enim ratione facillimo negotio in errores labuntur, *Eccl.* 3. 22
Eccleſ. 3. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, & in pluribus operibus eius, ne fueris curioſus*: Subdit, *multos enim ſupplantauit ſuſpicio illorum, & in vanitate detinuit ſenſus illorum.*

Secundò, inuenitur vanitas curioſitatis in hominibus quoad delectationem ſenſuum, ſicut patet in viſu, quæ non ſolùm eſt vana, & inutilis, ſed etiam noxia, impedit enim à melioribus, & fit maxima iactura temporis.

Idem accidit ijs qui in ſpectaculis & ludis cōſpiciendis, tempus conterunt, maximè verò eſt noxia curioſitas eorum, qui aſpectu mulierum ornatarum delectantur, ait enim Chriſtus,

Matth. 5. 28. *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est in corde suo*, Matth. 5.

Item vana & noxia est curiositas eorum, qui aliorum vitia diligenter aspiciunt, sua verò & ignorant & despiciunt. August. *Curiosum hominum genus, ad discutiendum vitia aliena, & desidiosum ad corrigendum sua:* De omnibus his

Hier. 2. 5. audi Hieremiam cap. 2. *Ambulauerunt post vanitatem & vani facti sunt*. Contrà, dicebat Dauid Ps. 118. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Tertia vanitas curiositatis, est circa ornatum corporis, & vestitum, vt videre est in mulieribus, vt pulchriores appareant, Prouerb. 31.

Vanitas iniquitatis. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timēs Deum ipsa laudabitur:* Quarta est iniquitatis, quę potissimùm spectatur in cogitationibus improborum hominum, Psal. 93. *Domine scis cogi-*

Psal. 93. 11. *tationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Tum etiam in affectibus, vt quando quis inordinatè diligit temporalia, quæ vana sunt, Nam illud dicitur vanum, quod non præbet præmium laboranti. Sed huiusmodi sunt temporalia, pro quibus acquirendis multùm laborat auarus, nullum tamen præmium bonum & æternum inde assequitur, de hoc Ecclesiastes cap. 2.

Ecclesiast. 2. 22. *Quid proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub Sole cruciatur? cuncti dies eius laboribus & ærumnis pleni sunt, nec per*

Ecclesiast. 4. 8. *noctem mente requiescit, & hoc nonne est vanitas?* Et cap. 4. *Vnus est, & secundus non habet filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis, nec recogitat, dicens.*

cur laboro, & fraudo animam meam bonis? in hoc *Prouer.* 11.
quoque est vanitas, & afflictio pessima. Prouerb. 11 28.
Qui confidit in diuitiis corruet: & ratio est quia
sicut dicit Gregor. *Qui labenti innititur, necesse*
est, vt cum labente labatur. Vnde temporalia de- *Psal.* 4.3.
cipiunt, quia eo tempore maximè hominem
deserunt, quo maximè indiget fulcimēto, Psal. *Temporalia vana.*
4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis menda-*
cium? Iob. 27. *Diues cum dormierit nihil secum au-*
feret, aperiet oculos suos, & nihil inueniet. Vana e- *Vanitas.*
tiam sunt temporalia, quia habenti non satiāt *Ecclesiast.*
appetitum. Ecclesiast. cap. 5. *Auarus non im-* 5.9.
plebitur pecunia, Et *qui amat diuitias fructum non*
capiet ex eis, & hoc ergo vanitas est. Item vani sūt
peccatores in suis sermonibus, Psal. 11. *Vana lo-*
cuti sunt, vnusquisque ad proximum suum. Item in
suis operibus. Hierem. 2. *Opera eorum vana sunt,*
& risu digna. Quia ergo omnes supradictæ va-
nitates reperiuntur in hominibus hîc in vita
degentibus, rectè Propheta dixit Psal. 38. *Quod* *Psal.* 38. 8.
vniuersa vanitas, omnis homo viuens: non quia
in quolibet viuente sint omnes supradictæ va- 143.5.
nitates, sed quia in omnibus illæ omnes etiā *Instabilitas*
reperiuntur. *hominis.*

Tertiò, in authoritate principali describitur
humana conditio ex instabilitate, cùm dicitur,
Dies eius sicut vmbra prætereunt. Psal. 143. No-
tandum, quòd quantò dies est minor: Quod
fit, quia tūc Sol capitibus nostris est proximior
& altior, vnde corpus minus lumini opponi-
tur, & ita fit, vt vmbra sit minor, vnde si Sol
suprà nos directè esset, nulla vmbra penitus

appareret, è contrario, quantò dies est minor, vmbra est maior: Quod fit, quia tunc Sol est à nobis remotior, sicut quando est in Occidente vel in Oriente. Sic etiam in hominibus accidit, quod quantùs dies prosperitatis est altior, tantò vmbra vitæ fit breuior. Eccl. 10. *Omnis potentatus breuis vita*: Quod accidit, vel

Eccl. 10.11. ex inuidia ambitiosorum qui magnis & elatis ad honores inuidêre solent, propterea sæpissimè ab illis vita priuantur: Vel ex immoderato appetitu diuitiarum, ob quas sæpius infirmantur & moriuntur: Vel ex diuina prouidẽtia id ipsum procedit, vt Deus ostendat dignitates, honores, potentias atque bona huius vitæ nihili facienda, nec appetenda, sicut ait Petrus Rauennas, de breui vita summorum Pontificum, reddens rationem, quare vt plurimùm vita eorum breuis esse soleat, quia sunt in summo dignitatis gradu: hi illud Sapient. 2. vsurpare possunt, *Vmbræ transitus, est tempus nostrum.* E contrariò quibus deficit prosperitas

Sap. 2. 5. temporalis, prolixior vmbra videtur, de his illud Hierem. 6. *Væ nobis, quia declinauit dies,*

Hier. 6. 4. *quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi*, hinc Iob. cap. 8. de omnibus pronuntiat ob vitæ humanę breuitatem. *Sicut vmbra, dies nostri sunt super terram.* Veruntamen qui iustè sanctè ac piè vixerunt, de hac vmbra ad lucem inaccessibilem

Iob. 12. 22. perueniunt, dum vitam hanc, cum morte cõmutant Iob. cap. 12. *Producit in lucem vmbram mortis*: Ad quam lucem, nos perducat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venien-

tem in hunc mundum Christus Iesus, benedictus in sæcula sæculorum. AMEN.

DE CALAMITATE PRÆSENTIS VITÆ.

THEMA.

Antequam Comedam suspiro, & quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus.

Iob. cap. 3. *Iob. 3. 25.*

NVllus est, qui meliùs calamitates, miserias, & pericula aliqua enarrare possit, quàm qui ea expertus est & sustinuit: Qui enim tantùm audiuit vel legit, non ita plenè & efficaciter exprimit & narrat, Ecclesiast. 14. *Eccl. 14.* *Qui nauigant marè, enarrant pericula eius*: Quia ergo Beatus Iob, maximas huius vitæ miserias, & incommoda expertus est, optimè sciuit illa recensere, sicut patet in verbis thematis, vbi enarrans miserias, quibus ipsemet agitatus est, communes etiam totius humanæ vitæ calamitates describit, cùm dicit: *Antequam comedam suspiro, &c.* Idque, vt illas suo exemplo patienter feramus. Ostenditur ergo ex tribus causis, quàm calamitosa sit hæc vita præsens. *Vita hæc calamitosa.*

Primò, propter defectum rei expetitæ.

Secundò, propter affectum rei expectatæ.

Tertiò, propter recessum rei vehementer dilectæ.

Circa primum, notandum est, hominem ie-

iunum, & cibo carentem antequam comedat, fame cruciari: Nec tamen si comedat totaliter
In hac vita hominis appetitus expleri non potest.
in hac vita posse satiari: Neque enim oculus satiatur visu, neque auris auditu, neque auari habendi cupiditas & sitis, auri possessione expletur: Idipsum æternæ vitæ reseruatur. Psal.
Psal. 16.17.
16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Semper igitur homo in præsenti vita fame vrgetur: huius rei figuram habemus in filio prodigo, qui existens in regione peregrina egens & famelicus
Luc. 15.17.
factus est, Luc. 15. *Quanti mercenarij* (inquit) *in domo patris mei abundant panibus, & ego hîc fame pereo*: Mercenarij isti sunt Sancti, qui pro adipiscenda mercede æterna multùm laborauerunt, *quia vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundùm proprium suum laborem*: Et isti nunc existentes in domo patris, vbi mansiones multę sunt, idest diuersi beatitudinis gradus, abundant panibus, idest, refectione & fruitione bo-
Luc. 14.15.
norum æternorum: hinc Luc. 14. *Beatus vir, qui manducabit panem, in regno Dei*: At verò illi qui adhuc viuentes sunt, antequam ad illam refectionem perueniant, quasi fame perire dicuntur, quia desiderijs æstuant, quæ minimè ad-
Ose. 4.
implentur: Oseæ 4. *Comedent & non saturabuntur.* Verùm aduertendum est, licet in hac vita non possit omnino expleri voluntas, posse tamen haberi refectionem ad necessitatem, quæ est gratiæ refectio: hæc licet non totaliter ex-
Refectio gratiæ.
pleat, *quia qui edunt adhuc esurient*, Eccles. 24. Tamen bene reficit animam, quantùm sufficit ad salutem: Et hæc refectio vehementer est

exoptanda & procuranda, antequam homo è viuis excedat. Idque illis verbis Christi significatum est, Luc. 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar:* In quibus verbis ostenditur quòd refectio spiritualis gratiæ, quæ in præsenti vita est nobis necessaria, quatuor in nobis requirit. *Luc. 22. 15.*

Primò, exigit appetitus auiditatem.

Secundò, præsupponit puritatis sinceritatem.

Tertiò, requirit pietatis communitatem.

Quartò, expetit temporis celeritatem.

Refectio gratiæ quatuor requirit.

Requirit ergo primò appetitus auiditatem, idest, vt cum magna auiditate gratia expetatur, propterea dicit, *desiderio desideraui*, vbi docet hominem famelicum duplici desiderio debere in gratiam ferri: alterum est, vt bene viuat: alterum vt bene moriatur, ita vt vnum sit propter alterum: Vnde quilibet apud se dicere debet, desiderio bene moriendi, desideraui gratiam bene viuendi. *Desiderium.* *Gratia debet expeti cum magna auiditate.*

Notandum porrò est, quòd ille dicitur bene mori, Cuius mors bonum terminum habet: Est autem triplex terminus mortis. Primus ad pœnam æternam, qualis est vsurariorum, & aliorum improborum hominum, sicut dicitur de Diuite Epulone, Luc. 16. *Mortuus est diues & sepultus est in inferno.* O miserrimum hominem, qui de palatio huius mundi, in tetrum carcerem à diabolo rapitur: De diuitiarum abundantia, ad æternam penuriam: De delitijs carnis, ad crudelia tormenta tortoris. Secundus *Triplex terminus mortis.* *Luc. 16. 22.*

terminus, est ignis purgatorij, qui quidem est bonus, quia licet secundùm August. Et sanctum Thomam, excedat omnes huius sæculi supplicia, redditur tamen homo securus de sua salute, & certitudine vitæ æternæ, cùm decedat in gratia, & charitate. Tertius terminus, est gloria paradisi, & ista mors est optima & multùm expetenda. Ad Philip. 1. cap. *Cupio dissolui & esse cum Christo*, idest frui vita beata, quę cum Christo apparet: ad Collo. 3. *Cùm autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Vbi est omnis boni abundantia, & omnis mali carentia. Quantùm verò ad desiderium bene viuendi, sciendum est, tunc hominem bene viuere, vt ait D. Bernard. quando viuit humiliter Deo, ordinatè sibi, & proximo, quibus prohibetur peccatum in Deum, in seipsum, & proximum. Ab his peccatis, qui vult bene viuere, opus est liberetur. Vt Dauid Psal. 118. precabatur. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas, in omni tempore.* Vbi dicit glos. Concupiscentia est semper rei habitæ, sed desiderium, potest etiam esse rei non habitæ. Ostendit ergo glosa triplicem esse gradum tendentium ad iustificationes, hoc est, ad iusta & bona agenda: Nam quidam sibi ob oculos proponunt, & meditantur quàm sit vtile & honestum bene agere, sed non vlteriùs progrediuntur vsque ad actum. Alij verò sunt, qui licet non expetant aut proponant sibi bona agere, dolent tamen de carentia illius desiderij, gauderent enim plurimùm si voluntatem haberent

ad Philip. 1. 23.

ad Coll. 3. 4.

Triplex gradus eorum qui bene agere cupiũt.

haberent parcendi inimico, dimittendi concubinam, restituendi vsuras, & aliorum huiusmodi; ad quæ cum maxima difficultate homines perueniunt, & in hoc gradu erat Propheta Dauid cùm dixit: *Concupiuit anima desiderare iustificationes tuas*, &c. Psal. 118. Tertius gradus est eorum, qui bona opera feruenter, perseueranter, & cum maxima delectatione implent, Prouerb. *Desiderium si compleatur oblectat animam*: Et tunc est signum hominem esse iustificatum. Vnum hoc loco obseruandum est, Prophetam non dixisse, iustificationes meas, sed tuas, ad excludendam iustificationem falsam, quæ est secundùm iudicium hominum, Luc. 16. *Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus*, hæc est hypocritarum: Est alia ex iudicio proprio, de qua 1. Cor. 4. cap. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*: Tertia est vera, quam assequitur homo, ex vera fide & bonis operibus, estque talis coram Deo & hominibus, de qua ad Galat. 3. *Quia ex fide Deus iustificat gentes*, quod intelligitur de fide viua & cum operibus. Iacob. 2. *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo.*

Iustificatio falsa quæ sit.

Luc. 16. 15.

Fides iustificat.

1. Cor. 4. 4.

ad Gal. 3. 6.

Iac 2. 24.

Refectio gratiæ requirit puritatem animæ.

Secundò, notatur in authoritate allata Luc. 22. 15. quòd refectio spiritualis gratiæ, præsupponit puritatem & sinceritatem, in hoc quod dicit, *hoc pascha*, quia hoc pascha, de quo loquebatur, erat Christus agnus paschalis, qui manducabatur cum azimis, puritatem, & sinceritatem mentis significans, quam vt assequeremur pro nobis in cruce immolatus est,

1. Cor. 5. 7. 1. Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azimis sinceritatis & veritatis.*

Refect. gratiæ requirit charitatis communicationem. Tertiò, refectio spiritualis gratiæ requirit in nobis charitatis & puritatis communicationem, quod significatur illis verbis, Luc. 22. *Manducare vobiscum*: Nonnulli enim ita sunt auari, vt nihil quidquam de suis bonis pauperibus erogare velint, sicut diues Epulo, qui etiam micas, quæ de mensa cadebant, Lazaro pauperi negabat: Sed tamen in morte velint nolint, omnibus suis bonis & opibus priuabuntur, & alijs relinquent: Vnde fit vt auarus nemini prosit, nisi post mortem, quemadmodum porcus, qui nihil commodi affert, nisi

Eccles. 11. 18. occisus. Vnde Eccles. cap. 11. *Est qui locupletatur parcè agendo: & hæc est pars mercedis illius, in eo quod dicit: Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus: Et nescit quod tempus prætereat illum, & mors appropinquat & relinquat omnia alijs, & morietur.*

Sed notandum hoc loco peccatori indigenti eleemosynam non esse recusandam, præcipuè si indigeat cibis ad sustentandam vitam,

Luc. 15. 2. Luc. 15. id ipsum Christus nos docuit, *hic peccatores recipit & manducat cum illis.*

Refect. gratiæ temporis celeritatem requirit. Quartò, refectio spiritualis gratiæ, temporis celeritatem requirit: Idcirco suadendum est Christiano, dum bona & firma vtitur valetudine, sæpissime confiteatur, pœnitentiam agat, & corpus Chtisti recipiat: pœnitentia enim & confessione homo sanctificatur, & per Eucha-

ristiam roboratur aduersus hostes animæ, in articulo mortis potissimùm. Hoc figuratum videtur in Isaac senescente, qui Genes. 27. alloquens filium dixit. *Affer mihi de venatione tua, vt comedam antequam moriar*: Vbi per Isaac senio confectum, intelligendus est homo morti proximus, Nam vt habetur, Hebr. 8. *Quod antiquatur & senescit, prope interitum est*. Hic antequam moriatur refici desiderat, de cibis ex venatione factis: Per quam refectionem intelligi debet sacra communio, quàm præmissa pœnitentia, debet moriens ante mortem requirere, tanquam socium & viaticum itineris. Rectè verò dicitur cibus de venatione factus, quia videlicet assumitur corpus Christi, quod Dei verbum suscepit, & in hunc mundum venit ad venationem animalium, hoc est peccatorum, more brutorum & sine ratione viuentium: Propterea Christus venator robustus coram Domino, alios venatores, hoc est prædicatores misit, sicut promiserat, Hierem. 16. *Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos*. Dixit cibos in plurali Gen. 27. quia licet in sacramento Eucharistiæ, ex vi sacramenti sit tantùm Christi corpus, quod est cibus viatorum: Tamen ex reali concomitantia, est etiam ibi verbum, quod quidem est cibus beatorum, noster verò, per incarnationem, *Dum Verbum caro facto est, & habitauit in nobis*.

Gen. 27. 7. *Hebr. 8. 13.* *Hier. 16, 16.* *Ioh. 3. 25.*

In prima parte principalis authoritatis ex cap. 3. Ioh. tangitur etiam refectio satietatis, in eo quod sequitur, *Comedam*. Vbi animaduer-

Refectio satietatis quæ in hac vita esse non potest.

te comestionem satietatis illam dici, quæ tamen totaliter expellit: Quæ triplex est in homine. *Fames in homine triplex.* Prima est secundùm intellectum, vehemens scilicet sciendi desiderium, omnes enim homines natura scire desiderant, inquit Philosophus 1. Lib. Metaphi. Verùm homo studeat quantùm voluerit, nusquam tamen hic satiabitur, *1. Fames hominis.* propter defectum cognitionis. Vnde Themistius, *Ea quæ scimus, minima pars est corũ quæ ignoramus*, Cùm ipse intellectus alia scire semper expetat: *1. Cor. 13. 9.* 1. Cor. 13. *Nunc ex parte cognoscimus*: Cùm enim nostra cognitio à sensibus petatur, non possumus in hac vita animo complecti, nisi naturas rerum, quæ sub sensus cadunt: Quæ enim sunt insensibilia, intelligibilia & manifestissima secundùm naturam, ratione nostri intellectus ita se habent, sicut oculus noctuæ ad lumen Solis: Et licet talia aliquo modo, *Eccl. 3. 25.* per fidem cognoscamus Eccl. 3. *Plurima supra sensum hominum ostensa sunt*: Eorum tamen cognitio est imperfecta & obscura: vnde sequitur neque illam cognitionem explere *Scientia inflat.* posse sciendi appetitum, licet sæpissimè inflare soleat. *1. Cor. 8. 1.* 1. Cor. 8. *Scientia inflat*, scilicet eos, qui de sua scientia superbiunt & intumescunt, hi similes sũt dæmonibus, qui de sua cognitione Deo gratias non agunt, sed extolluntur: Alij sunt, quos cruciat scientia, intelligo eos, qui ad lucrum & quæstum eam referunt, sicut medici, & iuristæ, & alij huiusmodi. *Eccl. 1. 18.* Eccles. cap. 1. *Qui addit scientiam, addit & laborem*, quia dum de scientia sua illicitè lucrantur, dolorem sibi

acquirunt æternę damnationis:horum nec ſatiatur in hac vita ſciendi & lucrandi cupiditas, Leuitici *Comedetis & non ſaturabimini.*

Secunda eſt fames,id eſt deſiderium carnis, quo homo delectationem corporis expetit, qualis eſt gulæ & Veneris:qui quidem appetitus eſt inſatiabilis, vnde Prouerb.13.*Venter impiorum inſatiabilis*: Licet enim ſtomachus cibo repleatur,non propterea ceſſat guloſæ delectationis appetitus: Idem de luxurioſo affirmare poſſumus, ſicut legitur de Meſſalina vxore Imperatoris Tyberij,quæ tantæ fuit libidinis, vt aliquando,cùm ad proſtibula ſeſe cõferret, omnibuſque ſe ſupponeret,inde potius defatigata,quàm ſatiata rediret: Et in eo carnis delectationes ab animæ delectationibus differunt: Quæ enim ſunt ſpiritus,animam reficiunt & impinguant,vt manifeſtum eſt in eo,qui bona agere & virtutes exercere voluptatem capit, hinc Eſayæ 55. cap. *Comedite bonum, & delectabitur in craßitudine anima veſtra.* Quæ verò corpus afficiunt,euacuant animam, nec explent appetitum. Eſay.9. cap. *Comedet ad ſiniſtram & non ſatiabitur*: Ille comedit ad ſiniſtram, qui paſcitur delectatione carnali, Qui verò ſpirituali, comedit ad dextram.

Secunda fames hominis.

Prou.13.26.

Libido inſatiabilis.

Eſa.55.3.

Eſa. 9. 20.

Tertia fames illa eſt,quę & ad corpus & animam ſpectat,hoc eſt ad pacem & quietem: Talis appetitus non poteſt ſatiari, quia conſiſtit in repugnantia ſuipſius, *Nam caro ſemper concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus aduerſus carnem*, ad Gal.5. Et Matth. 26. *Spiritus quidem*

Tertia fames hominis.

ad Gal.5.17
Matth. 26. 41.

promptus est, caro autem infirma est: Oriuntur etiã sæpenumero multę discordiæ inter maritum & vxorem, Patrem & filium &c. quæ pacem & quietem tollunt, imò se inuicem mordent, & quasi consumunt ad Galathas cap 5. *quod si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consummamini*: Mordebant, sibi inuicem detrahendo, comedebant se, damnum & incommodũ inferendo: Istę ergo malæ sunt comestiones, quæ non satiant, sed potius cruciant. hinc Aggæi. cap. 1. *Comedistis, & non estis satiati*. Contrarium accidit in futura vita, quia nõ esurient, neque sitient amplius. Apoc. *Et erit omne desiderium implens*. Iuxta illud Psal. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum*, Psal. 64. 5. *Replebimur in bonis domus tuæ &c. Tunc ergo edent pauperes, & saturabuntur.*

ad Gal. 5. 15. — *In futura vita omne desiderium satiatur.* — *Psal. 102. 5.*

SECVNDO, in authoritate principali, quæ est Thematis, Iob. 3. calamitas vitæ humanæ ostenditur, per affectum rei expectatæ, cùm dicitur: *Suspiro*. Nam absentia longa, & incerta expectatio rei quam homo vehementer desiderat, affligit, & suspirare facit, vt iustus in hac vita ex magno desiderio cœlestis patriæ, vehementer & frequenter suspirat: Est autem duplex suspirium, Alterum ex dolore, alterum ex amore procedens. Qui attentè considerat calamitates huius vitæ, ad suspirium doloris prouocatur: Qui autem cogitat de præmio & gaudijs futuræ vitæ, ad suspirium amoris accenditur. Huius rei figuram habemus Iudic. 1. cap. in Axa filia Caleph, Quæ cum suspiras-

Vita humana calamitas. — *Duplex suspirium.* — *Iudic. 1. 14.*

ſet ſedens in aſino, dixit ei pater ſuus: *Quid habes?* At illa reſpondit, *Da mihi benedictionem, quia terram arentem dediſti mihi, iunge & irriguã aquis: Deditque Caleph irriguum ſuperius, & irriguũ inferius.*

Axa ſignificat animam, quæ ſedet in Aſino, id eſt, in corpore: hæc compuncta, ſuſpirat prę dolore, præ amore cœleſtis patrię: Et petit à patre benedictionem, ſcilicet, miſericordiæ & gratiæ, ſciens ſuis meritis non poſſe mala præſentis vitę euadere, vel bona cœleſtia poſſidere: Vnde conqueritur, primò de incolatu præſentis miſeriæ, his verbis, *Terram arentem dediſti mihi*, id eſt, poſuiſti me in mundo, qui eſt terra arens & ſicca prę paucitate aquæ: hoc eſt, gratiæ, Et hæc ariditas accidit ob ingratitudinem hominum, Quia ingratitudo, ſecundùm Bernardum, eſt ventus vrens, exſiccans fluenta gratiæ, Quàm multi ſunt hoc tempore homines, vt ait Apoſtolus, *ſeipſos amantes, ingrati, ſine fœdere, ſine miſericordia*, Ita vt dicere poſſumus, *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.*

Petit etiam anima à Deo abundantiam cœleſtis gloriæ, dicens, *Iunge & irriguam aquis*: Ea eſt, cœleſtis patria, terra firma, & ſtabilis, vbi non eſt generatio neque corruptio. hinc Eccleſ. cap. 1. *Generatio præterit & generatio aduenit, terra autẽ in æternũ ſtat.* Dauid Pſal. 141. illã terram poſſidere expetebat, *Portio mea ſit in terra viuentium.* hæc eſt aquis irrigua, id eſt, abundãs omnibus bonis, Geneſ. 13. *Vniuerſa irrigabatur, ſicut paradiſus Domini*: Sed pater dedit, id eſt

Eccl. 1. 4.
Pſal. 141 7.
Geneſ. 13. 10

Deus, *in fine irriguum superius, & irriguum inferius*, id est gloriam & perfectionem summam animæ & corporis.

Vita humana calamitas. TERTIÒ, in verbis thematis, vitæ humanæ calamitas ostenditur, propter rei dilectissimæ defectum, cùm dicitur, *Et quasi innundantes aquæ, sic rugitus meus*: Nam quando aliquis è vita excedit, charissimi illius amici, maximo afficiuntur luctu & tristitia: Vbi obseruandum est, in luctu, qui fit pro mortuis, primò nobis lachrymarum humidarum fletus apparêre, & ideo dicit *quasi innundantes aquæ*, scilicet lachrymarum: Item auditur lamentantium rugitus, ideo subditur, *sic rugitus meus*, id est pro me moriente aut mortuo, fiet ad gemitum & dolorem interiorem ostendendum. sicut Psal. 37. *Rugiebam à gemitu cordis mei.* *Psal. 37, 8.*

Hìc nota quosdã antiquos dixisse mortuos non esse lugendos, Valer. Max. Lib. 2. narrat, consueuisse Thraces diem natiuitatis cum fletu celebrare, diem verò mortis, cum hilaritate: Idque approbat, quia mundi huius semotis delicijs, quæ sępe ad turpia cogunt, finis vitæ beatior reperitur, quàm initium, quod est ad miseriam, finis verò liberatio à miseria. Diuina tamen scriptura lugendos mortuos non denegat, sed concedit Hierem 9. *Quis dabit capiti meo, fontem lachrymarum? Et plorabo Die ac nocte interfectos filiæ populi mei.* Idque cum ratione fieri certum est: primò quidem ad mitigationem doloris, ex eo quòd lachrymarum effusio, interiorem dolorem mitigat, Nam

Hierem. 9. 1. Mortui sunt lugẽdi.

Flendi mortui.

interiùs clausus dolor, augetur, effusus exteriùs, per lachrymas exhalatur & minuitur: Inde D. August. de ser. refert, cùm esset de morte cuiusdam amici valde contristatus, in solis lachrymis inueniebat aliquantulam requiem.

Secundò, conceditur lachrymarum fletus, ad commiserationis ostensionem, ita Christus Dominus fleuit super Lazarum mortuum. Scriptura tamen iubet, ne ille fletus sit immoderatus more Ethnicorum: Eccles. 22. *Modicum plora super mortuum*: Quod potissimũ intelligitur, quando mortuus bene dispositus obijt, & in gratia Dei, de hoc potius gaudendum, quàm lugendum. Vnde Dominus Passioni & morti proximus dixit: Ioan. 14. *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem*, scilicet ad gloriam & æternæ vitæ gaudia possessurus. Ad quę nos perducat qui sine fine viuit & regnat benedictus Dominus Iesus. Amē.

Eccl. 22. 11.

Ioan. 14. 28.

CONCIO QVINTA, DISTINCTIONIS PRIMÆ.

De tædio huius præsentis vitæ.

THEMA.

Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam aduersum me eloquium meum. Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, noli me condemnare.

Iob. 10. cap.

Triplex opinio de prolongatione vitæ.

TRIPLEX fuit apud antiquos opinio, de humanę vitæ prolongatione. Prima Græcorum quorundam, qui dixerunt eam aliquãdo fieri ratione amoris, quia nisi homo amaret, nunquam operaretur, & si nihil ageret, deficeret, vnde colligebant amorem esse causam prolongationis vitæ.

Secunda opinio, fuit Ægyptiorum, qui arbitrati sunt, vitam prolongari ratione delectationis, quia homo non potest sine delectatione viuere, vt patet in melancholicis, qui nimia tristitia affecti, sæpe moriuntur.

Tertia est Christianorum, qui ad concordiam, vitę prolongationem referunt, siue illa sit naturalis, & ex humorum & elementorum temperantia, siue sit ex ciuium vnitate, aut

charitate. In his omnibus patet concordiam effe cauſam conſeruationis vitæ hominis: In primis videmus multos perire & mori in bellis & prælijs ante tempus & terminum vitæ naturalis: hinc Chriſtus dixit ſuis diſcipulis. *In quamcunque domum intraueritis primùm offerte pacem.* 1. Petr.3. *Qui enim vult diligere vitam & videre dies bonos, inquirat pacem & perſequatur eã.* Plerumque tamen accidunt hominibus contraria, quæ vitam eis nullo modo amabi'em reddant, ſed potius finiri quamprimùm expetant, Quod Iob oſtendere videtur in verbis ſuperiùs propoſitis in Themate, dicens, *Tædet animam meam vitæ meæ &c.* Docet igitur hanc vitam quatuor habere conditiones, ob quas non expetendam exiſtimat.

Pax cauſa cõſeruationis vitæ humana.

1. Pet. 3. 10.

Prima, quia propter miſeriam, eſt oneroſa.
Secũda, quia propter culpam, eſt queruloſa.
Tertia, quia propter pœnã eſt dolore plena.
Quarta, quia propter iuſtitiã, eſt formidãda.

Circa primum aduertendum eſt, aliquid per ſe amabile, effici per accidens odibile, vt ſcire, eſt per ſe appetibile, Omnes ſcire natura deſiderant, vt dicit Philoſophus: pigris tamen, propter laborem eſt iniucundum. hinc Prouerb. 1. *Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt*: Et meritò vocantur ſtulti, qui propter modicum laborem, tantum bonum negligunt, quantum eſt ſcientia & doctrina. Item quandoque famelicus cibum appetibilem, & delectabilem ex ſe refugit, ratione cuiuſdam qualitatis inhærentis, quam talis cibus corpori imprime-

Vita hominis oneroſa, & cõtemptibilis.

Prouerb. 1. 7

Iob. 6. 6. ret, Iob. 6. *Nunquid potest aliquis gustare quod gustatum affert mortem*: Inde ergo licet omnibus animalibus vita sit maximè amabilis & chara, eam enim omnia animalia tueri & defendere laborant, mortemque & interitum exhorrent atque refugiunt: Tamen propter miserias, & incommoda illi annexa, sapientibus viris est contemptibilis & odiosa: vnde Sap. 2. *Exiguum & cum tadio, est tempus vitæ nostræ*: in quibus quidem verbis ostenditur tempus humanæ vitæ quadruplici ratione contemptibile esse.

Sap. 2. 1.

Vita nostra cōtéptibilis propter quatuor.

Primò, ratione breuitatis, quia exiguum est.

Secundò, ratione grauitatis, quia cum tædio est.

Tertiò, ratione varietatis, quia tempus est.

Quartò, ratione paupertatis, quia vitæ nostræ est

Tempus vitæ nostræ breue & exiguum.

Habet ergo tempus vitæ nostræ breuitatē, quia exiguum est, quod colligi potest respectu quatuor: Primò respectu itineris peragendi: Secundò diluendi criminis: Tertiò respectu expectandi muneris: Quartò, vitandæ pigritudinis: Quæ omnia occurrunt in ipso decursu humanæ vitæ. Primò, dico respectu itineris, quia cùm alicui conficiendum est longum iter, & ei terminus breuis assignatur, dicitur habere tempus exiguum. Atque iter quod homo habet conficiendum, est longissimum, est enim de terra hac infima ad cœlum, id est, de hac vita ad æternam: Cuius itineris tanta est longitudo, quanta est distantia meritorum no-

ſtrorum ad futuram gloriam. Ait enim D. Paul. Rom. 8. *Non ſunt condignæ paſsiones, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Propterea dicitur Eliæ 3. Reg. cap. 8. *Grandis tibi reſtat via.* Terminus autem aſſignatus huic itineri admodùm breuis eſt, eſt enim ſpatium huius vitæ breuiſſimũ Iob. 24. *breues dies hominis sũt.* Vnde Seneca dicit tempus eſſe punctum, quo viuimus, reſpectu æternitatis ad quam pergimus Eccleſ. 18. cap. *Numerus dierum hominũ, vt multùm centum anni, quaſi aqua guttæ maris deputati ſunt, & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die æui.* Inde colligo ſemper vigilãdum eſſe, & incumbendum bonis operibus, vt ſuadet Apoſtol. 1. Cor. 9. *Sic currite vt comprehendatis.*

Rom. 8. 18
3. Reg.
Eccl. 18. 8.
1. Cor. 9.

Secundò tempus hominis eſt exiguum, reſpectu diluendi criminis. Nam ſi quiſpiam virum clarum & illuſtrem offenderit, omnibus modis eum placare nititur, ſæpeque nihil proficit: Vnde Abſalon cùm fratrem Ammon occidiſſet, vix potuit, multò poſt tempore, placare Regem Dauid per Ioab, & per mulierem Thecuitidem 2. Reg. 14. Quantò magis ergo longius tempus, & ſolicitudo major requiritur ad placandum Regem Regum, & Dominũ Dominantium, quem toties offendimus? Et tamen tanta eſt ſtultitia noſtra, vt ne vnum diem, Imò ne horam quidem ad ſatisfaciendum illi, & ad remiſſionem peccatorum obtinendam impendere velimus: Imò potius ad articulum mortis noſtram pœnitẽtiam remittamus: Inde cæcitas, peruerſitas & ſtultitia

2. Reg. 14

multorum maximè apparet.

Tertiò, dicitur tempus hominis esse breue, siue exiguum, respectu expectandi muneris, id est remunerationis cœlestis: Videmus enim eos qui ab aliquo Prælato, aliquod beneficium Ecclesiasticum sperant se impetraturos, multo tempore illis inseruire, eos colere & venerari, in omnibus illis obedire, Quod si contingat aliquod ab illis obtineri, ignorant quanto tempore illo gaudere debeant: quandoquidem post multas impensas & labores insumptos, frequenter qui obtinuit beneficium statim è viuis excedit, sicque inanis est labor, & vanæ expensæ. Quod si ita est, quid agendum putas? quantùm temporis & laboris insumere debent homines, vt beneficium illud cœleste, infinitum, indeficiens, immortale, omnibus bonis affluēs & æternum consequantur? Deus aliter se habet, quàm Domini temporales, qui paruo præmio, multos labores remunerāt, Eccles. 20. *Exigua dabit, & multa improperabit.* At
Eccl. 20. 15.
verò Deus pro exiguo seruitio, exiguique tēporis, *Dat omnibus affluenter, & nihil improperat* D. Iacob. cap. 1.
Iacob. 1. 5.

Quartò, Dicitur tempus hominis exiguum, propter pigritiam & negligentiam nostram, quia homini negligenti & pigro, etiam multum tempus ad operandum videtur esse exiguum. At verò quis nescit nos negligentes esse admodum ad actiones virtutum exercendas, ad agendam pœnitentiam, & ad gratiam Dei impetrandam? qua ad regnum Dei & gau-

dia æterna peruenitur: Quæ negligentia quãdoque manat ex infidelitate, quandoque ex tepiditate, nonnunquam ex infirmitate, aliquando ex malitia, Ex infirmitate, Sapient. 9. *Homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum*: Homo infirmus dicitur propter infirmitatem, & minor ad intellectum, propter stoliditatem, & *exigui temporis*, siue respectu itineris, siue respectu criminis, siue respectu muneris, siue respectu pigritiæ. *Sap. 9.5.*

Secundò, vita humana ostenditur contemptibilis ratione grauitatis, quia cum tædio est. Quo quatuor genera hominum videntur affici: Primò murmur, clamorem, aut stridorem audiẽtes, sicut dicit Glosa super cap. 15, Matth. quod discipuli dixerunt Christo de muliere Chananæa, *Dimitte eam, quia clamat post nos*, tãquam tædio clamoris eius carêre cupientes: Sic spiritualiter tędio afficimur, quia vndique murmurantes audimus, dum vel bene viuere, vel mundum relinquere, aut Deo inseruire deliberamus, Eccl. 29. *Loquetur verba tædij & murmurationum*, scilicet Dæmon, caro, mundus, vel conscientia. *Quatuor genera hominum tædio afficiũtur huius vitæ.* *Mat. 15.23.* *Eccl. 29.6.*

Secundò, tædio multi afficiuntur aduersa & dura sustinentes, vt sunt morbi & infirmitates, hostium persecutiones, & Tyrannorum oppressiones, multique alii euentus graues, & qui vix tolerari possunt 2. Cor. cap. 1. *Supra modum grauati sumus, supra virtutem nostram, ita vt nos vitæ tædeat.* *2. Cor. 1.8.*

Tertiò, afficiuntur tædio, nimium laborem

varietatis: Et hoc propter tempus, quod continuò variatur: Sicut enim tempus, ita vita humana per quatuor ætatum tempora mutatur.

Prima ætas est puerilis. Secunda virilis. Tertia senectus. Quarta decrepita ætas: In quibus omnibus multæ mutationes & miseriæ accidunt. *Ætatum diuersitas.*

Verùm obseruandum est, tempus datum esse ad exercitium virtutum: Ad quod temporis proprietates nos inducere videntur: Quia pertinet ad iustitiam, æqualitatem, & communitatem seruare sine personarum acceptione, hanc autem communitatem tempus præcipuè seruat: Vnde vsurarij sunt nequissimi, qui illud quod Deus fecit commune, vendunt. Sunt nonnulli, qui nihil commune esse vellent, vt auari: Alij verò, qui etsi communia quandoque distribuant, tamen amore pecuniæ & acceptione personarum, æqualitatem non seruant, quos omnes redarguit temporis communitas & æqualitas: Ideoque ait Dauid aduersus eos, Psal. 74. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo*: Et è contrariò, de his qui iustum & æquum seruant, Psal. 105. *Beati qui custodiunt iudicium & faciunt iustitiam in omni tempore.* *Tempus datum est ad exercitium virtutum.* *Psal. 74. 2.* *Psal. 105. 3.*

Secundò inducit nos tempus ad actus fortitudinis: Pertinet enim ad virum fortem, non otio vel ignauia torpescere, nec propter aliquam difficultatem, ab opere virtutis desistere: Quæ omnia tempus ostendit: Nam nusquam tempus quiescit, sed continuè & successiuè suum cursum peragit: In quo nos docet

pigritiam esse fugiendam. Idipsum etiam temporis pretiositas nobis commendat. Nam (inquit) D. August. *nihil tempore est pretiosius*: Quia ex omni possessione, simul duo haberi possunt, sed duo temporis momenta minimè, vnde tempus recuperationem non recipit: Hinc D.

ad Gal. 6. 10. Paul. ad Gal. 6. cap. *Dum tempus habemus operemur bonum*: Breuitas temporis idem persuadet.

1. Cor. 7. 29. 1. Cor. 7. *Tempus breue est*: Propterea sollicitè non pigrè operandum: Item tempus si in hyeme senescit, in vere reuiuiscit.

Ephes. 5. 16. Ephes. 5. cap. *Redimentes tempus, &c.*

Prudentia. Tertiò, tempus nos inducit ad actus prudentiæ: *Est enim prudentia*, (inquit Aristot. li. 6. Ethic.) *Rerum agibilium recta ratio*: Pertinet enim ad prudentiam moderatè, & cum mensura agere: est autem tempus, mensura rerum mutabilium, vt Philosophia docet: Vnde quia omnis actio hominis, est cum motu & tempore, debet prudens in operibus suis, se tempori conformare, vt omnia agat cum debita mensura: id significatur,

Luc. 12. 42. Luc. 12. *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, &c.*

Temperantia. Quartò, tempus inducit nos ad vsum temperantiæ, quæ maximè est necessaria ad salutis & gratiæ spiritualis conseruationem, quia nihil est salubrius corporibus bene dispositis, tempore moderato. Hinc Hypocrates, temperatis moribus, si tempora temporaliter se habuerint, boni erunt status, & maximè bonæ enunciationis fiunt ægritudines: Temperan-

tia igitur plurimū confert ad salutem corporis & animæ, & intemperantia nocet, Eccles. 3. *Est tempus sanandi*, scilicet per temperantiam, *Et tempus occidendi*, per intemperantiam. Eccl. 3. 3.

Ostenditur etiam authoritate citata ex Sap. cap. 2. vitam nostram esse contemptibilem ratione paupertatis: Pauperes enim in hoc mundo sunt contemptibiles. Atqui vita nostra pauperrima est, quia nihil habemus, & omnia ab alio expectamus, 1. ad Timoth. 6. cap. *Nihil enim intulimus in hunc mundum.* Omniaque nostra Dei sunt: Vnde stultus ille maximè iudicandus est, qui de eo gloriatur, quod est alterius, 1. Cor. cap. 4. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Verùm quia nullus est, qui non fieri diues expetat, facillimum erit cuiq; diuitias acquirere: Si videlicet Deum timeat, & amet. Tob. c. 4. *Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato.*

Vita nostra contemptibilis. *1. ad Timot. 6. 7.* *1. Cor. 4. 7.* *Tob. 4. 12.*

SECVNDÒ, in authoritate Them. Iob. 10. cap. docetur, quantis querimonijs referta sit vita humana: Ille enim qui ob propriam culpam patitur, de seipso conqueritur, quod est seipsum accusare: Ille autem seipsum accusat, qui culpam confitetur: Si sit apud Deum, absoluitur & liberatur, quia apud pijssimum iudicem, est impetratio veniæ, ipsa recognitio culpæ. Hinc Dauid Psal. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* In quibus verbis, aduerte

Iob. 10. 1. *Vita nostra querimonijs plena.* *Psal. 31. 6.*

quinque conditiones, quas debet habere confessio, antequam consequatur quis remissionem peccatorum.

Quinque conditiones confessionis. *Iacob. 5 16.* Prima est, vt sit præmeditata. Esa. 43. *Dic tu prior iniquitates tuas vt iustificeris.* Secunda, vt sit clara & aperta. Iacob. cap. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Tertia, vt sit accusatoria, non excusatoria, Psal. 50. *Peccatum meum contra me est semper.* *Psal 50.6.* Quarta, vt sit propria. Psal. 31. *Psal. 31.* *Iniustitiam meam non abscondi.* Quinta, vt sit secreta: Illa autem est, quæ fit Domino, id est vicario Domini: Vnde sacerdos qui per confessionem scit aliquid, non vt homo, sed vt Deus scit, quia illi reuelatum est non tanquam homini, sed tãquam Christo, cuius vices gerit. *Ps. 108. 26.* *Confessio.* Psal. 108. *Confitebor Domino nimis in ore meo.*

Vita nostra est dolorosa. TERTIO, in authoritate principali ex cap. Iob. 10. 1. ostenditur quàm vita nostra sit dolorosa, illis verbis, *Loquar in amaritudine animæ meæ*: Quod si fiat per deuotam orationem & contritionem, amaritudo in dulcedinem conuertetur. Cuius figura apparet in Anna. Lib. 1. *Lib. 1. Reg. 1 10.* Reg. cap. 1. *Quæ cùm esset amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter*, Et postea exaudita fuit, & consolata: *Memoria crucis plurimùm valet ad consolationem animæ.* Multùm etiam ad consolationẽ animæ valet memoria crucis & passionis Domini. Exod. 15. figuram habemus, vbi Dominus Moysi lignum ostendit quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt: Istud lignũ *Exo. 15. 26.* præfigurabat crucem Christi. Bernard. *Videntes* (inquit) *amaritudinem Christi, faciliùs portabitis vestras.*

Item hîc notandum eſt, animam noſtram eò magis rerum terrenarum amaritudine affici, quò vehementiori in eas fertur amore: Et è contrario tanto plus de cœleſti percipit dulcedine homo, quantò magis eſt à rerum caducarum affectu purgatus: Cuius exemplum eſt in aqua: Nam aqua marina, quæ miſta eſt cum craſſo vapore & terreſtri, amara eſt & ſalſa: At verò aqua dulcis, minimè. Ita amor terrenus, animam veluti terreſtrem reddit: *Quia anima*, vt ait Hugo à Sancto Victore, *in illius rei ſimilitudinem, quam diligit transformatur*: Eam etiam ad rerum ſpiritualium contemplationem maximè ineptam efficit: Dum igitur illo amore anima flagrat, multiplici afflictione vexatur. Verùm ſi illo fuerit liberata. aëri autem ſeu ſpirituali coniuncta, omni cœleſti dulcedine circumfluens, mirificis conſolationibus replebitur. Prouerb. 27. *Anima ſaturata*, hoc eſt, repleta terrenis affectibus, *calcabit fauum*, id eſt, rerũ ſpiritualium dulcedinem: *Anima verò eſuriens*, ſcilicet iuſtitiam, vel vehementer appetens cœleſtia, *etiàm amarum*, ſcilicet huius mundi curſum, *pro dulci ſumet*.

Amor rerum terrenarum à contemplatione cœleſtium auertit.

Prou. 27. 7.

Iob. 10. 1.

QVARTÒ, in Themate, quàm hæc vita ſit formidanda monſtratur, præcipuè propter iuſtitiam diuinam, cùm dicitur, *Dicam Deo, noli me condemnare.* In quibus verbis tangit duo, quæ ſunt etiam viris ſanctis maximè formidabilia: ſcilicet, ſententia damnationis, Et iudicium ſtricti examinis.

Vita humana formidanda.

In iudicio generali duo maximè reformidanda.

Quantùm autem ad primum ait, *Dicam Deo,*

ſcilicet non me excuſando, ſed piè ſupplicādo, *Noli me condemnare.* Eſt autem ſententia vltimæ damnationis metuenda, quia data amplius reuocari non poteſt, neque per appellationem, quia crimen cuiuſque omnibus patebit, etiam per propriam confeſſionem cuiuſque, & euidentiam facti, ait enim D. Hieronimus, omnia omnium opera veluti in tabula quadam deſcripta, omnibus oſtendenda. Neque etiam per ſupplicationem ſubleuari poterunt damnādi, hoc quidem habet locum in iudicio humano, non autem in generali & diuino: Quandoquidem licet beata Virgo, Apoſtoli, martyres, & ſancti omnes intercederent, non exaudirentur.
Prou.6 34. Prouerb. 6. *Non acquieſcet cuiuſque precibus:* Neque falſum obijci poterit, Cùm omnia ſint nuda & aperta iudici, qui eſt prima veritas, & ſapientia, nec falli aut circunueniri poteſt: Aduerſus quam nullius erunt momenti Aduocatorum loquacitates, Philoſophorum Sophiſmata, & argutiæ callidorum & verſutorum hominum: Non etiam poterunt iuuari per
Heb. 6. 4. pœnitentiam, Heb. 6. *Impoſsibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati rurſus renouari ad pœnitentiam,* ſcilicet, qui prolapſi ſunt per finalem impœnitentiam. Ibi enim feretur aduerſus impios, æternę damnationis ſententia: Aduerſus quam
Iob. 9. 20. nullus ſe poterit iuſtificare, Iob. 9. cap. *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.*

Secundum vero maximè reformidandum eſt, diſcuſſio ſtricti examinis, quæ ipſam ſententiam præcedit, de qua ſcribitur; *Indica mihi*

cur me ita iudices, id eſt, fac mihi notam culpam, pro qua debeo iudicari, vt poſſim ante examen, eam corrigere & emendare: Nam illa diſcuſſio quæ ibidem fiet, ita erit exacta, quòd nullus apparebit iuſtus, propterea ita precabatur Dauid, Pſal. 142. *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Auguſt. etiam in lib. confeſſionum. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, ſi remota miſericordia diſcutias eam.* Rogemus igitur Deum optimum maximum, vt nobiſcum miſericorditer agat remiſſionem peccatorum, & gratiam conferat per quam ad regnum cœleſte nos perducat Chriſtus Dominus, qui viuit & regnat, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſ. 142. 2.

DE FRAGILITATE HVMANÆ VITÆ.

THEMA.

Quæ eſt vita veſtra, vapor ad modicum parens.

Iacob. 4. cap.

Iacob. 4. 14.

VAlerius Maximus lib. 2. cap. 1. ſic habet, *Naturalis dulcedo vitæ, multa homines turpiter facere & pati cogit*: Quod intelligendum videtur de dulcedine vitæ carnalis & corpo-

Vita huius dulcedo ad turpia cogit.

ralis: Propter quàm, homines inordinatè carnis voluptates appetunt, & quæ eidem sunt contraria refugiunt. Idirco in peccata luxuriæ & gulæ homines cadunt, in quibus multa turpiter agunt & patiuntur: Dulcedo igitur huius vitæ, ab ijs quæ difficilia sunt auocare solet. Cùmque virtutes circa ardua versentur, nō est mirùm quod ab operibus honestis ea retrahamur: Licet illa dulcedo vitæ carnalis plurimùm delectabilis videatur, breuis tamen est, & exitus amaritudine plenus. Cuius figura habetur Apocal. 10. vbi ait D. Ioannes, *Accepit librum de manu Angeli, & deuorauit illum: & erat in ore meo, tanquam mel dulce, & cùm deuorassem, amaricatus est venter meus.* Iste liber est voluptas carnis, & amor huius vitæ, & in hoc libro, lex concupiscentiæ scripta est, quæ suadet delectabilia carnis, vnde primò dulcedinem & post amaritudinem, ideoque est illa meretrix, de qua Prouerb. 5. *Fauus distillans, labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima eius sunt amara, quasi absinthium.* Volens igitur Beatus Iacobus, nos à fallaci dulcedine vitæ carnalis retrahere, & eam nobis contemptibilem reddere, describit eius vilitatem & fragilitatem, dicens, *Quæ est vita vestra, &c.* In quibus verbis tria facit.

Apoc. 10. 10.

Voluptas & amor huius vitæ.

Prou. 5. 3.

Primò, inquirit humanæ vitæ proprietatē. Quæ est, id est, qualis est:

Secundò, ostendit ipsius fragilitatem, quia vapor, id est, vapori similis.

Tertiò, subiungit ipsius breuitatem, quia

ad modicum parens, id eſt apparens.

Circa primum aduertendum eſt, D. Iacobũ nolle inquirere, de proprietate vitæ ſpiritualis gratiæ & gloriæ, quia quemadmodum illa eſt à nobili & glorioſo principio, videlicet à Chriſto: Ita etiam facit nos apparêre & nobiles & glorioſos, ad Colloſſenſ. 3. cap. *Cùm autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum Chriſto in gloria.* Vita veſtra, id eſt cauſa vitæ veſtræ, apparebit in gloria, ſicut apparente Sole, qui eſt cauſa illuminationis, apparent ſimul cum eo, quæcunque cum eo illuminata ſunt. Intendit ergo B. Iacobus inquirere de qualitate vitæ noſtræ corporalis, quæ à B. Iob. ventus appellatur cap. 7. *Memento quia ventus eſt vita mea*: In quibus verbis facit tria.

ad Coll. 3. 4.

Vita noſtra ventus dicitur.

Iob. 7. 7.

Primò, implorat diuinam benignitatẽ, Memento.

Secundò, allegat vitæ breuitatem, dum ait, quia ventus eſt.

Tertiò, innuit mortalitatem, Vita mea.

De primo notandum eſt, quòd quamuis in Deo non ſit obliuio, nihilominus dicitur memorari alicuius, quando eum benignè reſpicit, faciendo ei miſericordiam, & remittendo peccata: Vnde gloſſa ſic ait, *Me tranſeuntem benignè reſpice,* quaſi dicat, ex quo mea vita eſt ventus, hoc eſt, velociter tranſiens vt ventus, reſpice me, quia poſt tranſitum, vitæ non erat amplius locus veniæ.

Memorari in Deo, eſt Deum benignè reſpicere.

Duobus enim modis neceſſarium eſt ho-

Necessaria homini, Dei misericordia. mini, ante transitum huius vitæ, vt Dominus eius sit memor, & illum respiciat. Primò ad remouendum malum, scilicet, dimittendo culpam, & relaxando pœnam: quorum primum pertinet ad Dei misericordiam, secundum ad Dei bonitatem: Sed post huius vitæ transitum quantùm ad eos qui ad gehennam inferni descendunt, non est locus misericordiæ: vnde Iob. 24. *Obliuiscatur eius misericordia.* *Iob. 24. 20.* Et Oseæ 1. *Obliuione obliuiscar eorum* s. non faciēdo misericordiā, vt nec remittatur culpa mortalis, nec venialis, quę sine mortali nusquam dimittitur: & ideo punientur damnati in ęternum pro peccatis venialibus, sicut pro mortalibus, quoad temporis durationem, licet non quoad pœnæ æqualitatem, & acerbitatem. *Peccatum veniale nūquam dimittitur, sine mortali.*

Psal. 24. 8. Similiter in inferno non habet locum bonitas Dei, per quam illa pœna alleuietur, vel terminetur: Et ideo nunc orandum est, vt Dauid Psal. 24. *Secundùm misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.* Nā secundùm misericordiam, volebat sibi indulgeri peccata, & propter bonitatem eius, orabat sibi relaxari torm enta.

Secundò est necessarium homini, quòd Dominus memor sit eius, benignè illum respiciens, ad conferendum ei bonum siue gratiæ, siue gloriæ, & dicat illud Neem. 25. *Memento mei Deus meus in bonum*, videlicet ad sustentationem vitæ, & necessarium ad salutem animæ, & ad gloriam consequendam, ad quam ante ascensionem Christi Domini nullus per- *Neem. 5.*

duci potuit. Et ideo Luc. 23. Vnus ex latronibus petiit à Christo, dicens: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum, vt perducas me ad ipsum, cùm ascenderis illuc.* *Luc. 23. 42.*

Secundò B. Iob. allegat in authoritate citata ex cap. 7. vitæ breuitatem cùm ait, *ventus est vita mea*, hoc est, sicut ventus citò transit & desinit, sic & vita mea. Aduerte tamen, vitam nostram assimilari vento, propter quatuor. Primò, quoad motum, quia motus venti nõ est rectus, sed tortuosus, vel per modum ascensus vel descensus. Nam vna insufflatio ascendit & alia descendit, & ideo non est motus continuus, sed interruptus, quia in omni motu reflexo oportet intercedere quietem, sicut probat Philosophus in lib. Phis. *Breuitas vitæ. Iob. 7. 7. Vita nostra assimilatur vento propter quatuor. 1 quoad motum.*

Item vna insufflatio est fortior, scilicet descendens, & alia debilior, scilicet, ascendens, quæ omnia competunt humanæ vitæ: Nam homo viuens nunc ascendit per augmentum, scilicet, in iuuentute, nunc descendit per diminutionem naturæ, & virtutis, sicut in senectute, & fortior est homo in iuuentute, quàm in senectute: Nam istæ duæ ætates non continuantur, quia intercedit ætas virilis.

Item homo viuens, nunc ascendit per prosperitatem, nunc descendit per aduersitatem, nunc ascendit per honorem & gloriam, nunc descendit per humiliationem & ignominiam: Item ascendit viuẽs, nunc descendit moriens: Et idirco non debet homo nec de suæ iuuentutis flore, nec de suæ prosperitatis fauore, nec

de ſuæ exaltationis honore, nec de ſuæ vitæ vigore, gloriari & ſuperbire, ſed poſt aſcenſum debet ſemper timere fortiorem deſcenſum vitę & fortunæ. Hunc motum contrarium & varium ad modum venti expertus erat Iob. qui

Iob. 30. 22. dixit cap. 30. *Eleuaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me validè.*

2. Quoad defectum. Secundò, aſſimilatur humana vita vento, quoad defectum: Sunt enim tres cauſæ defectus venti, quæ etiam ſuo modo vitam humanam abſcindunt: Prima eſt intenſum frigus, quia terra vehementer cõſtringens vaporem, eleuari ventum non ſinit: Secunda eſt intenſus calor, qui eleuatum vaporem conſumit.

Tres cauſæ defectus venti.

Tertia eſt magna pluuia, quæ aërem infrigidans vaporem generat, & tantùm deſcendere facit, quòd non poſſit ſubitò à calido eleuari: Item terram & porros conſtringit ſuperficiei, vt non poſſit alius vapor eleuari ad augēdā venti materiam, quæ eſt vapor ſiccus terreſtris, & omnis vapor citò deficit, niſi continuò aggeneretur.

Tres cauſæ mortis hominis. In iſtis autem ſignificantur tres cauſæ mortis hominis: quia in intenſo frigore intelligitur malitia tranſgreſſionis, frigus enim ſignat malitiam peccati, vnde aſſimilatur vento frigido, qui dicitur Aquilo,

Eccl. 44. Eccl. 44. *Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit cryſtallus*: Nam quaſi

Frigus ſignificat peccati malitiam. flatus Aquilonaris frigidi, eſt vita hominis malè operantis, in quo peccati malitia frigiditatē inducit, dum calorem charitatis excludit. Vnde

Hierem. 6. 7 Hierem. 6. cap. *Sicut frigidam facit ciſterna*

aquam suam, sic frigidam fecit malitiã suã: & ab hoc frigore cryſtallus gelatur, quia peccati malitia anima induratur: hoc ergo frigus eſt peccati malitia, quæ mortem induxit, ſecundùm illud Apoſtoli Rom. 5. cap. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatũ mors.* In intenſo verò calore accipitur intemperantia complexionis, quæ eſt naturalis cauſa humanæ infirmitatis, & mortis, ſicut patet præcipuè in febribus: Vnde vita ſic malè temperati, aſſimilatur vento vrenti, Iob. 27. *Tollet eum ventus vrens*, id eſt, vita malè temperata per febrem ardentem, vel aliam infirmitatem, tollet eum ſc. hominem de numero viuentium per mortem. Per pluuiam verò deſuper cadentem, intelligitur iuſtitia diuinæ ordinationis, propter quam dicitur Hebræ. 11. cap. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* Eſtque illud pondus corruptionis corporis, quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, quod pondus à Deo impoſitum eſt ventis, i. in hac vita viuẽtibus Iob. 28. *Qui fecit ventis pondus*: Vnde fit, vt huic ſtatuto diuino obediendum ſit. Matth. 8. cap. *Venti & mare obediunt ei*: Ita vt per ventos, intelligamus vitam iuſtorum, & per mare vitam peccatorum, quia vtrique finaliter obediunt legi mortis, Mar. 4. *Comminatus eſt vento, & dixit mari, Tace, obmuteſce & ceſſauit ventus.* Vel per pluuiam deſuper percutiẽtem terram, intellige occiſionem hominis violentam, dum vnus ab alio ſuperatus percutitur & occiditur. Quod etiam ex diuino iudicio occulto, multoties accidere probatur: Vnde Deus ipſe dixit

Rom 5. 12.

Iob. 27. 21.

Mors omnibus ſtatuta.

Iob. 28. 25.

Mar. 4. 39.

Hier.18.17 Hierem. 18. cap. *Sicut ventus vrens dispergam eos, coram amico.*

Vita mortalitas. Tertiò, in authoritate inducta ex Iob. cap. 7.
Iob.7.7. Ostendit suam mortalitatem cùm dicit vita
Vita nostra perpetuus cursus ad mortem. mea, sc. mortalis. quia vita nostra nihil est aliud quàm continuus cursus ad mortem, & ideo rectè assimilatur telæ quæ texitur, in qua filum filo additur, vt post texturam succidatur, sic vitæ hominis dies diei additur, vt postea moriatur: Et quantò magis textura procedit, tantò successioni propinquior existit, ita quantò vita vlteriùs procedit, tantò plus ad mortem
Esa. 38. 12. accedit. hinc Esay. 38. *Præcisa est velut à texente vita mea.* Et tamen in hoc differt, quia tela non succiditur, antequam textura compleatur, sed vita frequenter in ipso principio tollitur: Et ideo subiunxit, *Dum adhuc ordirer, succedit me.*

Vita humana fragilitas. SECVNDÒ in verbis them. B. Iacobus cap. 4. ostendit humanæ vitæ fragilitatem, quando ait (*Vapor est*) id est vapori similis.
Iacob. 4. 14. Vapor enim res fragilis est, si etiam consideretur vita humana, ex parte materiæ, quid fragilius? At ex parte formæ id est animæ, & causæ efficientis, quid nobilius? Ad ista duo possunt referri verba Sapiẽtis, quando ait, Sap. 7. cap. *Vapor est virtutis, omnipotentis Dei.* Tria apparent in homine notanda.

Primò quidem, vaporis typus, in corporis conditione.

Secundò, ostenditur Dei virtus, in animæ creatione.

Tertiò, manifestatur omnipotentiæ Dei ef-

fectus, in vtriusque vnione.

Quantùm ad primum, triplici ratione assimilatur vita humana vapori: primò ratione durationis, quia vapores parum durant in aëre, & citò resoluuntur, sicut apparet præcipuè in vaporibus nebulæ: Item homines parum viuunt in mundo, & citò moriuntur. Ezech. 7. *Vapor nebulæ, de thure consurgebat*: Per thus quod Deo offertur, intelligitur cor hominis, quod Deo offerri debet: Prouer. 23. *Præbe mihi cor tuum*, de hoc consurgit vapor nebulæ. Prou. 4. *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit*. Sed tamen vapor nebulæ, faciliter & citò resoluitur, quia scilicet vita hominis faciliter finitur, vnde Sap. 2. *Transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, Et sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radijs Solis*. Isti verò diuersi radij Solis, sunt diuersæ occasiones mortis.

Vita nostra, cur vapor dicitur.

1. Propter duratione͂.

Prou 23. 26.

Prou. 4. 23.

Sap. 2. 3.

Secundò, assimilatur vita nostra vapori, ratione eleuationis: Nam vapores non ascendu͂t in aëre vltra tria miliaria. Vel saltem distingu͂tur tres regiones aëris, in quibus eleuantur vapores: quarum vna est calidissima, scilicet suprema, propter ignis vicinitatem: Alia frigidissima sc. media: tertia temperata, sc. infima. Tales verò sunt tres ætates, quibus vita hominis constat: Quarum prima est augmentatiua, quæ durat vsque ad vigesimum primum annu͂, secundum augmentum longitudinis, simpliciter autem vsque ad vigesimum quintum, & hæc, ex sententia quorundam est calidissima. Secunda ætas, est permanens, & hæc est à 21.

2. Ratione eleuationis.

Tres regiones aëris etiam tres ætates hominu.

vel 25. anno, vſque ad 35. vel 40. annum, ſi ſit homo bonæ complexionis. Tertia ætas, eſt defectiua à 40. anno vſque ad finem, eſtque ſenectus, & hęc eſt frigida. Sed ſicut quidam vapores reſoluuntur in principio ſuæ eleuationis, quandoque in medio, quandoque in ſupremo. Ita quidam moriuntur in adoleſcentia, quidã in virili ætate, quidam verò in ſenectute, vnde mors nulli ætati parcit, ideoque D. Ambro. *Mors*, inquit, *in ſenibus eſt in ianuis*, *iuuenibus in ſoliis*: Vnde dictæ tres ætates, velut tres beſtiæ, vaporem igneum ſpirantes ſunt interitum vitæ. Sap. 11. *Ignotas beſtias vaporem igneum ſpirãtes.* Tertiò, aſsimilatur vapori ratione diſtinctionis. Diſtinguïtur enim triplex vapor, ſiccus & terreus, humidus & aqueus, tertius ex vtroque mixtus. Solùm enim terra & aqua sũt vaporabilia elementa. In his igitur tribus vaporibus, tres modos accipere poſſumus hominum malè viuentium: quorum quidam ſunt terrei per auaritiam, quidam aquei per luxuriã, & quidam ex vtroque permixti per ſuperbiã: Nam multi ſuperbi ſunt, qui idcirco dignitates & honores quærunt, vt terram poſsideant, & etiam voluptatibus affluant. Hinc eſt, quod in ſacra ſcriptura, tria genera vaporum commemorantur: vapor ignis qui ſignificat carnis luxuriam Eccl. 38. cap. *Vapor ignis vrit carnes*, per accenſionem libidinis. Item vapor fumi qui deſignat ſuperbiam, quia vapor fumi ab igne citò aſcendit, & citò deficit. Sic ſuperbus ab igne ambitionis aſcendit in altum dignitatis, ſed

Sap. 11. 19.

3. Ratione diſtinctionis

Triplex vapor.

Triplex genus hominũ malorum.

Eccl. 38. 29.

ſed tamen citò deficit per mortem vel per defectionem, Ioel. 2. cap. *Dabo ignem fumi*: Vnde Pſal. 36. *Inimici verò Domini, mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficiẽtes quemadmodum fumus, deficient.* Item vapor nebulę, qui parum à terra eleuatur & terræ continuatur, auaritiam ſignificat, & cupiditatem terrenorum, quæ multũ mentem retrahit à diuinis. In cuius figuram Leuit. 16. cap. *Nebula & vapor eorum operiebat oraculum.* Ioel. 2. 30. Pſal. 3. 21. Leuitic. 16.

Oraculum eſt mens humana, quæ orationibus & diuinis contemplationibus debet mancipari, aliquando in tantum operitur & offuſcatur ab auaritia & cupiditate terrenorum vt à diuinis & ſpiritualibus totaliter retrahatur. Quartò vita humana aſſimilatur vapori, ratione reſolutionis: Diuerſi enim vapores diuerſimodè reſoluuntur: Sic diuerſi homines diuerſimodè moriuntur, vel etiam ſpiritualiter à diuerſis vitiis abſorbentur. Nam quidem vapores ſunt, qui reſoluuntur & conuertuntur in ignem, ſicut qui aſcendunt in ſupremã Aëris regionem, quæ dicitur regio æſtus, & ibi incenduntur & ab igne conſumuntur. Tales ſunt, qui ad dignitates & honores euecti ſunt: hi incenduntur igne iracundiæ crudelitatis & ſæuitiæ, ſicut Nero crudeliſſimus & immaniſſimus: Vel igne auaritiæ, ſicut de Antigono Seneca dicit, qui fuit rex auariſſimus: Vel igne concupiſcentiæ & libidinis, ſicut de Sardanapalo narrat Oroſius, qui fuit Rex Aſſyriorum luxurioſiſſimus. Quidam verò va-

Mens oraculum.

Vita humana aſſimilatur vapori.

pores ſunt, qui reſoluuntur in Aërem ſiue vẽtum: & iſte ventus quandoque eleuatur in altum, & generat in Aëre, vel in mari tempeſtatem. Et talis eſt vita quorundam, qui ſemper iurgiis & ſeditionibus delectantur, pacemque odio habere videntur; Vnde Alexander cuidam quærenti quare mundum & homines ita infeſtaret, nec illos frui pace permitteret. Reſpondit pace nihil illi magis odioſum, nihil verò bello ei amabilius.

Quandoque ventus per foramina & cauernas ingreſſus, terræ motum excitat: Quorundam etiam vita nõnunquam ita eſt tyrannica, vt omnibus timorem & tremorem incutiat, qua in re ſuam collocant beatitudinem vt potentes habeantur, & terrori ſint omnibus: ſicut ait Seneca de Alexandro, in lib. de beneficiis, quod ſummum bonum ducebat, terrori eſſe, non animaduertens etiam animalia debiliſſima & ignauia ob venenum formidini eſſe hominibus generoſiſſimis, vt ſcorpiones, ſerpentes & huiuſmodi: Alii ſunt vapores qui in altum eleuati, nubes efficiunt: ijs aſſimilantur iuſti, quia à terrenis per affectum ſeparati ſunt, ideoque maximè idonei vt ad Deum accedant, hinc Eſa. 60. cap. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant?* Sicut ex nubibus generantur pluuiæ, fulgura, & tonitrua, ita ex talibus, promanant doctrinæ, exhortationes, correptiones aſperæ, & quandoque manifeſta miracula. Eiuſmodi nubes habent intus igneum vaporem, id eſt, feruorem ſpiritus, vnde talia a-

Eſa. 60. 8.

gunt. Nõ nulli præterea sunt vapores, qui quãdo eleuantur, trahunt quãdoque secum paleas, pilos, ligna, vel lapides, & alia eiusmodi, quę vna cum pluuia in terram postea decidunt: illis comparantur, qui secum omnia trahere & rapere volunt. Quibus nubibus resolutis, vt cadunt, ita per mortem hominibus resolutis, necesse est rapta decidere & hîc permanere. Iterum notandum est vitam sanctorum assimilari vapori odorifero, qualis est incensi, quia Deo reddit odorem deuotionis, & hominibus, bonæ opinionis: hinc Ecclesiast. *Quasi Libanus non incisus, vaporans habitationem meam.* Libanus græcè vocatur arbor thuris, quę aliquando sponte & ex seipsa, non vi, incensum siue thus emittit, quod in vere colligi solet, habetque vaporem magis odoriferum. Ideoque Libanus non incisus, significat animam sancti viri & deuoti, qui non coactè, sed spontè vult bene viuere & secundùm virtutem operari, Hic ergo animam, hoc est, habitationem corporis sui vaporat, viuificat vapore odorifero, hoc est, vita laudabili à Deo & hominibus.

Libanus significat animam iusti.

Secundò, ostenditur loco citato Sap. 7. quòd humana vita est ex virtute Dei, vnde dicitur esse vapor virtutis Dei: Nam ipsa vita corporis est ab anima, quæ sola virtute Dei creatur: Anima enim rationalis non est forma ex potestate materia virtute generantis educta, sed potius virtute diuina creata & infusa. Hinc Ezech. 18. cap. dixit Deus, *Omnes animæ*

Sap. 7. 25.

Anima nostra dicitur vapor virtutis Dei.

Ezech. 18. 4.

meæ sunt.s. Iure creationis, & subdidit, *Vt anima Patris, ita anima filij*, vt ostendat filium, non habere animam rationalem à Patre generante, sed à Deo creante. Et sicut anima rationalis à solo Deo creatur ad vitam naturalem, ita à solo Deo saluatur ad vitam spiritualem, quæ per fidem inchoatur: 1. Cor. 1. cap. *His qui salui fiunt, id est nobis, virtus Dei.*

Anima rationalis creatur à Deo.

1. *Cor.* 1. 18.

Omnipotẽtia Dei in anima & corporis vnione apparet.

Tertiò, ostenditur cap. 7.4. in humana vita opus omnipotentiæ Dei apparêre: Nam vita humana resultat ex vnione animæ & corporis, in qua videlicet vnione manifestatur omnipotentia Dei, nam eo ipso quod naturas tam distantes coniunxit, videlicet animæ rationalis nobilissimæ, & corporis vilissimi, Deus ostenditur esse omnipotens, id est super naturam potentiam omnem habens: Iob. 32. *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam*, quæ corpori vnitur vt forma. Vnde ipse Deus omnipotens est Gen. 2 cap. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem, quia vtrumque habet ab omnipotente.* Scilicet animam & corpus. Machab. 2. cap. Mater septem fratrum piè idipsum cõfessa est, his verbis, *filij nescio qualiter, in vtero meo apparuistis, Neque enim ego spiritum donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sed est mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem.* Patet ergo æquissimum esse, vt vtroque Deo seruiat homo, ex tota anima eum diligat, & corpus Deo Opt. Max. hostiam viuentem

Iob. 32. 8.

Gen. 2. 7.

exhibeat. Sed heu, multi sunt qui è contrario animam per malitiam, & corpus per luxuriam, potiùs diabolo exhibent, quàm per pœnitentiam Deo, qui corpus & animam in gehennam mittere potest, seruiant.

TERTIÒ, in authoritate Thematis ostẽdit D. Iacob. cap. 4. humanæ vitæ breuitatẽ, quia est, *ad modicum parens*: Vbi notandum est, quod est vita quædam in homine quæ non est apparens, estque vita animæ post mortem. Ad Collos. cap. 3. *Mortui enim estis & vita vestra abscondita est*, qua sicut dicitur 1. Reg. 16. homines vident, quę foris parent, id est. quæ apparẽt nostris exterioribus sensibus, quia omnis nostra cognitio oritur à sensu: Sed anima nostra præcipuè separata non subijcitur sensibus exterioribus, ideoque non est apparens. 1. Ioan. cap. 3. *Nondum apparuit quid erimus*. Sc. post separationem à corpore: Sed est alia vita, quę est corporis & apparens sensibus exterioribus, quæ differt ab illa, quia est perpetua, Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum viuent*: Hæc verò ad modicum tempus, quia corpus citò moritur, nec apparet amplius Ioh. *Adhuc modicum, & iam mundus me non videt*. Hypocritæ etiam qui exterminant facies suas, vt hominibus ieiunãtes appareant, & bona agunt opera, *vt videantur ab hominibus*, *& qui sunt similes sepulchris dealbatis*, Matth. 23. cùm ad honores & magistratus eleuantur, modico tempore durant, secundum Iob. 24. cap. *Eleuati sunt ad modicum, & nõ subsistent*. Est quidem nostra vita ad modicum

Iacob. 4 14.
Breuitas vitæ.
Ad Collo. 3. 3.
1. Ioan. 3. 2.
Matth. 23. 27.
Iob. 24. 24.

tempus, tamen Dei gratia & beneficio, ita homo poteſt laborare & mereri, vt in perpetuum quieſcat, & ſanctus appareat: formica enim modico tempore in æſtate congregat tantum, vt in hyeme paſcatur & viuat, idem præſtare poteſt homo modico tempore, quo ſuperſtes eſt,
Eccl. 51. 35. vt verè & fœliciter dicere poſſit illud Eccleſ. cap. 51. *Modicum laboraui, & inueni mihi requiem id eſt vitam æternam*, Ad quā nos perducat piiſſimus Ieſus qui viuit & regnat in ſæcula ſeculorum. Amen.

DE LABILITATE EORVM, QVÆ PERTINENT ad humanam vitam.

THEMA.

Tranſierunt omnia illa ſicut vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius cùm præterierit, non eſt veſtigium inuenire. Sap. 5. cap.
Sap. 5. 9.

Quidquid poſitum eſt in fluxu, parum prodeſt.

SENECA in quadam Epiſtola docet, id omne quód eſt in fluxu ſeu tranſitu, parum prodeſſe: Tribus probat exemplis: primum eſt de cibis, qui ſumpti, ſi ſtatim emittantur, nec in corpore remaneant, non nutriunt: ſecundum eſt de plantis, quæ radices non agunt, ſi ſæpe & citò trāsferantur de vno loco in alium:

Tertium de literis, nam si ille, qui dat operam literis, modò vnum librum, modò alium legere & præ manibus vult habere, parùm aut nihil proficit: Sic bona præsentia & temporalia, vt diuitiæ, honores, deliciæ, & similia, quia transitoria sunt & in perpetuo fluxu, ad æternam vitam non conferunt, imò frequenter obsunt. Vnde Matth. 19. ait Christus, *facilius esse, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum*, & Luc. 6. *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem vestram*: & Luc. 18. *Qui se exaltat humiliabitur.* Et ideo volens nos Sapiens ad eorum contemptũ inducere, illis verbis cap. 5. Docet omnia illa verè esse transitoria & caduca. *Transierunt*, inquit, *Scilicet temporalia bona, tanquam vmbra.* In quibus quidem verbis, triplex humanæ vitæ defectus ostenditur, secundùm tres circunstantias, quas homines vt plurimùm circa vitam appetunt, videlicet tranquillam, lætam, & plenam, seu bonis affluentem. Verùm contrarium accidere, docent verba thematis.

Matth. 19

Luc. 18

Primò quidem, nullam quietem habere homines in bonis temporalibus, quia citò transierunt.

Secundò, lætitiam modicam & breuem, quia tanquam nuntius pręcurrens.

Tertiò abundantiam nociuam & periculosam, quia tanquam nauis.

Primò dico, homines vitam tranquillam expetere, vnde appetitum satiare & explere maximè student, satiato enim & expleto appetitu

Bona temporalia, quare non satiant & ex-

plent voluntatem. credunt se quietem adeptos esse. At verò id nō possunt præstare præsentia bona, Primò quidem, quia sunt transitoria, Secundò quia sunt vana, & tanquam vmbra, vt cibus non remanens in stomacho satiare non potest famis appetentiam, sic nec illa bona quæ transeunt, voluntatem non explent. Item cùm motus opponatur quieti, in re mota & transeunte, non potest esse quies.

Obiectio. Obijciet aliquis, Verum est, quod ipsa res quæ mouetur & transit, non potest quiescere dum mouetur, Sed bene potest aliquis in ea quiescere, sicut patét de homine dormiente in naui, & de puero dormiente in cunabulis motis. Sic etiam licet hæc bona sint transitoria, tamen potest nihilominus homo quiescere in illis.

Responsio. Respondeo id quòd est in re mota, per se ipsum posse moueri, sicut si homo ambularet per nauem motam à ventis, proprio motu à seipso etiam moueretur. Sic etiam est in proposito, quia vita hominis in istis temporalibus, *Vita nostra quieta esse non potest.* quieta esse non potest, non solùm quia ista transitoria sunt sicut vmbra, sed etiam quia vita transitoria est, & est velut vmbra: Et hoc ratione temporis, cui subijcitur, sicut & cætera naturalia, quia scilicet, tempus vitæ humanæ transitorium est, & velut vmbra, & hoc est quod docetur Sap. cap. 2. *Vmbræ transitus est tempus nostrum.* *Sap. 2. 5.* In quibus quidem verbis ostenditur, quod vita nostra propter tempus cui subijcitur habet tres defectus.

Primò, defectum vanitatis ratione vmbræ, quia vmbra est.

Secundò, defectum instabilitatis, ratione transitus, quia transitus est. *Tres defectus vitæ humana.*

Tertiò, defectum breuitatis propter tempus, quia breue est.

Habet ergo humana vita, vanitatem ad modum vmbræ, quia vmbra apparet quidem, sed non habet existentiam: Videtur quidem res quædam viua, reuera tamen, mortuum quidpiam est, imo nihil est nisi defectus luminis ex corporis obstaculo: Sic vita humana potius mors dici debet quàm vita, quia plus est illud, quod deest de vita, putà & præteritum & futurum, quàm quod adest.s.præsens momentum. Hinc canit Eccles. *Media vita in morte sumus* quia cùm mors sit priuatio vitæ, illud præsens quod habemus de vita, est medium inter duas priuationes vitæ s. præteritæ & futuræ nondum habitæ, hinc Psal. 143. *Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt.* *Vita nostra vanitas.* *Psal. 143. 5.*

Sunt & aliæ rationes, ob quas, vita nostra vmbræ assimilitur. Prima quidem est, quia vmbra facit hominem timidum, homines enim in tenebris naturaliter timent, ita homo dum in mundo degit, quia quantumque sit desperatus, mortem tamen & diuinam sententiam reformidat. Prouerb. 10. *Pauor his qui operantur malum.* Etiam iustus in hac vita semper timore afficitur ne à gratia decidat. Psal. 54 *Timor & tremor venerunt super me & contexerunt me tenebræ.* Vnde talis timor assimilatur vm- *Rationes ob quas vita nostra assimilatur vmbra.* *Prima ratio.* *Vmbra est vita nostra* *Ps. 54. 5.*

bræ mortis, quia de nocte timet homo vt de modica vmbra, quæ apparet. Ita sancti viri de
Esa.16.3. modica culpa, ne gratiam amittant. Esay. 16. *Pone quasi noctem vmbram.*

2. ratio. Secunda ratio, quia vmbra hominem frigidum reddit, vnde frigidior est nox die, quia in eo Sol lucet, qui est causa caloris. Item in ardore æstatis, vt refrigescat quærit vmbram.
Esa. 4. 6. Esa. 4. cap. *Erit in vmbraculum diei ab æstu.* Idem contingit homini in hac vita, ob defectum amoris diuini, de quo parum est sollicitus. *Qui*
1. Ioan. 2. *enim diligit mundum, non est charitas patris in ipso*, 1. Ioan. 2. cap. & ideo est totus frigidus. Huius figura habetur, Ion. 4. cap. quia Ionas quandiù fuit sub vmbra hederæ, non sentiebat æstum, id est feruorem charitatis diuinę.

3. ratio, ob quam vita nostra assimilatur vmbra. Tertia ratio, quare vita præsens assimilatur vmbræ, est, quia hominem efficit somnolentum, in vmbra enim facilius dormiunt homines. Iob 4. cap. *Sub vmbra dormit.* Sic homines in hac vita, sunt somnolenti, id est, negligentes, pigri, & tardi ad opera spiritualia, & ad ea quæ sunt salutis: de hoc figura est, 3. lib.
3. Reg. 19. 7. Reg. cap. 19. *Qui obdormiuit in vmbra iuniperi, & apparuit ei Angelus dicens, Surge, comede, grandis enim restat tibi via. Et surrexit, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius, vsque ad montem Oreb.* Helias ergo qui dormit sub vmbra iuniperi, significat hominem negligentem, pigrum & remissum, qui dormit, quiescit, & delectatur in vmbra rerum temporalium, quæ non refrigerant ab ardore auariciæ, à sceurita-

te diuinæ iustitiæ, sed mentem pungunt & lacerant: Arbor enim illa, vmbram quasi nullam habet, & sic refrigerium non præstat homini sic dormienti & pigro, Angelus apparet, qui eum excitat, quando inspirat, vt faciat bonum, & recedat à malo, sicq; tandem peruenit ad montem Oreb. id est, ad vitam æternam.

Quarta ratio, quare vita præsens assimilatur vmbræ, est, quia vmbra hominem facit ignarum: Sicut videmus hominem in nocte, non posse discernere colores, nec personas agnoscere. Ita etiam homo in hac vita, quia de Deo & aliis rebus cognitionem non habet, saltem perfectam: sed nec de statu suo proprio, quia nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit. Ecclesf. 9. *Et nescit homo finem suum.* Quàm dura & terribilis est cæcitas hominis, quia quantumcumque sit bonus, non tamen certus nisi coniecturis quibusdam sit ne consecuturus vitam æternam: Et è contrario quantumcumque malus, sit ne iturus in ignem æternum: hinc ignorantia suipsius, quæ confessionem impedit & salutem, propterea ait Sapiens, loco citato: *Vnde & corda filiorum hominum replentur malicia & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.* Et D. Gregor. *Hac animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei.* Et hæc est vmbra mortis, Iob. 3. cap. *Obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis.*

4. *Ratio.*

Eccl. 9. 12.

Iob. 3. 5.

Secundus defectus humanæ vitæ, qui tangitur in authoritate inducta ex Sap. 2. cap. est

2. *Defectus. Vita nostra instabilitas.*

instabilitatis, propter transitum, dicitur enim tempus nostrum vmbræ transitus, qui quidem mouet nos ad continuè & benè operandum: Consueuerunt enim tria genera hominum citissimè & sollicitè transire.

Cursores, quousque peruenerint ad terminum.

Hostem fugientes, quousque inuenerint tutum locum.

Poma in naui portantes, antequam incurrant putrefactionis detrimentum.

Homo assimilatur cursori. Est autem homo in hac vita, vt cursor in via, nam sicut cursor tendit ad terminum propositum, nec moram facit in via, ita homo ad cœlestem patriam perpetuò animum intentum habere debet, sine mora & cum feruore Deum diligere: Inquit D. Bernard. *Qui amat vehementiùs, currit velociùs, & peruenit citiùs.* Verùm ille in via moram facit, qui inordinatè erga vana & caduca huius vitæ, afficitur, 1. Ioan. 2. *Qui diligit mundum, non est charitas patris in eo.* *1. Ioa. 2. 15.* Ambros. *Sicut nullus sine via peruenit, ad quod tendit: Ita sine charitate, quæ via dicta est, ambulare non possunt homines, sed errare.*

Cursor etiam cum magno desiderio, expectatur ab ijs qui sperant bona noua recipere: Sic illi qui sunt in patria de nobis prospera audire vehementer exoptant. Vnde qui eò peruenit, cum magno gaudio excipitur à beatis. Inquit, B. August. in lib. de cura pro mortuis agenda, *Quod nesciunt mortui, quid faciunt viui & eorum filij:* Quod intelligendum existimo de

cognitione naturali animarum separatim, non de illa, quam habent in verbo, in quo cognoscunt omnia, quæ pertinent ad eorum beatitudinem: Ideoque necessarium est, quod omnia quæ desiderant scire, cognoscant, excipiunt tamen ad se venientes cum gaudio: vt quiescant & lætentur cum eis: *Ergo festinemus ingredi in illam requiem.*

Secundò, qui fugit hostem persequentem, tādiu currit, quousque locum tutum & securum inuenerit. Habemus hostes, dæmones crudeliter persequentes, vt nos perdant, locus non inuenitur securus neque tutus in hoc mundo, in diuitijs Dæmon nobis insidiatur per auaritiam, in delitijs per luxuriam, in honoribus & dignitatibus per superbiam: vnde in eis non est affectus figendus, sed ad alium confugiendum est locum tutiorem, exemplo Dauid, qui licet in montem Ziph locum tutum confugisset, 1. Reg. 23. tamen fugiens Saül, ascendit de monte Ziph, & habitauit in locis tutissimis Engaddi: Ibidem cap. 24. 1.

Homo assimilatur hostem fugienti.

1. Reg. 23. 19

Tertiò, illi qui portant poma in naui, festinant transire, antequam poma corrumpantur, vel putrescant. Naues sunt animæ nostræ: Poma quæ portant, sunt boni affectus, & sancta desideria, quæ citò deficiunt, nisi velociter trāseant ad complementum operis. Eas verò tres similitudines Iob affert cap. 9. *Dies mei velociores sunt cursore, fugerunt & non viderunt bonum, pertransierunt, quasi naues poma portantes.* Dicuntur dies hominis esse velociores cursore, quia

Homo assimilatur nautæ poma portanti in naui.

Iob. 9. 25.

cursor non semper currit sed aliquando quiescit, vt dum dormit, aut cibum vel potum capit, aut aliquid aliud agit. At verò tempus vitæ nostrę perpetuò fluit, sine vllam mora aut quiete,
Iob.7.6. Iob. 7. cap. *Dies mei velociùs transierunt, quàm à texente tela succiditur*: In succisione enim telæ filum post filum succiditur, in decursu vitæ, dies post diem elabitur. Et quandoque tota vita succiditur, ideoque velociùs: præcipuè verò dies ociosorum, quia enim nihil operantur boni, licet diutissimè vixerint, nullum bonum sunt assecuti, suntque velut terra sterilis,
Hier. 17.6. quæ nullum fructum affert: Hierem. 17. cap. *Erit quasi myrices in deserto, & non videbit, cùm venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in terra salsaginis*: Naues autem poma portantes, reddunt quidem & circunfundunt odorem exteriùs, sed tamen leue pondus efficiunt, ideo à vento faciliùs iactàntur fluctibus: Est vita hypocritarum, qui foris odorem quidem sanctitatis emittunt, sed intus carent pondere virtutis & veritatis, propterea vento superbiæ, & fluctibus vanitatum variè iactantur. Matth. 14. cap. *Nauicula in medio mari iactabatur fluctibus.*

3. *Defectus vitæ nostræ breuitas.* Tertius defectus est, quia humana ostenditur habere breuitatem, propter tempus quod breue est. Sap. 2. inde misericordia Dei apparet erga homines. Tullius dicit, omnia breuia tolerabiliora esse debere, etiam si magna sint: Atqui vita hominis est subiecta multis imò infinitis miserijs, de gratia igitur Dei est, quòd
Iob.14.1. breui tempore duret Iob. 14. *Homo natus de mu-*

liere breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Sap. 2. 1.
& Sap. 2. cap. *Exiguum & cum tædio, est tempus vitæ nostræ.*

SECVNDO, ostenditur in authoritate Thematis Sap. 5. vitæ præsentis gaudia modica esse & breuia, quia bona temporalia sunt tanquã nuncius præcurrens: Læta enim vita, homines gaudere naturaliter desiderant. Hinc ait Sapiens *homo sine delectatione & lætitia viuere non potest, alioquin melior est mors quàm amara vita:* Inde fit vt homines melancholici mori sæpissime expetant, imò seipsos occidant: Propterea dicitur Prouerb. 17. cap. *Quod animus gaudẽs, ætatem floridam facit*, è contrario *spiritus tristis exsiccat ossa*: Ratio autem cur Sapiens assimilet lætitiam huius vitæ nuntio præcurrenti, id est, velociter transeunti, hæc est, quia quando homo nuntium bonum expectat, id fit cum magno gaudio: adueniente cursore, gaudet plurimùm atque lætatur, Verùm alijs negotijs superuenientibus, illud gaudium citò præterit & finitur: Idem dices de huius vitæ oblectationibus. Hinc D. August. de lætitia huius mundi, *non habita & expectata animum cruciat*, inquit, *habita non satiat, perdita non delectat*: Habet etiã admixtionem pœnæ & tristitiæ. Sicut qui fertur in delectationem carnis, antequam assequatur, desiderio affligitur, & labore habendi fatigatur, ea comparata, non satiat, imò appetitum excitat, & cruciat, vel morsu cõscientiæ, vel timore verecundiæ. Ideo ait Boetius, *humanę fœlicitatis dulcedo, multis amaritudinibus*

Gaudia huius vitæ modica & breuia. Sap. 5. 9.

Prou. 17. 23.

Lætitia huius vitæ similis nũcio præcurrẽti.

Dulcedo humana vita tristitia coniuncta. *referta est.* Huius figuram lege. 2. Reg. cap. 18. Quando occiso Absalone, & debellato eius exercitu, Archimaas præcurrens ante Chusi, fuit nuntius primus. Vnde speculator ait:
2.Reg.18 27 *Contemplor cursum Achimaas filij Sadoch,* & ait Rex, *Vir bonus est, & bonum nuntium portans venit.* Et postea veniens dixit, *Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines, qui eleuauerũt manus suas contra Dominum meum Regem Dauid:* Postea venit Chusi qui nunciata morte Absalonis, conuertit Regem in magnam tristitiam, ibidem, *Et contristatus Rex ascendit cœnaculum portæ, & fleuit.* Idem cogita de huius mundi vo-
Prou.14 13 luptatibus & gaudijs, sicut dicitur Prouerb. 14. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.*

Sap. 5. 9. *Vita nostra noxijs delectatur.* TERTIO in authoritate Them. Sap. 5. cap. ostenditur vitam hanc, noxia & periculosa abundantia oblectari. Multis enim diuitijs homines affluere desiderant: hinc vsuræ, furta, rapinæ, & lucra illicita: de quibus sæpe contingit, sicut de naui fluctibus & tempestate vehementer agitata, quę si nimium fuerit onerata, periclitabitur, nisi alleuietur: sic homo multis diuitijs abundans & oneratus, nisi per restitutionem & eleemosynarum largitionem alleuietur, in infernum detruditur & submergitur, hinc est instar nauis, *quæ pertransit aquam fluctuantem, cuius cum pertransierit, non est inuenire*
Vita nostra instar nauis *vestigium.* Vbi in vase scilicet nauis, potes notare paupertatem, quia tanquam nauis.

In itinere contrarietatem, quia pertransit fluctuan-

fluctuantem aquam.

In fine obliuionem, quia cùm pertransierit, non est inuenire vestigium.

Circa primum, notandum est, regiones quasdam, rerum maximè necessariarum & preciosissimarum penuriam habere, quibus nationes transmarinę abũdant. Contra huiusmodi pauperiem & indigentiam, inuentæ sunt naues, quibus res huiusmodi possunt per mare deferri. Regio itaque rebus preciosis, & necessarijs affluens, est vita sanctorum, sed regio indigens & pauperrima est vita malorum. Res preciosæ sunt merita & virtutes, quas per studium sanctæ contemplationis & imitationis, nauibus bonorum operum ad nos transferre debemus, vt his nostra vita abundet. Figura est huius rei, Lib. 2. Paralipo. cap. 9. Vbi legimus, quòd naues Salomonis ibant in Tharsis, & deferebant inde aurum, & argentum, & ebur, & simias, & pauos: Tharsis interpretatur exploratio gaudij, & significat gaudium, quo Sancti fruuntur in cœlo, pro merito suarum virtutũ, quas contemplando & considerando deferũt. Aurum designat charitatem, vt enim aurum omne aliud metallum excedit, ita charitas alias virtutes: Aurum terrę illius, est charitas sanctorum, qui perpetuo æuo fruuntur in cœlis: Optimum est, quia in summo gradu amoris diligũt Deum, & se inuicem, inde pax summa: Charitas enim beatorum omnem discordiam excludit, omnem concupiscentiam, & quidquid ad malum inducere potest. Quam chara

Nauis vita hominis.

2. Paral. 9.

Charitas signata per aurum, & quid efficiat.

illa charitas fuerit D. Paulo, satis ostendit, Roman.8. cap. his verbis, *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio, an nuditas? &c.* Omnia mala paratus est sustinere potiùs quàm illa priuari, nec immeritò, qui enim ea destituitur, pauper est & miser, qui eam habet, diues est & beatus, *Diligentibus enim Deum, omnia cooperantur in bonū:* Propter quod Apocal. 3. cap. Dixit Spiritus Sanctus, *Suadeo tibi emere aurum*, dando scilicet quidquid habes, *aurum ignitum*, id est charitatem feruentem, *vt locuples fias*, id est plenus omnibus virtutibus & bonis spiritualibus, quia *Charitas patiens est, benigna est &c.* 1.Cor.13.cap.

Rom. 8. 35. — Apoc. 3. 18. — 1. Cor. 13.

Patientia significata per argentum.

Secundò deferunt inde argentum, id est, exemplum patientiæ: Quemadmodum enim argentum inter omnia alia metalla, percussum dulciùs sonat: Sic homo patiens afflictus & percussus, dulciter Deo laudes sonat, & dulcia verba proximo, *quia verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.*

Item ad modum argenti, quantò asperiùs tractatur, tantò magis resplendet, sc. splendore virtutis, *quia virtus in infirmitate perficitur*: illud est argentum quod examinatum est igne, de quo Psal.11.cap. *Argentum igne examinatum &c.*

Psal. 11. 7.

Castitas significata per ebur, efficit hominē thronum Dei.

Tertiò, deferunt inde ebur, id est, exemplū castitatis: Nam elephas, de cuius ossibus est ebur, dicitur quasi concupiscentia carêre, Et pannus superpositus denti Elephantis, dicunt non comburi, si ab igne tangatur, & ità conti-

nentiæ virtus conseruat animam ab ardore libidinis, quę in carne accenditur, efficitque eā thronum Dei. 3. Reg. 10. cap. *Fecit thronum de ebore grandem.* 3.Reg.10.18

Quartò, deferunt simias, quę imitantur non solùm figuram, sed etiam opera hominum, ideo significant imitationem operum Christi, vel sanctorū, qui eum sunt secuti. 1.Corinth.11. cap. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 1.Cor.11.1.

Quintò, deferunt inde pauos, id est, exempla prudentiæ. Pauo enim femella prudenter occultat oua sua, ne dissipentur: Sic dicitur homo prudenter occultare bona sua, ne à superbia vel vana gloria dissipentur. Item Christus est pauo, qui terribilem habet vocem in comminationibus peccatorum; dicens, Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum &c.* Item, *væ vobis diuitibus qui habetis hîc vestram consolationem.* Luc. 6. cap. Et terribiliorem intonabit in iudicio, quando proferet sententiam damnationis. Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.*

Prudentia significata per pauōnē.

Christus pauo.

Matt. 23.15

Luc. 6. 24.

Matt. 25.

Huius pauonis pennæ sunt pulcherrimæ, quæ honestissimam conuersationem significant, quæ nobis ad imitandum proponēda est. Vnde Ezechiel. 10. cap. *Omne corpus eorum* hoc est, omnis vita sanctorum, *ad modum caudæ pauonis*, id est, exempli conuersationis Christi, quod nobis imitandum reliquit. Ezech.10.12.

Sic ergo debemus nauigare in cœlum, & nauem nostram bonis mercibus onerare, & de

singulis aliquid accipere, ab Apostolis exemplum patientiæ, à martyribus exemplum fortitudinis, à doctoribus exemplum prudentiæ, à Christo exemplum bonæ & honestissimæ conuersationis.

Secundò, in itinere nauis possumus considerare contrarietatem, quam patitur homo in decursu præsentis vitæ, quia pertransit fluctuãtem aquam: Instar aquę fluctuantis, est huius mundi decursus, qua nauis nostra, siue vita trãsire debet. Assimilatur autem mundus aquæ fluctuanti. Primò, quia in tali aqua, fluctus mutuò se collidunt, Et sic in hoc mundo superbi & potentes mutuò se lædunt. Eccl. 29. c. *Commouit illos quasi fluctus maris: Viros potentes gyrãs migrare fecit, & vagati sunt in gẽtibus alienis.*

Mundus similis aqua fluctuanti.

Eccl. 29. 25.

Secundò, in tali aqua nũc sursum, nũc deorsum feruntur: quia in mundo aliquando homines exaltantur Psal. 106. *Exaltati sunt fluctus eius*: Alij verò deijciuntur: ibidem, *Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos. Et aliquando confringuntur*, Iob. *Ibi confringes tumentes fluctus tuos*: Etenim mare fluctus suos confringit, quando mundus sæuiens, potentes & superbos opprimit.

Psa. 106. 26

Tertiò, aqua maris fluctuans, spumam & vẽtum gignit: Mundus spumam iniquitatis gignit, & ventum vanitatis: hinc in Epistola Iudæ, *Hi sunt fluctus feri maris, despumantes suas cõfusiones.* Et Iacob. 1. cap. *Similis est fluctui maris, qui à vento*, Sc. vanitate, *mouetur & circumfertur.*

Iacob. 1. 6.

Quartò, quia talis aquæ fluctus naues in pe-

riculo ponit: Nauis enim vitæ nostræ, non sine magno periculo transit per fluctus tentationum, & tribulationum. Iob. 30. cap. *Pedes meos subuerterunt, & oppresserunt, quasi fluctibus tentationum semitis suis, dissipauerunt itinera mea, &c.* *Iob. 30. 12.*

Verùm naui inter tales fluctus periclitanti succurrendum est: primò per oneris peccatorum depositionem, quod fit per veram contritionem. Hebræ. 12. cap. *Deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum, per patientiam curramus.* At multi malunt submergi, quàm onus peccati deponere, contra hoc dicitur. *Miserunt vasa in mare quæ erant in naui, vt alleuiaretur ab eis*: Hæc sunt vasa iniquitatis, quæ proijcienda sunt. *Hebr. 12. 1.* *Ion. 1. 5.*

Secundò succurrendum est, per eiectionem aquæ è naui, & hæc est peccatorum confessio, Threno. 2. cap. *Effunde sicut aquam, cor tuum*, ita vt non remaneat in vase cordis neque color, sicut fit, quando effunditur lac: Color peccati est similitudo peccati, id est cogitatio: Item neque odor, sicut quando effúnditur vinum, estque memoria peccati: Neque sapor de substantia peccati, id est de actu peccati, Psal. 61. *Effundite coram illo corda vestra, Deus adiutor noster in æternum.* *Thren. 2. 19.* *Psal. 61. 8.*

Tertiò, succurrẽdum est, per anchoræ fixionem, hoc est, per spem de Diuino auxilio, vel de cœlesti præmio, Hebr. 6. cap. *Firmißimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem*, quæ nobis est, sicut anchora au- *Spes anchora nostra.* *Hebr. 6.*

tis, hæc enim ſpes Deum excitat, dicendo. *Quare obdormis Domine?* Hominem periclitantem à mundi fluctibus liberat, Matth 8. *Motus magnus factus eſt in mari, Ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe verò, ſc. Chriſtus dormiebat: Et cùm acceſsiſſent ad eum diſcipuli ſuſcitauerunt eum, dicentes, Domine ſalua nos, perimus, Et tunc ſurgens imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.*

Matth. 8.

Memoria vita noſtra breuis.

Tertiò, in fine nauigationis noſtrę, notanda eſt obliuio, quia ſc. cùm præterierit nauis vitæ noſtrę, non eſt inuenire veſtigiũ id eſt memoriam: Nam mortuo homine, confeſtim obliuioni traditur Pſal. 30. *Obliuioni traditus ſum, tãquam mortuus à corde Eccl. cap. 1. Non eſt priorum memoria.* Quæ obliuio accidit, ob hominum infidelitatem, vel ádhęſionem ad præſentia. Sap. cap. 5. *Tanquam memoria hoſpitis, vnius diei prætereuntis.* Vel etiam propter operum illorum, qui mortui ſunt, vanitatem, & vitæ breuitatem, Sap. 2. cap. *Nomen noſtrum obliuionem accipiet per tempus, & memoriam habebit operum noſtrorum.* Pſal. 9. *perijt memoria eorum cum ſonitu.* Vel dicendum eſt, quòd non eſt inuenire veſtigium, id eſt, memoriam, vel nomen de eis, quorum vita præterijt, quod illis proſit vel obſit: illis viuentibus memoria vel nomen poterat eis prodeſſe vel obeſſe. Nunc autem è contrario, Poſt mortem eorum ſemper eſt eadem conditio ſtatus, ratione beatitudinis ſeu infœlicitatis, nec aliorum memoria quidquam illis affert aut detrahit.

Pſal. 30. 15.
Eccl. 1. 11.
Sap. 5. 15.
Sap. 2. 4.
Pſal. 9.

Vel per vestigium, quod post mortem non apparet, significari potest, occupatio vitæ in aliquo opere, quod apparet, cùm homo viuit, siue egregium aliquod opus & præstantissimum fabricando, siue docendo cum nominis celebritate, siue maxima & copiosissima lucra faciendo: Quæ omnia accedente morte citò pereunt & obliuioni traduntur: Vnde eorum omnium nullum inuenitur vestigium, ita vt de eo illud prophetæ dici possit. *Vestigia tua non cognoscentur* *Vestigium, quod non inuenitur, quid.*

Vel potest intelligi de vestigio Dei, per quod creatura corporea intelligitur, quæ est quædam eius imperfecta repræsentatio, spiritualis verò perfectior, vnde dicitur similitudo & imago Dei: dum ergo homo illa delectatur, vestigium Dei apud eum inuenitur: sed postquam præterijt nauis, id est, vita hominis, nihil ampliùs apud se reperit: Vnde est homo similis dormienti, qui somniat se inuenisse diuitias, Iob. 27. *Diues cùm dormierit nihil secum afferet, aperiet oculos suos, & nihil inueniet.* Et Psal. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Iuxta D. Gregorium. *Si diues res suas, dum viuebat, dedisset misericorditer pauperibus, etiam postquam per mortem præteriit, eorum vestigia, scilicet æterna præmia inuenisset in cœlo.* Matth. 19. cap. *Da pauperibus & thesaurum habebis in cœlo.* Ad quem thesaurum nos perducat pijssimus Iesus Christus, qui diues est in misericordia. *Vestigium Dei.* *Iob. 27. 19.* *Psal. 75. 5.* *Matt. 19. 21*

AMEN.

DISTINCTIO SECVNDA, IN QVA AGITVR DE MORTE, ET de mortis conditionibus: Cuius sunt nouem Conciones.

Prima Concio, est de mortis necessitate.
Secunda, de vniuersalitate mortis.
Tertia, de horrore mortis.
Quarta, de causa & origine mortis.
Quinta, de separatione animæ, & resolutione corporis.
Sexta, de generalitate mortis humanæ.
Septima, de velocitate mortis humanæ.
Octaua, de memoria mortis habenda.
Nona, de vtilitate mortis humanæ.

DE MORTIS NECESSITATE.

THEMA.

Statutum est omnibus hominibus, semel mori, & post hoc iudicium. ad Hebr. 9. cap.

ad Hebra. 9. 27.

Tres ciuitates Dei.

VIDEMVS diuersas ciuitates, alijs atque alijs legibus gubernari, quas municipales vocant. Deus in hoc vniuerso, tres principales ciuitates possidere di-

citur: Vna eſt cœleſtis & ſuprema, quæ ſub nomine Hieruſalem deſignatur, de qua ad Galatas 4. cap. *Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem.* Altera eſt infernalis & infima, quæ dicitur Babylon, Apocal. 18. c. *Væ, væ, væ, ciuitas magna Babylon.* Tertia eſt media, & terreſtris, quæ eſt viatorum & peregrinantium ad Hebræ. 13. *Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus.* In iſtis ergo ciuitatibus, Deus diuerſas leges condidit. Nam in ciuitate cœleſti, ſtatutum vitæ poſuit, quod tale eſt, vt ciues perpetuò viuant, & nunquam moriantur: Et ratio eſt, quia quemadmodum ſi eſſet aliquid coniunctum Soli, nunquam illi deficeret lumen, ſi igni, nunquam haberet defectum caloris, ſi fonti, nunquam illi deeſſet humor. Ita Sancti & Beati in cœleſti Hieruſalem ſemper ſunt Deo coniuncti, qui eſt fons & principium vitæ & gaudij, à quo nequaquam ſeparari poſſunt, ergo non poteſt in eis vitæ & gaudij eſſe defectus, Pſ. 35. *De torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ.*

Ad Gal. 4. 26. Apoc. 18. 16.

Ad Hebr. 13 14.

Statutum ciuitatis cœleſtis, vt beati perpetuò viuãt.

Pſal. 35. 9.

Et quia ille fons eſt Chriſtus Dei Filius, ait ipſemet de Sanctis, Ioan. 10. cap. *Ego vitam æternam do eis.* Illa ergo ciuitas æterna, & omnibus affluens delicijs, eſt tantùm iuſtorum & Angelorum.

Ioan. 10.

At verò in ciuitate infima & terreſtri, quæ eſt rebellium Angelorum ſeu Dæmonum, & perditorum hominum, fidelium, malorum, & infidelium, aliud ſtatutum conſtituit Deus, vt videlicet ſemper viuant & ſemper moriantur,

Statutum ciuitatis inferiorum.

Psal.48.14. hoc est viuant vita naturæ, & morte gehennæ, Psal. 48. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* q. d. Sicut oues pascuntur herba, & herba pasta, iterum reuiuiscit, vt iterum pascatur: Sic pœna damnatorum eos mortaliter cruciat, & cruciati adhuc semper viuent, vt iterum crucientur.

Statutum ciuitatis terrestris. In hac verò ciuitate terrestri, alia est lex posita à Deo, aliudque statutum, hoc videlicet, vt omnes qui hanc vitam ingrediũtur, eadem semel egrediantur, & de hoc statuto loquitur Apostolus in Themate, dicens, *Statutum est, &c.* In quibus verbis de morte hominum tria insinuantur.

Primum, quòd mors est quædam punitio legalis.

Secundum ostenditur, quòd mors est quædam corruptio naturalis.

Quartum, quòd mors est quædam citatio iudicialis.

Mors pœna inflicta à Deo. Quod attinet ad primum, mors est punitio siue pœna quædam legalis, quia inflicta est à lege Diuina. Nam primo homini illam legem promulgauit Deus in paradiso, Gen. 2. dicens, *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scien-* *Gen.2.16.* *tiæ boni & mali, ne comedas, in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

In ista lege, duo continebantur præcepta: Vnum naturæ, ad conseruationem naturalem indiuidui, cùm dicit, *ex omni ligno paradisi comede.* Alterum disciplinæ, ad promerendam gloriam paradisi per obedientiam: Dicitur-

que præceptum disciplinæ, quia vitare lignum scientiæ non suadebat natura, sed disciplina, & per ipsum dicitur quanta sit virtus obedientię. Aliquid verò prohibetur à Deo, duòbus modis, vel quia malum, *vt non furtum facies, non loquêris aduersus proximum falsum testimonium.* Exod. 20. cap. Vel quia occasio mali vt Matth. 5. *Nolite iurare omnino.* Quia ergo Adam, in quo adhuc tota natura humana continebatur, prædictam legem transgressus est, Diabolo & vxore suadente, ideo non tantùm ipse, cum vxore, sed & omnes posteri eius, pœnam dictæ legis incurrerũt, sc. moriendi necessitatem. Itaque ab eo tempore, *statutum est omnibus hominibus semel mori*: At verò ante huius statuti trãsgressionem, quandam immortalitatem habebant primi nostri parentes, hoc est, possibilitatem non moriendi, quandiu Deo obtemperassent, quæ quidem manabat ab anima, sicut ab influente, nam vt ipsa erat subiecta Deo, sic corpus: A corporis æqualitate tanquam à disponente: A ligno vitę, sicut à vegetante & senectutem prohibente: A regimine verò diuinæ prouidentiæ, velut ab interius conseruante, & exteriùs protegente, verùm transgrediente Adamo diuinum illud præceptum, destituta est natura illis omnibus auxilijs: *Sicque statutum est omnibus semel mori*: Nec tantùm est generale, sed etiam immutabile decretum, de quo id dicitur, quod est apud Daniel. cap. 6. *Non immutetur quod statutum est, nec præuaricari cuiquam liceat.*

Aliquid prohibetur duobus modis.

Exod. 20. 15

moriẽdi necessitas.

Daniel. 6 8.

In quibus verbis, de mortis ſtatuto, tria breuiter oſtenduntur.

Primum, habere ſtabiliſſimam firmitatem.

Secundum, iuſtiſſimam æquitatem.

Tertium, immobilem obſeruantiam.

Leges abrogantur & immutantur multis modis.

Circa primum, obſeruandum eſt, conſtitutiones abrogari & immutari multis modis, Primò; per eum qui illas condidit, Etenim res omnis per eaſdem cauſas diſſoluitur, per quas naſcitur, extra de reg. iuris: Secundò per legem nouam, & contrariam. Verùm diſtinctione hic opus eſt. Sunt enim quædam ſtatuta localia, & quæ continent ius commune: Alia ſingularia, & quæ in facto conſiſtunt. Si continēt ius commune, per nouum ius contrarium immutari poſſunt. Si verò ſunt ſtatuta ſingularia & in facto poſita, rationi que conſentanea, nec expreſſè reuocentur, per conſtitutionem nouam non abrogantur. Noua ergo conſtitutio principi tollit primam contrariam, etiam ſi id non exprimat extra de conſtit. lib. 6. Poſſunt etiam ſtatuta ſeu iura poſitiua per conſuetudines contrarias abrogari; dum modò ſint rationabiles, & legitimè pręſcriptę. Extra de conſtit. Conſuetudines. §. licet etiam longeuæ. Sed diuinum ſtatutum prædictum de morte nullatenus immutari poteſt: Cùm enim inferior in legem ſuperioris nihil poſſit, ſitque à Deo ita conſtitutum, à nulla creatura deſtruetur lex de moriendi neceſſitate.

Lex de moriēdi neceſſitate immutabili.

Vnde licet Enoch & Helias in paradiſo ter-

restri viuant, & victuri sint, vsque ad Antichristi tempora, finaliter tamen statutum illud implebunt, quia morientur, sicut patet Apoc. 11. Vbi dicitur *quòd bestia quæ ascendit de Abysso, faciet contra eos bellum, & vincet, & occidet illos.* Dicat igitur omnis creatura illud Numer. 22. cap. *Non mutare potero verbum Domini.* Nec Deus etiam mutaturus est, quia vt ibidem habetur cap. 3. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.*

Apoc. 11. 7.

Numer. 22. 18.

Secundò, ostenditur eam legem esse æquissimam: statutum enim non obligat nisi sit iustum & æquum: Ex tribus autem iustum esse demonstratur, primò ex fine, si ordinatur ad bonum commune, si enim lex aliqua referatur tantùm ad bonum & vtilitatem alicuius vel aliquorum est iniqua: secundò ex authoris potestate, Vnde si qui condunt leges non haberēt potestatem in Rep. illæ essent iniustæ: Ex proportionis æqualitate, vt scilicet talia sint statuta, quæ æqualiter subditis imponant onera, in ordine ad bonum commune: Cùm vnusquisque homo pars sit multitudinis, quilibet homo, hoc ipsum quod est, & quod habet est multitudinis, quemadmodum quælibet pars illius, quod est totum est totius: hinc natura vt saluet totum, partem exponit periculo, Ergo leges communes aut municipales, quæ secundùm æqualitatem onera imponunt, iustæ censentur, sin minus, iniustæ, quæ in conscientia non obligant, Lex enim esse non videtur, si non fuerit iusta. Atqui statutum illud diuinũ de mor-

Dan. 6. 8.

Lex de morte æquissima.

te, omnibus modis eſt æquum & iuſtum, primò ex parte finis, quia ad bonum commune refertur, & totius vniuerſi, ad cuius perfectionẽ ſpectat non tantùm vt in vniuerſo ſint quædam creaturæ incorruptibiles, vt ſunt Angeli; quædam corruptibiles, vt mixta corpora, ſed etiam vt in eo inueniantur creaturæ, partim interitui obnoxiæ, partim immortales & incorruptibiles, vt ſunt homines, quorum corpora intereunt, animæ verò nuſquam moriuntur. Vtile eſt etiam hoc ſtatutum omni humanæ naturæ, quæ ex primorum parentum peccato, expoliata originali iuſtitia, multis miſerijs ſub-
*Iob.*14.1. iecta eſt, Iob. 14. à quibus per mortem ad regnum cœleſte perducitur, quod intelligi debet de bonis & iuſtis, quemadmodum apparebit
*Matt.*25.33. in die iudicij, ex differentia poſitionis bonorũ à dextris, & malorum à ſiniſtris, qui quidem damnabuntur, non culpa huius ſtatuti, ſed corruptione malæ vitæ, ignorantia craſſa; & cæ-
*Rom.*10. 3. citate, de quibus Roman. cap. 10. *Ignorantes Dei iuſtitiam, ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Secundò, ex parte legiſlatoris, qui Deus eſt, & Dominus vitæ & mortis. 1. Reg. 2. *Dominus mortificat, & viuificat*; Ergo potuit legẽ hanc ferre de morte. Nec obſtat illud Sap. 1. cap. *Deus mortem non fecit*, quia mors dupliciter
Mors dupliciter conſideratur. conſiderari poteſt. Primò prout eſt malum quoddam naturæ humanæ, & ſic nõ eſt à Deo, ſed eſt quidam defectus adueniẽs humanæ naturæ, ex culpa ſua propria. Alio modo poteſt ſpectari, quatenus in ſe continet rationem ali-

quam boni, hoc eſt, prout eſt quædam iuſta pœna, ſicque eſt à Deo. Vnde Auguſt. in lib. retract. docet Deum non eſſe authorem mortis, niſi in quantum eſt pœna tranſgreſſionis peccati, Rom.2. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Hanc rationem infideles quidam Philoſophi deſtruere conati ſunt, exiſtimantes animam interire cum corpore, mortemque non à culpa, ſed à neceſſitate naturæ promanare, vnde mortem ſimpliciter malam aſſeruerunt: E contrario Christiani imbuti fide, illam diuinæ iuſtitiæ legem approbant. Iuxta illud Rom.3. *Legem destruimus per fidem, abſit, ſed legem ſtatuimus,* id eſt approbamus mortis neceſſitatem, ex eo quòd animas beatorum, ad fœlicem vitã credimus, & in ipſa etiam mortis pœna, diuinam iuſtitiã commendamus. Rom. 2. 12. Rom. 3. 31.

Tertiò, iſtud ſtatutum oſtenditur eſſe iuſtũ ex forma, id eſt, ex æqualitate: ſeruatur enim æqualitas, quatenus nullus à morte excipitur, 2. Reg. 14. cap. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur &c.* Notatur tamen aliqua diuerſitas in eo, quòd quidam citiùs, quidam tardiùs, quidam acerbiùs, quidam dulciùs ex hac vita decedunt: Verùm hæc diuerſitas non attenditur penes quantitatem culpæ: quia quantùm ad peccatum originale, non videtur eſſe differentia, etenim ex primo parẽte contrahitur, à quo omnes æqualiter deſcenderunt. Quantùm ad peccatum actuale, non etiam attenditur hæc diuerſitas, aliàs qui grauiùs peccarent, citiùs & *Lex de necessitate moriendi eſt iuſta.* 2. Reg. 14. 14 *Vnde diuerſitas moriendi petenda.*

acerbiùs morerentur, quod à veritate alienum est, vt patet ex martyribus & alijs. Nec secundùm quantitatem roboris & virtutis naturalis vniuscuiusque, Cùm multi non moriantur morte naturali, sed violenta, vel fortuita. Videtur ergo potiùs hæc varietas petenda ex beneplacito diuinæ voluntatis, quæ sic disposuit, vt omnes homines moriantur, sed quo modo, & quo tempore, illud constituit: siue ad salutem
Sap. 4. 14. morientis, iuxta illud Sap. 4. cap. *Placita erat anima illius, propterea festinauit educere, ne malitia mutaret intellectum*: Siue ad ostensionem iusti-
Genes. 38. 7 tiæ suæ, Gen. 38. cap. *Fuit Her primogenitus Iudæ, nequam in conspectu Domini, & ideo ab eo occisus est*: Vel ad ostensionem suæ reuerentiæ, sicut patet de Oza, qui Irreuerenter tetigerat arcam Dei,
2. Reg. 6. 7. 2. Reg. 6. cap. *Iratus est indignatione Dominus cōtra Ozam, & percussit super temeritate sua, qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei.* Quandoque verò ad ostensionem suæ misericordiæ, sicut Eze-
Esa. 28. chiæ flenti & roganti, annos vitæ donauit, Esa. 28. Istæ tamen causæ, quibus Deus vult quosdam citiùs, quosdam tardiùs, vel hoc vel illo modo mori, nobis quidem frequenter sunt occultæ: Patet ergo quòd Deus iustè & immutabiliter statuit, quo tempore, vel qua morte,
Iob. 14. 5. vnusquisque moriatur Iob. 14. cap. *Constituisti terminos qui præteriri non poterunt.*
Daniel. 6. 8. Tertiò, loco citato ostenditur istud statutū
Lex iusta obligat in foro exteriori & conscientia. inuiolabiliter obseruari, ita vt nemo præterire possit: Vbi obserua legem iustam nō posse præteriri, eo quod obliget & in foro iu-
diciali

diciali,& in foro conſcientię, Matth. 5. cap. *Matt. 5.18.* *Iota vnum, aut vnus apex, non præteribit à lege, donec omnia fiant*: Tamen de facto tam diuinæ leges quàm humanæ, præcipuè à potentibus & magnis prætereuntur. Vnde Anachar vt refert Valerius lib.4. Dixit leges humanas ſimiles eſſe telis aranearum, quia ſicut illæ infirmiora animalia retinent, & valentiora tranſmittunt, ita humanæ leges, humiles & pauperes conſtringunt, diuites verò & potentes non alligāt neque retinent: Quod attinet ad hanc legem de neceſſitate moriendi, nec diuitem, nec magnatem præterire fas eſt, cùm ſit ex iuſtitia Dei lata: Et ea de cauſa bene dicit Propheta Pſal. *Pſal. 148.* 148. *Præceptum poſuit & non præteribit*. Sc. ſiue ſit diues, ſiue pauper ſiue de iure, ſiue de facto, tranſgredietur illam legem de morte.

SECVNDÒ, in auctoritate Them. oſtenditur, quòd mors eſt quædam corruptio naturalis. *Heb. 9.27.* *Mors corruptio naturalis.* De natura enim hominis eſt, interire & corrumpi, quia corpus ex contrarijs componitur: Eſt ergo homo natura ſua mortalis. non ex parte formæ, id eſt, animæ, quæ ex ſe eſt immortalis, ſed ex parte materiæ, id eſt corporis, à quo naſcitur corruptibilitas. Hinc dicit Seneca, *mortem homini eſſe naturam, non pœnam*: Quod poteſt dupliciter intelligi, vno modo *Mors natura non pœna.* quia non inferat pœnam morienti, & hoc eſt verum, quia adueniente morte, illam homo nō percipit, ſicque non affligit, eſt enim priuatio vitæ, quæ percipi non poteſt.

Alio modo poteſt intelligi, quòd mors non

ſit pœna, ſcilicet ex peccato ſequens, & hoc falſum eſt, quia licet ex natura materię ſuæ, homo eſſet corruptibilis & mortalis, tamē Deus qui eſt omnipotens ademerat ab homine neceſſitatem moriendi, ex tali materia conſequētem: fuit enim primò homini collatum à Deo, vt quandiu mens eius eſſet ſubiecta Deo, inferiores animæ vires menti, & corpus animæ, non moreretur: Et quia mens hominis per peccatum à diuina ſubiectione receſſit, inde conſecuta eſt mors, ægritudo, & alij defectus corporales. Ex quibus poſſumus colligere mortē eſſe naturam, hoc eſt, naturalem propter conditionem materiæ, & etiam pœnam, hoc eſt, pœnalem, propter amiſſionem diuini beneficij, & iuſtitiæ originalis præſeruantis à morte: Et ideo non tantùm ex diuino ſtatuto, ſed etiā ex natura contingit, vt nullus homo euadere poſſit finaliter corruptionem, vnde Pſal. 88. *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem? &c.* & Eccl. 9. *Nemo eſt qui ſemper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam.*

Pſal. 88 47. *Eccleſiaſt.* 9 4. *Hebræ.* 9. 27 *Iudicium generale & particulare. Triplex citatio.*

Tertiò, in authoritate principali oſtenditur, mortem eſſe citationem iudicialem: ait enim Apoſtolus, *& poſt hoc iudicium*: Nam ſicuti poſt mortem omnium, ſequitur iudiciū generale: ita poſt mortem cuiuſlibet particularis hominis, ſequitur etiam iudicium particulare: Sed generale quidem iudicium præcedet: Primò citatio monitoria, Secundò citatio præceptoria. Tertiò peremptoria, hinc 1. ad Theſſal. 4, *ipſe Dominus in iuſſu*: Ecce citatio

1. ad Theſſ. 4. 16.

preceptoria, de qua Psal.7. *Exurge Domine &c.* Sequitur, *in voce Archangeli,* Ecce citatio monitoria, de quo Iocl. 3. *Consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes*: Et loco citato ex Apostolo habetur: *Et in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui qui in ipso sunt resurgent primi:* Ecce citatio peremptoria. Apoc. 10. *Angelus quem vidi stantem supra mare, & supra terram, leuauit manum suam ad cœlum, & iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, qui creauit cœlum, & ea quæ in ea sunt, & mare, & ea quæ in eo sunt, quia tempus non erat amplius, sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere consummabitur mysterium Dei.*

Ioel 3.

Apoc.10. 5.

Hæc etiam triplex citatio præcedit iudiciũ particulare: Citatio monitoria fit per prædicationem: Præceptoria per Prelatos, vel per scripturas, præcepta diuina continentes: Sed peremptoria per mortem, per quam homo ad iudiciũ vocatur. Verùm hoc loco notandum est, ex iurisperitis, iudicium esse actum legitimum trium personarum, iudicis, actoris, & rei, extra de verb. signific. Sed si factum negetur quarta persona inducitur, sc. testis, quoniã in omni iudicio, necesse est quatuor personas reperiri, iudices electos, accusatores idoneos, defensores congruos, & testes legitimos &c. In iudicio generali Christus est iudex, Actor.10 *Constitutus est à Deo, iudex viuorum & mortuorum.* Actor Diabolus: Rei sunt peccatores, Testes Angeli, Instrumenta, conscientiæ seu diuinæ scripturæ: Argumenta, peccata patentia, vel

Triplex citatio præcedit iudiciũ particulare.

Distinctio iudicij.

Quatuor personarũ genera in iudicio.

Actor.10.42.

in finali iudicio ipsæ creaturæ, contra peccatores commotæ: *Eccl. 11. Lætare iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum, in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scitò quod pro his omnibus adducet te Deus in iudicium*, & Eccl. vlt. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, pro omni errato siue bonum siue malum*: Si malum, punietur pœna æterna, si bonum, præmiabitur gloria immortali & æterna. Ad quam nos perducat, qui sine fine viuit & regnat. Amen.

Eccl. 11. 9.

Eccl. vlt. 14.

DE COMMVNITATE ET VNIVERSALITATE mortis.

THEMA.

Eccl. 9. 20. *Communionem mortis scito*. Eccl. 9. cap.

Cognitio incipit ab eo quod est vniuersalius.

Ait Philosophus in cognitione primò occurrere, quod est communius, & magis vniuersale, Et postea descendendo gradatim, deueniendum ad ea, quæ sunt magis particularia: Ponit exemplum de eo, quià longe aliquid intuetur, priùs enim cognoscit esse corpus, deinde animal, postea hoc animal: Pueri omnem hominem, prima cognitione Patrem vocant, postea singulariùs discernunt: Primò igitur lo-

co ſapiens, vt ad memoriam propriæ mortis nos inducat, ad vniuerſalitatem & communionē hortatur verbis propoſitis in Themate. *Communionem mortuſcito*. Eccl. 9. In quibus tãguntur tria.

Primò, illud quod eſt magnæ generalitatis.
Secuudò, illud quod eſt magnæ æquitatis.
Tertiò, illud quod eſt magnæ vtilitatis.

Quòd ad primum ſpectat, certum eſt mortem ſe omnibus hominibus communicare, Eccl. 9. *Nemo eſt qui ſemper viuat*, Ergo omnis homo morti obnoxius, imò quod generalius eſt, omnibus animalibus ſeſe communicat, propter quod diciturEccleſ. 3. cap. *Vnus eſt interitus hominum & iumentorum, & æqualis vtriuſque conditio*, quia ſicut homo moritur, Ita & illa moriuntur: quod intelligendum eſt, quantùm ad corpus conſtans quatuor qualitatibus, non quantùm ad animam: Nam anima quę eſt forma hominis, eſt immortalis, Brutorum verò animæ ſunt mortales, moritur ergo homo ratione corporis, non animæ: Ergo illius communionis mortis, omnes meminiſſe debem⁹, ne aduerſus proximum, nos extollamus: ad eam communionem referri poſſunt verba illa Apoſtoli, Hebræ 13. cap. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci* In quibus verbis, ſi referantur ad mortem, tria facit Apoſtolus.

Omnis homo morti obnoxius. *Eccl. 9. 4.* *Eccl. 3. 19.* *Hebr. 13. 16*

Primò, commemorat moriendi profectum.
Secundò, commemorat mortis amplexum.
Tertiò, excludit reminiſcendi defectum.

Circa primum aduerte, mortem inſtar reginæ

cuiusdam, quibusdam benefacere, alijs nocumento esse. Malefica quidem est improbis & peccatoribus, qui impenitentes è vita hac decedunt: hi enim bonis præsentibus & futuris morte priuantur, imo ad æternos cruciatus rapiuntur, Psal. 33. *Mors impiorum pessima*: Mala, quia expoliat temporalibus bonis: peior, quia copulat æternis supplicijs: pessima, quia priuat æternis bonis. Vnde manifestè colligatur, Dei magnam esse beneficentiam, si homo ante mortem de malis suis puniatur, non autem in futura vita, 2. Machab. 6. cap. *Multo tempore nō finere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est Indicium.* Deus enim sicut in alijs nationibus patienter, expectat, vt eas, cùm dies iudicij aduenerit in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris in finem deuolutis, tandem in nos vindicet, & sic nunquam suam misericordiam ab hominibus amouere solet: Corripiens verò in aduersis, populum suum non derelinquit.

Psal. 33. 21.

2. Machab. 6. 13.

Dei misericordia in puniendo peccatore ante mortē.

Iustis mors benefica.

Porrò iustis qui bene vixerunt, mors est valde benefica, quia eripit eos à malis præsētibus, separat ab inferni supplicijs, & copulat æternis bonis, tunc dicent illud Psal. 114. *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*: Sed inter alios, præcipuè hominibus misericordibus est benefica, beneficentiam recipientes pro benefica voluntate, & liberalitate: Iuxta illud D. Ambrosij, *Summa Christianæ religionis perfectio est misericordia, quam qui secutus*

Psal. 114. 7.

Misericordibus grata mors.

fuerit, etiam si carnis lubricum patiatur, vapulabit quidem sed non peribit: Pro temporalibus etiam bonis, quæ proximis viuentes fecerunt, æterna bona recipient post mortem: vnde Prouerb. 11. *benefacit animæ suæ vir misericors.*

Secundò, ostendit Apostolus loco citato mortis amplexum: Quia mors omnes amplectitur homines, & omnibus est communis: Sed notanda est aliqua communio, quam debemus vitare, videlicet illam, quæ est cum excommunicatis. Propterea enim dicitur excõmunicatus, quia est extra communionem fidelium adiudicatus. Vnde non debet fidelis, cum excommunicato participare, Nec in locutione, nec in oratione, nec in salutatione, verbo aut litera, nec in osculo dando, nec in sacramentorum participatione, quæ omnia hoc versu continentur. *Hebr. 13 16* *Excommunicati vitandi.*

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Quandoque ergo quis participat cum excommunicato nominatim expresso & ex iudicis lata sententia, incurrit excommunicationem minorem, sed tamen non peccat mortaliter, nisi quando in crimine secum participat, vel in contemptum Ecclesiæ, vt dicit Sanctus Thomas. Ista est ergo communio quæ nobis prohibetur 1. Ioan. 2. *Nec aue ei dixeritis*, scilicet excommunicato vel hæretico. *Qui enim dicit ei Aue, communicat operibus eius malignis.* Eccl. 13. Quæ communicatio sancto homini, ad canem? id est, ad excommunicatum, qui est ab ecclesia expellendus, vt canis, Apocal. 22. *1. Ioan. 2 13* *Appoc. 22.*

Foris canes, & venefici.

Mors communis omnibus.

Sed quædam alia est communio, quæ vitari non potest, estq; mortis, quia omnes morimur: commendatur verò quòd triplicem malam singularitatem remoueat. Primò, superbiæ, superbus enim vult esse singularis, cæteris enim omnibus præstare & excellere cupit. hinc ait August. *Superbia est peruersæ celsitudinis appetitus.* At mors omnes æquales facit. Vnde quidam ait.

Definitio superbiæ.

Est commune mori, mors nulli parcit honori.

Debilis & fortis veniunt ad limina mortis.

Mors fugat superbiam, auariciam, tristitiã & inuidiam.

Qui igitur in dignitatibus & honoribus maior est, in morte est æqualis.

Secundò, communio mortis sæpe remouet singularitatem auaritiæ: Auarus enim vult esse singularis, quia vult omnia sibi soli appropriare, & nihil alijs communicare: Vnde multùm abest à liberalitate, qua homo sua, libẽter alijs impertitur & communicat. 1. ad Timoth. 6. c. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum: Bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendat bonam vitam.*

1. ad Timot. 6. 17.

Differt etiam à charitate, quia auaritia vult omnia facere sibi propria, è contrario charitas omnia communia. Vnde Acto. 2. primi Christiani omnia habebant communia: hinc communioni auaritiæ, communio mortis aduersa-

Acto. 2.

tur,quia per eam,quæ congregauit auarus,alijs diſtribuuntur. hinc Seneca ait, *auarum nihil bene agere,neque prodeſſe niſi quando moritur.*

Tertiò,mortis communio fugat triſtitiam, & dolorem inuidiæ: inuidus enim triſtatur & dolet de bonis,quibus proximus eum ſuperat, quęque appetit & diligit, gaudetque priuari aliquo bono ſiue externo,ſiue corporis,quo illum præire poteſt: At mors hæc õnia excludit,omnes enim pares efficit, mors igitur illud Sapientis cap.7. Sap. vſurpare poteſt. *Sine inuidia communico.* *Sap. 7.*

Tertiò,Apoſtolus in auctoritate allata excludit reminiſcendi defectum, cùm dicit, *Nolite obliuiſci eius*,hoc eſt,cuius memoria eſt ſibi maximè vtilis & neceſſaria,vt eſt memoria mortis,quæ quidem vtiliſſima eſt. *Heb. 13. 16.* *Memoria mortis ad multa vtilis.*

Primò quidem, ad pœnitentiæ cõuerſionẽ, Eſay.38.cap. vbi legitur quòd cùm Rex Ezechias audiſſet: *Morieris tu & non viues*, ſtatim conuerſus eſt ad fletum & pœnitentiam. Et Niniuitæ audientes,*Adhuc quadraginta dies,& Niniue ſubuertetur*, ad pœnitentiam ſunt conuerſi. *Eſa. 38. 1.*

Secũdò,valet memoria mortis,quia prouocat ad eleemoſynarũ largitionẽ: Cuius figura habetur.1.Machab.1. *Vbi legitur quòd Alexãder vt cognouit quòd moreretur, diuiſit regnũ pueris ſuis.* Sic multi timore mortis condunt teſtamẽta,& eleemoſynas diſtribuẽdas relinquũt,quia dicit beatus Hyeronimus,ſolã miſericordiã comitẽ eſſe defunctorũ,nõ eorũ opes & diuitias: Vndę *1. Macha. 1.*

si homo in morte obliuiscitur operum misericordię, & misericordia Dei, illius obliuisci dicitur Iob. 24. *Obliuiscatur illius misericordia.*

Iob. 24. 20.

Memoria mortis ad totius vitæ directionē vtilis.

Tertiò valet memoria mortis, ad totius vitæ directionē: Aues enim volādo, & pisces natādo, cauda sua dirigunt vitā suā, & tētationes excutiūt cauda, id est, mortis memoria. Iob. 12. *Interroga iumenta & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi: loquere terræ & respondebit tibi, & pisces maris narrabūt tibi.* Insuper qui vult nauē suā bene gubernare, debet cōsistere in fine nauis, id est, vitæ suæ finē & mortē cōsiderare, vt possit ad bonū exitū nauem suā; id est, vitā dirigere. O quā nautæ sunt solliciti de nauis directione, dum aliquod periculū ineundū est: Sic quilibet prouidêre sibi debet cū ad momentū mortis periculosissimū appropinquat. Ps. 103. *Illic naues pertrāsibūt.* Ergo memores mortis esse debemus, Deuter. 25. cap. *Caue ne obliuiscaris.*

Iob. 12. 7.

Psal. 103.

Deut. 25.

Eccl 9. 20.

Mors æquissima.

SECVNDÒ, in auctoritate Them. tangitur illud quod est magnæ iustitiæ & æquitatis, Sc. mors: Pertinet enim ad æquitatē iustitię, nulli⁹ personæ acceptionē habere in iudicio: quā æquitatem mors seruat: Nemini enim ignoscit, nec acquiescit cuiusquā precib⁹, nec munerib⁹ corrumpitur. *Talis iustitiarius æterni iudicis, est mors*, Ergo timēda, Psal. 54. *Formido mortis cecidit super me. Tremor & timor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.*

Psal. 54. 4.

Mortis timor, vnde manat.

Primò, homo timet mortem, quia eū priuat omnibus quibus multùm delectabatur, vt parētibus, amicis, diuitijs, voluptatibus, delicijs,

hominibus &c. hinc Psal. 88. *Posuisti firmamẽtum eius formidinem.* Firmamentũ dicitur illud, in quo homo magis confidit, & timet amittere: Vnde non mirũ quòd mors sit omnibus timori, omne enim firmamentũ mũdi tollit, siue sit diuitiarũ, siue amicorũ siue cõsanguineorũ &c. ideoque omni auxilio humano homo destitutus manet. Psal 88 39.

Secũdò, homo mortem reformidat propter memoriã peccatorũ, & occursũ dęmonũ: Peccatorũ quidẽ, quia sicuti iusti, bene sperant de misericordia Dei, ex bonis suis operibus, sic impij malè sperãt ex malis suis operibus Deut. 31. c. *Occurrẽt vobis mala, in extremo tẽpore, à quib⁹ nõ poteritis exire.* Vnde cõtingit peccatori morienti, id ipsum quod obijcit Cicero Catilinæ. *Scelera tua quasi quędam furiæ occurrẽt tibi.* De occursu dæmonũ B. Bernard. hæc ait. *O anima mea qualis illic pauor cùm tibi cateruatim terrentia illa dæmonia occurrent, teterrima monstra videbis: sicut venatores irruunt in feram comprehensam à canibus, sic dæmones in animas è corporibus exeuntes.* In morte D. Martini dæmones affuisse leguntur. D. Chrysost. Ita animã alloquitur, *Quis te tuebitur anima mea, à rugientibus preparatis ad escam? quis tibi in die tantæ necessitatis succurret? quis consolabitur? quis deducet?* Tunc ergo erunt maximæ angustiæ. Thren. 1. *Omnes persecutores eius, comprehenderunt eam inter angustias.* Sic ergo erũt peccata, terrentia ab interiori, & dæmonia impugnãtia ab exteriori, *Foris pugnę, intus timores.*

Deut. 31. 29.

Dæmones apparent in morte.

Thren. 1. 3.

Tertiò, homo timore afficietur propter iu-

Timor mortis propter iudicium Dei.

diciũ,quia ſtatim anima egreſſa ducitur ad iudiciũ,&tremens ac pauens ſtatuitur corã iudice,vt pro actionibus ſuis ſententiã audiat, vt cõſcius criminis qui adducitur ante iudicẽ cõdẽnationẽ recepturus. Si enim D. Paulus audita voce iudicis redarguentis & interrogãtis, *Saule Saule quid me perſequeris? tremens ac ſtupens, dixit, Domine quid me vis facere?* Quanto tremore ac pauore concutietur homo, audiẽdo vocẽ Chriſti tonantis & condemnantis?

Eccl.9.10.

Quatuor de morte ſciri non poſſunt.

TERTIÒ, in auctoritate principali docetur Eccl.9.aliquid quod eſt magnę vtilitatis, videlicet illud quod poteſt ſciri de morte. Vbi obſeruabis nonnulla eſſe de morte, quæ certitudinaliter ſciri non poſſunt, quatuor videlicet, ſtatus, locus, tempus, & modus.

Status quidẽ, quia neſcit homo, in quo ſtatu ſit moriturus, bono an malo, & tamen qualem mors te inueniet, talẽ tu inuenies eam, Pſal.115. *Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius,* quia eos precioſos inuenit. *Et mors peccatorum peſſima* Pſal.33. quia eos peſſimos inuenit. Ecc. 9. *Sunt iuſti & ſapientes,* & poſt, *Neſcit homo amore an odio dignus ſit, Sed omnia in futurum reſeruãtur incerta.*

Pſal.115 5.

Itẽ locus, quia neſcit homo, quo in loco vita priuabitur, hinc Seneca, *Inſidiatur tibi mors in omni loco*: Neſcis enim quo loco mors te expectet, Tu quoque ſi ſapiens fueris, vbique eam expectabis.

Itẽ tẽpus mortis voluit Dominus incertum eſſe, vt õnis hora habeatur ſuſpecta, Luc. 12. 8

Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, expectaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.

Itē nescit homo modū, vel genus mortis, vtrū gladio, vel aqua, vel igni moriturus sit. Ecc. 9. *Nescit homo finem suum, sed quēadmodū capiuntur pisces hamo, sic homines capientur tempre malo.* De his superius dictum est concione 7. distinct. 1. *Eccl. 9. 12.*

Sunt autē præcipuè tria, quæ homo scire debet, suam vilitatē, suā mortalitatē, & suam fœlicitatem, de quibus 2. Cor. 5. cap. hec habet D. Paulus. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis,* Ecce corporis vilitas, quæ domus terrestris vocatur, *Dissoluatur.* Sc. per mortem, Ecce mortalitas: *Quòd ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, sed æternam in cœlis,* Ecce fœlicitas. *De morte tria sciri debent.* *2. Cor. 5. 1.*

Quoad primum, nota vilitatem humani corporis: primò ex parte materiæ, quę est terra à qua dicitur terrestris domus, fuit enim terra primordialis materia corporis humani, Gen. 1. Et ideo ait Apostolus, *Primus homo de terra terrenus.* 1. Cor. 15. cap. Non mirum quod superbierit Angelus cuius natura est purissima ab omni materia separata. Sed mirabilius est, quòd superbiat homo de re immunda & vili formatus, & mox in puluerem & cineres redigēdus. Vnde Eccl. 10. *Quid superbis terra & cinis?* *Sciri debet vilitas nostra.* *1. Cor. 15. 47* *Eccl. 10. 10.*

Secūdò, ex parte figuræ, quia figuratur domui, habet enim corpus hominis inferius pedes, quasi ad modū fundamenti, Crura & tibias ad modū columnarū super quibus ædificiū cor- *Vilitas hominis quia ruinosa.*

poris sustentatur, & superius caput ad modum tecti. Sed ista domus est ruinosa, quia quotidie aliquid de ea ruit, quousq. totaliter per mortẽ subuertatur. Prou. 2. *Inclinata est domus eius ad mortem*. Nam ea die, qua homo nascitur, incipit diminui, Sap. 5. cap. *Nati continuò desinimus esse*. Et quia citò tempus vitæ dilabitur, cuilibet dici potest: *Citò subuertetur domus tua*.

Prou. 2. 18.

Sap. 5. 13.

Item est domus ærumnosa, quia ærumnis & infirmitatibus est plena, vnde Seneca multa nos incommoda exagitant: Quãtis malis nos afficiat hoc corpus quis nescit? Nũc de capite, nũc de ventre, nũc de pectore, nũc de faucibus conquerimur: Aliquãdo pedes, aliquãdo nerui nos vexãt, aliquãdo redũdat sãguis, aliquãdo deest, hinc morbi infiniti. Multa incõmoda euenire solent in aliena domo habitãtibus: Corpus nõ dom9, sed hospitiũ est, hospitiũ verò est domus, sed non propria, imò verò aliena, de qua homo citò exire cogitur, nec habet cõmoditates ibi, quas in domo propria habere consueuit. ideo dicitur Ecc. 29. c. *Vita nequã hospitãdi, de domo in domũ: & vbi hospitabitur, nõ fiducialiter aget, nec aperiet os*. Sicque corpus dicitur hospitiũ animæ non domus propria: Tũ propter multas incõmoditates, quas homo patitur in corpore: Tũ etiã, quia anima, post modicũ vitæ tẽpus, à corpore est discessura, sed post resurrectionẽ corporum, quando scilicet corruptibile hoc induet incorruptionẽ & immortalitatẽ, tũc erit corpus, animæ, quasi suã propria domus: Et tũc prior ærumna conuertetur in gloriam, & pe-

Vilitas hominis quia ærumnosa.

Eccl. 29. 31.

Corpus dicitur hospitium.

nuria in abundantiam. Iuxta illud Psal. 111. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* *Psal.111.3.*

Item corpus eſt domus animę, vt domus anguſta, quia eſt domus carceris eius. In qua concluditur quantũ ad eſſentiã, eſt enim tota, in toto corpore, & tota in qualibet parte. Eſt etiã in ea ligata, propter impotentiã, quia impediente corpore liberè ſine proprijs actionibus fungi non poteſt. Matth. 26. *Spiritus quidem prõptus eſt, caro autem infirma eſt.* *Corpus animæ ſed anguſtiſſima.* *Matt.26.41*

Eſt etiã ibi anima velut in tenebris, ratione intellectus, quia patitur in corpore, tenebras multiplicis ignorantiæ: Nã ea quæ ſcimus, sũt minima pars eorũ quæ ignoramus: Et quantũ etiã ad cõſciẽtiã, multi tenebris culpæ offũdũtur: Propter quod, anima educi ex illo carcere à Deo expoſcere deberet, de quo, ait Eſa. 42. cap. *Educes vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris.* *Eſa.42.7.*

Tertiò, oſtẽditur hominis vilitas, ex parte habitationis infimæ, vnde dicitur loco citato. 2. Cor. 5. c. (*huius habitationis*) quæ, ſc. eſt in infimo elemẽto, hoc eſt in terra, vbi multiplex eſt miſeria, Apoc. 8. cap. *Væ væ habitantibus in terra.* Primò, væ, propter defectũ naturæ. 2. væ, propter exceſsũ culpę. 3. vę, propter tormẽtũ pœnę. *2.Cor.5.1.* *Apo.8.13.*

Secundò, oſtenditur in auctoritate inducta. 2. Cor. 5. quòd homo debet ſuã mortalitatẽ ſcire & diligenter cõſiderare, quia per mortem diſſoluitur vnio, quæ eſt animæ & corporis, hinc vita hominis aſſimilatur nebulæ, quę faciliſſimè diſſoluitur à radijs ſolis. Sap. 2. *Tranſiet vita no-* *2.Cor.5.1.* *Sap.2.*

ſtra, tanquam veſtigium nubis.

Tertiò, debet homo fœlicitatem ſuam diligenter conſiderare, quod oſtenditur ab Apoſtolo, loco citato 2. Cor. 5. per hæc verba, *Ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam.* Vbi cœleſtis beatitudo ſub metaphora domus deſcribitur, & commendatur, ex quinque. Primò ex parte principij actiui, id eſt Deo, ſolus enim eſt Deus, qui nos beatos facit, igitur ex Deo dicit nos ædificationem habere, quæ conſtat ex duplici genere lapidum, id eſt natura Angelorũ & hominũ, qui charitatis vinculo ibi arctiſſimè vniũtur. Epheſ. 2. cap. *In quo & vos coædificamini in tabernaculum Dei Spiritu ſancto.*

2 Cor. 5. 1.

Beatitudo cõmẽdatur ex quinque.

ad Epheſ. 2. 22.

Secũdò, cõmẽdatur ex parte cõmodi, domus enim fit vt protegat à frigoribus, imbribus & caloribus: Sic homo ibi, ab omni prorſus malo & incõmodo defenditur Pſal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine &c.*

Pſal. 88. 5.

Tertiò, cõmendatur ex parte doni, quia non datur & meritò operũ de cõdigno, ſecluſa gratia, & ideò dicitur nõ manufactã, Pręmiat enim Deus, vltra cõdignũ, ſicuti citra condignũ impios punit. *Non enim ſunt condignę paßiones huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis,* ait Apoſtol. Rom. 8. Et ideò ex dono Dei, magis quàm ex meritis noſtris, nobis ædificatur. Vnde Pſal. 126. *Niſi Dominus ædificauerit domũ, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Heb. 9. *Tabernaculum non manufactum.*

Rom. 8. 18.

Quartò, ex duratione ædificij, quia æterna, à qua beatus nunquam expelletur. Eccleſ. 12.

Eccl. 12. 5.

Ibit

Ibit homo in domum æternitatis suæ. Quinto ex parte loci, quia in cœlis, vbi cum Angelis faciem Dei videbunt, N*am Angeli eorum semper vident faciem patris*, Matth. 18. Et in hac visione, vt ait Doctor Angelicus, consistit perfecta beatitudo, ad quam nos perducat Iesus-Christus, qui regnat in sæcula sæculorum Amen. *Matth. 18. 10.*

DE MORTIS HORRORE.

THEMA.

Formido mortis cecidit super me. Psal. 54. *Psal. 54. 4.*

NAturale est omnibus animalibus, quod noxium & perniciosum ab illis iudicatur & occurrit, timere atque reformidare, sicut de ouibus patet, cùm vident lupum. huius figura est, Gen. 32. cap. vbi habetur, quòd cùm nuncij Iacob retulissent ei, de Esaü fratre suo, quem existimabat sibi inimicissimum, & quia his verbis illum allocuti erant. *Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce properat in occursum tuum, cum quadringentis viris, timuit Iacob valde, Et præteritus diuisit populum, qui secum erat.* *Gen. 32 6.*

Sed nihil est terribilius ipsa morte. Aristotel. *Timor mortis vnde.*

3. Ethic. *Omnium terribilium terribilißima est mors.* Rationem assignat, quia mors est terminus pręsentis vitæ, & nihil, vt ait, videtur homini, bonum aut malum post mortem. Ea enim quæ pertinent ad statum animæ post mortem non videntur: Mortem verò ad nos accedere quotidie videmus, per continuum transitum vitæ. Ideòque eam Dauid aduenientem considerans pauore concutiebatur, dicēs: *Formido cecidit super me.* In quibus verbis, tria dat de morte intelligere.

Primò, ipsius potestatem.

Secundò, eius mordacitatem.

Tertiò, eius ineuitabilitatem.

Mortis potestas causa timoris.

Quantùm ad primum, certum est aduersarium omnem, tantò magis timeri, quantò potentiorem iudicamus: At verò tanta est mortis potestas, vt eam nemo effugere possit & ab ea se tueri atque defendere: Ratio est, quia mors, est veluti quoddam telum, à fortissimo brachio Dei sc. emissum, cuius ictum nullus vitare potest. Si in acie esset eiusmodi iaculator, qui feriret quoscunque vellet, omnes illum timerent, Talis est Deus, qui iaculo mortis, modò hunc, modò illum ferit, ita vt nemo illum effugiat. Propterea dicitur, Exod.

Exo. 15. 17.

15. cap. *Irruat super eos formido & pauor, in magnitudine brachij tui.* Vbi notandum est tempore mortis tria valde terribilia concurrere, ex quibus tres effectus oriuntur, quæ innuuntur verbis prædictis.

Primum est, destructio naturæ, & hoc in-

ducit formidinem.

Secundum eſt, deſtructio iuſtitiæ: quia ſtatim anima ducitur ad iuſtitiam diuinam.

Tertium eſt, oſtenſio potentiæ.

Quoad formidinem mortis, homo pauore maximo concutteretur, ſi occurreret ei quoddam animal ſæuum crudele, & monſtruoſum: Idipſum de morte dicere poſſumus. Poteſt enim mors aſſimilari congruè, cuidam animali valde feroci & monſtruoſo, quod dicitur hyena. Deſcribitur verò ab auctoribus, habẽs collum viperæ, elephantis dorſum, fingens vocem hominis, in voracitate repræſentans lupum, in pilis colli exprimens equum, varians etiam ſexum, ita vt nunc modò maſculus modò femella eadem appareat. *Mortis formido.* *Mors ſimilis hyenæ.*

Sic mors ſimilis fertur viperæ, propter celeritatem, quia frequenter homines moriuntur inopinatè, & ante tempus, morte aliqua violenta, ſicut accidit viperæ, cui cùm tempus pariendi aduenerit, filii concepti non expectãtes naturæ operationem, eius latera rodũt, & cum matris interitu naſcuntur. Et ideò dicitur vipera, quaſi vi paritura. Sic & multi diſrumpuntur ante tempus ſenectutis, vel mortis naturalis. *Mors ſimilis viperæ.*

Elephanti verò aſſimilatur propter generoſitatem in bello, ad quod duci ſolent: at bellum ſeu pugna mortis eſt maxima & multiplex: Eſt enim pugna naturæ, quæ per morbum diſſoluitur: Eſt pugna animæ, quæ exire de domo propria, & in regionem ſibi ignotam *Mors ſimilis Elephanti.*

cogitur: Est pugna conſcientiæ, quæ contra ſe habet iudicem iratum, ſi conſcia ſit peccati mortalis, infernum paratum, & prope ſe aduerſarium ferocem, truculentum & formidabilem.

Eccleſiaſt. 9. 12. Vocem hominis illa hyena fingit propter fallacitatem, fallit enim mors homines propter incertitudinem. *Neſcit homo finem ſuum Eccl. 9.*

Lupo etiam aſſimilatur mors, propter voracitatem, omnes enim homines deuorat, nec vnquam ſatiatur: Collum equi habet illa beſtia, quia ponit frenum & terminum nequitiæ humanæ: Sexum variat, quia nunc maſculos, nunc femellas interficit. Propter ſex illa prædicta mors communiter omnibus & maximè improbis eſt timori, & horrori maximo. Vnde Ezech. 32. *Horrore nimio formidabunt.*

Ezech. 32. 10. Secundò mors eſt formidabilis, ex ſeueritate diuinæ iuſtitiæ, quia quilibet poſt mortem *Mors formidabilis.* iudicatur: Quemadmodum qui innocens ad iudicium ſeueri iudicis trahitur, minus timet: ſi nocens & malefactor multùm pauet, Prou. *Pro. 21. 15.* 21. *Pauor operantibus iniquitatem*: Cùm igitur nullus innocens reperiatur, non eſt mirum, ſi qui per mortem ad iudicium Dei vocatur, timeat. Dicit Plinius quòd Gallus Aquilam & vulturem, tanquam prædones multùm reformidat, & cùm ſit acuti viſus, vnum oculum ad victum inferiùs deprimit, alterum in Aëra dirigit, vt aduentum aquilæ & vulturis ſcire poſſit. Aquila ſignificat Chriſtum, Vultur ſignifi-

cat mortem: Et vtriusque aduentum scilicet mortis interitum, & Christi ad iudicium vir Sanctus (qui in Gallo significantur) debet timere etiam bibens & comedens. Dura est ergo mortis conditio ei, cui mors vastat corpus exterius, & pauor diuini iudicij animam perturbat interius, Deutero. 32. *Foris vastabit eos gladius*, id est, mors diuidens animā à corpore, *& intus pauor* diuini iudicij animā cōdēnatis. Deuter. 32. 25.

Tertiò, apparet in morte magnitudo brachij diuinj, id est virtutis diuinæ, quæ maximè manifestatur in morte, quam nullius rei virtus superare vel impedire potest, quādo Deus vult hominem mori, superbos deprimere & dispergere, Ps. 54. *Sicut puluis, quem proijcit vētus à facie terræ.* Luc. 1. *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos & exaltauit humiles,* quod fit maximè per mortem. Psal. 54. 4. Lucæ 1. 51.

Secundò, in auctoritate principali Psal. 54. Ostenditur ipsius mortis mordacitas, ex nomine ipsi⁹, quia vocatur mors, à morsu, mordet enim mors hominem, quia quasi ad morsum mordentis cibum, partem aufert, & partem relinquit: vnde per mortem corporis, nō moritur anima hominis, sicut moritur animalium cuiuslibet iumenti cum corpore eiusdem: Nec obstat quod dicitur Ecclesiast. 3. *Vnus est interitus hominum & iumentorum, & æqua vtriusque conditio, sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, similiter sperant omnia, & nihil habet homo iumentis amplius.* Primò quia ibidem loquitur in persona insipientium, qui ita exi- *Mortis mordacitas.* Ecclesiast. 3. 19.

ſtimant, ſed falluntur, niſi quantùm ad corpus, non autem quantùm ad animam, quæ nuſquam eſt interitura: Vnde Eccl. vlt. cap. vbi loquitur in perſona Sapientum, ait, *Reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* & Apoc. 9. *Deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis*: Vbi de dãnatis animabus duo docet.

Eccleſiaſt. cap. vlt. 7.

Apoc. 9. 6.

Damnatorũ pœna.

Primò, ſuplicii acerbitatem, propter quam deſiderabunt mori.

Secundò, deficiendi impoſſibilitatem, quia fugiet mors ab eis.

Mortis definitio.

Circa primum, obſeruandum eſt, mortem nihil aliud eſſe quàm vitæ priuationem, ſicque viuere viuentibus eſt eſſe, vt ait Philoſophus: Animam igitur deſiderare mori, eſt deſiderare priuationem ſui eſſe: hoc autem deſiderium poteſt animæ ineſſe, licet non eſſe, nullo modo ſit appetibile, cùm nullam habeat rationem boni, & ſit pura priuatio boni: Verùm hoc eſt intelligendum ſecundùm ſe: Nã quatenus in ſe includit carentiam & priuationem à miſeria, habet in ſe rationem boni, quomodo non eſſe, eſt appetibile: Sicque damnati appetunt non eſſe, quia melius eſt illis, non eſſe, quàm eſſe in tanta miſeria, vnde Matth. 26. dicitur de Iuda. *Bonum erat, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Et Hierem. 20. *Maledicta dies, in qua natus ſum.* Vbi dicit gloſ. Melius eſt, non eſſe, quàm malè eſſe. Igitur damnati ſecundũ rectum rationis iudicium, poſſunt eligere non eſſe. Ex quo colligi poteſt damnatorum mi-

Voluntas in non eſſe ferri poteſt.

Matth. 26. 24.

Hier. 10. 14.

Damnati appetunt non eſſe.

feriam, omnes alias excedere, quæ ab humano ingenio excogitari possunt: Ad calamitates huius mundi euitandos sæpissime mors desideratur, non mirum igitur si damnati appetant non esse, vt liberentur à tormentis, quibus cruciantur, & in perpetuum cruciabũtur. Eccl. 41. cap. *O mors quàm bonum est iudicium tuum homini indigenti.* *Eccl. 41.3.*

Secundò, in damnatis est impossibilitas moriendi, eo quòd anima nusquam sit moritura: Nam corruptio omnis est à contrario, vt manifestum est in corporibus cœlestibus, quæ materia carent: Anima verò contrariis caret, est enim tota spiritualis, impossibile est ergo animam intellectualem esse corruptibilem, ita vt etiam in tormentis desinat esse: vnde D. Dionys. lib. de diuinis nom. cap. 9. ait animas humanas habere ex bonitate diuina, quod sint intellectuales & incorruptibiles, & ideo dicitur de damnatis, Apoc. 9. *Quærent mortem & non inuenient eam.*

Tertiò, in authoritate Thematis innuitur mortis ineuitabilitas: interim aduertendum puto aliam esse viri probi formidinem mortis, aliam improbi: Qui enim bene moritur, licet non sine aliquo pauore, multùm tamen sperat de diuina misericordia, etsi fortè credat purgari pœna purgatorij, vnde ex persona illius dicit propheta. *Misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori, vbi est pœna damnatorum*, Psal. 85. Sed illi, qui malè & impenitentes moriuntur, formidant de di- *Apo. 9.6.* *Psal. 54.* *Mortis formido alia in probis, alia in improbis.* *Psal. 85.1*

uina iuſtitia,& deſperant de diuina miſericordia, & ideo poſt mortem ad ſupplicia æterna mittuntur. Vnde in perſona damnati, dicit Pſalmiſta pſal. 87. *Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* In quibus verbis poſſumus notare in homine damnato tria, quæ deplorat.

Pſal. 87. 7.

Primò, ſuam infœlicitatem.

Secundò, pœnæ confirmationem.

Tertiò, pœnarum multiplicitatem.

Damnati infœlicitas vnde promanat.

Circa primum obſerua, totam infœlicitatem hominis damnati ab impenitentia & defectu contritionis & confeſſionis promanare, propter hoc enim venit ſuper eum indignatio diuina: hinc talis dicere poteſt illud Iob,3. *Nōne diſsimulaui*, ſc. peccata mea. *Nonne ſilui*, ſc. à confeſſione, *Et ideò venit ſuper me indignatio tua.*

Iob. 3,26.

Damnati pœna cōfirmata.

Secundò innuit pœnæ confirmationem, cū dicit, *confirmatus eſt furor tuus ſuper me*, id eſt furioſa pœna à te inflicta confirmata eſt, vt nunquam valeat à me remoueri. Sicut ergo beati ſunt in gloria confirmati, ita damnati in miſeria. Pſal. 37. *Confirmaſti ſuper me manum tuam.* Id eſt virtutem punitiuam, de qua Iob.13. cap. *Manum tuam longe fac à me.* Pœna inferni vocatur furor, ratione immenſi ardoris, Eſa. 30. Ardens furor eius. Vel propter ſeueritatem, quia eſt ſeueritas ſine miſericordia, Prouer.27. *Ita non habet miſericordiam, nec erumpens furor.*

Pſal. 37. 2

Iob. 13. 21.

Prou. 27. 4.

Pſal. 87. 7.

Tertiò, innuitur in auctoritate inducta pœnarum generalitas, quia inquit Pſalmiſta, *om-*

nes fluctus tuos induxisti super me. Octo enim genera pœnarum in legibus esse scripsit Tullius, quæ omnia possunt pœnalibus inferni adaptari. Quarum prima est damnum, siue pœna dãni, propter triplex bonum amissum, & ideo patiuntur triplex damnum. Primum est superius id est æterna gloria, qua priuati sunt: Secundum est exterius, id est bonum & adiutorium temporale, quo etiam destituuntur dãnati: Tertium est interius, sicut gratia & virtutes: quibus omnibus carent damnati, quorum omnium loco, vitiosos habent habitus, quibus perpetuò cruciantur ad modum vermium.

Damnatorũ pœnarũ octo genera.

1. pœna dãnatorum est damni.

Secunda pœna legalis, est vinculorum seu carceris, sic damnati includentur centro terræ, tanquam carcere, ad diem vsque iudicij, quando resurgent cum corporibus suis, in quibus etiam postea, vt in anima torquebuntur, manibus & pedibus affectionum & operum vinctis & ligatis, dicente Domino, Matth. 22. *Ligatis pedibus & manibus mittite eum in tenebras exteriores.* & Psal. 149. *Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.*

2. pœna dãnatorum est vinculorũ.

Matth. 22. 13
Psal. 49 8.

Tertia pœna legalis est verberum, quasi enim verberibus cæduntur damnati, quia multis & variis pœnis & tormentis affliguntur, Prouerb. 19. cap. *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corpora*: quod intelligendum est de pœnarum diuersitate, vt iuxta quantitatem delicti, sit plagarum modus.

3. pœna, est verberum.

Prou. 19. 29.

4. Pœna est talionis. Quarta pœna legalis, est talionis, Apoc. 18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tãtum date illi tormentum & luctum.

5. Pœna est ignominiæ. Quinta pœna est ignominiæ, sc. in deformitate corporis damnati post reparationem, in quo resumendo stupebit damnatus: Eius porrò natura integra reparabitur. Et ideo generaliter dicitur 1. Cor. 15. quòd mortui resurgent incorrupti, id est sine aliqua diminutione mẽbrorum, ait glosa: Defectus autem, qui ex naturalibus principiis, in corpore humano consequuntur sicut grauitas, passibilitas, obscuritas &c. in corporibus damnatorum remanebunt, quos à corporibus beatorum gloria resurrectionis excludet. hinc ignominia damnatorum, quòd se videant à beatorum consortio expulsos.

Sexta pœna est exilii, dicente supremo iudice, Esa. 26. *Tollatur impius ne videat gloriam Domini.* *6. Pœna, est exilij.*

Esa. 26. 10 Septima pœna est mortis, de qua Psal. 48. *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Nam sicut oues depascunt herbam, & iterum ouis illa pascatur: Sic mors illos depascit, & nihilominus adhuc semper viuunt, vt iterum semper à morte pascantur, vnde semper damnati viuunt vita naturæ, & semper moriuntur morte pœnæ. *7. Pœna, est mortis.* *Psal. 48. 14.*

8. Pœna est seruitutis. Octaua pœna legalis est seruitutis, de qua Hierem. 16. cap. *Seruietis diis alienis die ac nocte, id est Dæmonibus, qui non dabunt vobis requiẽ.* Thren. 1. *Princeps prouinciarum facta est sub tri-* *Hierem. 16. 13.*

buto. Damnati enim ſemper ſub tributo pœnæ ſeruient,& tamen nunquam tributum perſoluent. hinc dicere poſſunt Deo ſupremo iudici illud Pſal. 41. *Omnia excelſa tua*, id eſt, maiores pœnæ, *& fluctus tui*, id eſt, minores, *ſuper nos tranſierunt.* Erunt enim ibi maiores & minores pœnæ, ſecundùm exigentiam culparum: ſicut & in cœleſti gloria, diuerſi gradus beatitudinis pro ratione meritorum: Ab his ergo omnibus pœnis liberabūtur electi in cœleſti gloria gaudentes, & vna voce dicentes. *Replebimur in bonis domus tuæ, & bonum eſt nos hîc eſſe.* Matth.17 4
Ad quorum conſortium nos perducat Chriſtus Rex cœlorum.

Amen.

DE CAVSA ET ORIGINE MORTIS.

THEMA.

Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, ad Roma. 5. cap. Rom.5.12.

Peccati & gratia effectus cōtrarij

QVoniam à cauſis contrariis, contrarii & diuerſi manant effectus, vt calor reſoluit, quod frigus conſtringit.

Idipſum perſpicitur in ſpiritualibus: peccati

enim malitia cor ſtringit, & claudit, quod calor gratiæ aperit & diſſoluit. Sic quemadmodum vita corporis, à vita animæ procedit, ita & mors corporis, ipſi vitæ oppoſita, à morte animæ prouenit: Moritur autem non quoad vitam naturę, ſed gratiæ & ſpiritualis per peccatum, Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur*: Vnde mors corporis eſt à peccato primi parentis. Id docet D. Paulus verbis citatis in Them. *Quia per vnum hominem peccatum intrauit in mundum &c.* In quibus verbis Apoſtolus principaliter de tribus loquitur.

Ezech. 18. 20.

Primò, de Origine culpæ.

Secundò, de infectione animæ.

Tertiò, de corruptione vitæ.

Circa primum aduertendum eſt, peccatum intraſſe in mundum per Adam, quia omnes qui propagatione naturali naſcuntur, originale peccatum contrahunt, exceptus eſt Chriſtus, qui non eodem modo conceptus eſt, quo cæteri homines, hoc eſt virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine Spir. Sancti: Vnde quod in ea natum eſt, ſc. ex ſanctiſſima matre eius, de Spiritu ſancto eſt.

Peccatũ originale in omnes.

Sed ſi aliquis quæreret, quomodo poteſt fieri, vt ex primi parentis peccato, filij ab eo deſcendentes inficiantur? Videmus enim ſæpiſſime, malos Patres, filios bonos & iuſtos generare, nec in eos peccatum ſuum transfundere: Deinde ex D. Auguſtino, peccatum adeò eſt voluntarium, vt ſi non ſit voluntarium nõ ſit peccatum: At in pueris nullus eſt vſus ra-

tionis,nec etiã peccãdi voluntas vt ait S. Dionysius: Quomodo ergo in eis potest esse peccatum? Respondendum est,prætermissis scolasticarũ subtilitatibus, quibus id ipsum probant & ostendunt, pueros nasci in peccato originali,sicut docet & credit Ecclesia, quod hoc modo ostendi potest: Videmus id quod est principium aliquorum in ea secundũ propriam dispositionẽ influere,quæ ab ipso principio dependent, vt si radix arboris corrupta est,de illius corruptione arbor & illius fructus aliquid retinent: Si è contrario virescat& bene sit disposita, bene se habent truncus, fruct⁹ & arbor. Adam principium fuit naturæ humanæ, ita vt omnes homines ab ipso originem sumpserint,&rẽspectu illius sunt multa mẽbra vnius corporis: Vnde non mirum est, si illius corruptionis, infectionis,& peccati participes nos omnes sumus. Et quamuis istud non sit voluntarium, ex parte pueri,est tamẽ voluntarium ex parte Adæ,in quo natura omnium continebatur tanquam in principio. Alia similitudo,sicut quando homo manu committit homicidium,non est ex parte manus voluntarium, sed ex parte eius, qui mouet manum. Nihilominus tamen totus homo punitur: Si autẽ consideretur manus, diuisa à toto,non illi homicidiũ imputabitur,nec punietur: At verò quia est aliquid hominis hoc faciẽtis, & moti à voluntate,punitur: Sic etiã omnes homines sunt aliquid Adæ,in quãtũ cõueniunt in natura,quam ab eo acceperũt. Peccata verò aliorũ

Peccatum originale trãsfundi in posteros & quomodo.

Similitudo ex radice.

Alia similitudo ex manu.

parentum, ideo in filios non traducuntur, quia sunt personalia: vnde etiam Adam, in quantum erat hæc singularis persona, non potuit inficere descẽdentes ab eo: nisi in eo contenta fuisset tota natura humana: Et sic patet quomodo peccatum primi parentis transmissum

Ro. 5. 19.

est ad alios. hinc Roma 5. cap. *Per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi*: In quibus verbis Apostolus tria tangit.

Primò, initium humanæ transgressionis, per vnius hominis inobedientiam.

Secundò, progressum transfusæ corruptionis, quia peccatores constituti sunt.

Tertiò, excessum corruptæ propagationis, quia multi.

Initium ergo humanæ trãsgressionis fuit inobedientia Adæ primi hominis, qui de pomo à Deo sibi vetito comedit: Nec obstat

Eccl. 25. 32.

quod dicitur Eccl. 25. *Quòd à muliere initium factum est peccati*, quia mulier fuit initium incompletum, At vir fuit initium proximum & completum.

Peccatum primum nõ fuit inobedientia sed superbia. Eccl. 10. 15.

Notandum etiam est, primum peccatum primi parentis, non fuisse inobedientiam, sed superbiam, ex qua homo processit ad inobedientiam, propterea dicitur Eccl. 10. *Initium omnis peccati superbia*: vnde Apostolus hic accipit inobedientiam, quatenus generaliter omnibus peccatis conuenit.

Inobedientia primi hominis grauitas.

Porrò illa inobediẽtia primi hominis multipliciter aggrauatur. Primò, ex parte præcipiẽtis, qui fuit Deus, non homo, ergo grauius

peccatũ, potius enim obediẽdum eſt ſuperiori quàm inferiori, cuius ſignum eſt, quia præceptũ inferioris prætermittitur, ſi ſit præcepto ſuperioris contrariũ Actor. 5. *Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus*: Et tamen multi Dei præcepto, homines præferũt: Similes in eo Saul, qui dixit Samueli, 1. Reg. 15. cap. *Peccaui quia præuaricatus ſũ ſermonẽ Domini & verbum tuum, timens populum, & obediens voci eorum.* *Actor. 5. 29.*

Secundò, aggrauatur ex parte tranſgrediẽtis, ſcilicet Adæ. Primò, quia nõ peccauit ex ignorantia vel infirmitate, ſed ex ſuperba elatione. 1. ad Timo. 2. *Adam nõ eſt ſeductꝰ, ſed mulier ſeducta in præuaricationem fuit.* Ex quo apparet quòd mulier peccauit ex ignorantia, vir autẽ ex certa ſciẽtia. Ergo grauius multò fuit peccatũ Adæ. Luc. 12. *Seruus qui cognouit voluntatẽ Domini ſui, & nõ fecit, plagis vapulabit multis, At qui non nouit, & non fecit, vapulabit paucis*, Verũ licet Eua ex ignorantia peccauerit, quia tamen ea, ex ſuperba elatione manauit, ideo talis ignorãtia eã non excuſauit, ſed eius peccatum aggrauauit, in quãtũ ignorãdo, in maiorẽ elationem erecta eſt. Credidit enim mulier verũ eſſe, quod ſerpẽs ſuaſit, & ita dum per eſum ligni vetiti voluit cõſequi diuinã ſimilitudinem, ſuperbia ad hoc ſe erexit, vt aliquid contra Dei volũtatẽ obtineret. Sed vir non credidit hoc eſſe verum, Vnde noluit conſequi Dei ſimilitudinem, contra eius voluntatem, ſed in hoc ſuperbiuit.

2. ad Timo. 2. 14. *Luc. 12. 47.* *Eua nõ excuſatur à peccato.*

quod voluerit eam assequi per seipsum, & non ex eius gratia: Non enim peccauit Adã ex infirmitate, cũ Deus tam multis diuinisque auxilijs eũ muniuerit, vt facillimè omnia peccata vitare posset, quia nõ habeat intrinsecus, quod ad peccandum eum impelleret: Vnde August. lib, 14. de Ciuit. Dei cap. 15. *Magna fuit in peccando iniquitas, vbi tanta fuit in non peccando facilitas.* Peccauit ergo Adam nõ ex infirmitate, sed ex superbia, appetens Dei similitudinem, non quantùm ad naturam, sed quantùm ad scientiã boni & mali, vt per virtutem propriæ naturæ sciret determinare quid bonũ esset, & quid malũ ad agẽdũ: Ex hoc appetitu superbo, processit inobedientia eius, ex quo patet superbiam, in obedientiam gignere, ait D. Thomas.

Inobedientia primi hominis mala.

Tertiò, aggrauatur inobedientia primi hominis ratione nocumenti inde prouenientis, quia ex eius transgressione interrupta est innocentia primi status, qua substracta, tota natura humana deordinata est, & peccato originali infecta. Peccatũ enim originale est quædã inordinata dispositio in homine, quæ procedit ex dissolutione harmoniæ, quæ inerat primo parenti? Erat enim homo in statu innocentiæ perfectè subiectus Deo, & appetitus sentiens rationi, & omnes aliæ creaturæ sublunares homini: Vnde si homo non peccasset, nulla ei restitisset creatura: At verò quia creatori non paruit, conueniens fuit, vt ei omnes resisterent creaturæ.

Per

Per inobedientiam etiam primi hominis, incurrimus mortem,& alia incommoda naturæ, vt senectutem,infirmitatem, ægritudines, morbos,& alios eiusmodi defectus,ignorantiã etiam agendorum,concupiscentiam noxiorũ, debilitatem operandi, promptitudinem ad malum,inordinationem passionum: hinc D. August.dicit,quòd malum rationalis creaturę, est priuatio boni,ex quo sequitur & nascitur ignorantia rerum agendarum,& concupiscentia noxiarum,quarum sunt communiter labor, & dolor potissimæ,& molestissimæ.

Dedit etiam Adam primum malum exemplum transgrediendi præcepta Dei, quòd imitari non debemus,cùm sciamus peccatum grauiter à Deo puniri Numer. 14. cap. de filijs Israël dicitur. *Omnes homines qui viderunt maiestatem meam,& signa quæ feci in Ægypto & in solitudine,& tentauerunt me, iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ,non videbunt terram, pro qua, iuraui patribus eorum.* Et etiam Tob. 3. cap. in eorum persona ait Tobias: *Quoniam non obediuimus preceptu tuo, ideo traditi sumus in direptionem,& captiuitatem,& mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos.* Si igitur inobedientiam sequamur, vltio diuina etiam nos sequetur. Hebræ. 2. cap. *Si omnis præuaricatio & inobedientia accipit iustam retributionem mercedis,quomodo nos effugiemus?*

Peccati punitio.

Num.14.22.

Tob.3 4.

Hebræ. 2. 2.

Secundò,in auctoritate Apostoli citata,notatur progressus transfusæ corruptionis,id est *Rom. 5. 19.*

infectio peccati originalis, transfusi à primo parente, in omnes eius posteros, per carnalem propagationem genitos, per quam peccatores sunt constituti. Dicit D. Gregor. *Aliquando peccatum sequens esse pœnam peccati præcedentis*: Sicuti Deus aliquando mẽtis occultam superbiam & manifestam carnis ruinam permittit alicui, vt puniatur. Ita dicendum est, de peccato transmisso in posteros.

Peccatum pœna peccati.

Frequenter etiam accidit ex occulto Dei iudicio, vt homo peccator diabolo vel alteri peccatori subijciatur, vt grauiùs & crudeliùs puniatur Psal. 118. *Constitue super eum peccatorẽ, & diabolus stet à dextris eius: Cùm iudicatur exeat condemnatus*. Vnde sequitur, peccatorum statum esse periculosissimum. Ratio assignatur à Psalmista, Psal. 118. *Longè à peccatoribus salus*. Vbi animaduerte, triplicem rationem istius periculi. Prima est, quia sunt à saluatore remoti, sicut periculosum est ægrotanti longè à medico distare, quod non est intelligendum de distantia locali, sed similitudinis, sicut album dicitur esse longè à nigro: Quantò enim magis homo est peccator, tantò longiùs distat à Deo, & est illi dissimilis. Hinc de D. Augustino legitur, quòd ante suam conuersionem inuenit se esse longè à Deo in regione dissimilitudinis: Quod de peccatore patet, Deus enim totus est bonus, clemens, benignus, & liberalis, qui dat omnibus affluenter, & nihil improperat. At homines peccatores sunt auari & rapaces: Itẽ Deus est patientissimus, tolerat inimicos, li-

Psa 118.154

Peccatorum status periculosissimus.

bentiſſimè ignoſcit. E contrario peccatores iniurias ferre nequeunt, neq. veniam petenti concedere &c. Ideo ait Sapiens Prouer. 15. cap. *Longè eſt Dominus ab impijs.*

Secunda ratio periculi, eſt corruptio impiorum, quæ corã Deo abominabiles facit, quod præcipuè patet in Sodomitis, quorum peccatũ eſt valde horrendum & abominabile Deo, Geneſ. 13. *Homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis*: Quia licet ſit malum fornicari, tamen peius adulterari, & peſſimum hanc turpitudinem operari. Gen. 37. Dicitur de Ioſeph, quòd accuſauit fratres ſuos apud Patrem crimine peſſimo, ſc. Sodomitico, iuxta quorundam expoſitionem. *Dicti ſunt peccatores coram Domino nimis*, quia licet multùm peccet, qui corde malum vult, grauiùs peccat, qui opere, ſed grauiſſimè, qui illud in conſuetudinem ducit: At illud peccatum ſi hominem inficiat, facillimè trahit in conſuetudinem, propter concupiſcentiæ vim tyrannicam, quæ eſt ſicut ignis ardens, cui nunquam ſatisfieri poteſt. Vnde Rom. 1. cap. dicitur de Sodomitis, *quòd exarſerunt in concupiſcentijs ſuis.* Geneſ. 18. ait Deus, *Clamor Sodomorum, & Gomorreorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis.* Vbi aduerte clamorem duorum peccatorum videlicet homicidij ſiue fratricidij aſcẽdiſſe ad Deum, & huius: Nam Gen. 4. dixit Deus ad Cain, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: Sunt enim huiuſmodi peccatores hoſtes Dei & generis humani, nam hoc facit

Peccatores ſunt in ſtatu peſſimo.

Gen. 13. 13.

Ezec. 16. 49

Gen. 13. 13.

Rom. 1. 27.

Gen. 18. 20.

Gen. 4. 10.

vt homo non generetur, illud verò vt homo genitus extinguatur.

Tertia ratio, cur peccatores ſint in ſtatu periculoſo oſtenditur, quia ſunt ſalute priuati, quæ ſine gratia eſſe non poteſt, à qua longè abſunt, Vnde ſicut piſces viuere non poſſunt ſine aqua, ſic in peccato originali exiſtentes ſine aqua baptiſmali, quæ ſola actu, vel in voto peccatum originale delet. Mar. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit*: Nec obſtat quòd pueri non credant, quia ſaluantur in fide parentum, & promiſſione facta pro eis. Si autē ſit aliquis in peccato actuali poſt ſuſceptum baptiſmum: non poteſt ſaluari ſine aqua pœnitentiæ, qua abluitur peccatum actuale & mortale. De impœnitente dicitur Ezech. 16. *Aqua non es lautus in ſalutem.*

Mar.16.16. *Ezech.16.4.*

Rom.5.12. Tertiò, in auctoritate Apoſtoli inducta ſuperiùs, tangitur exceſſus corruptæ propagationis, in eo quod dicit, *multi*, ſc. *ſunt conſtituti peccatores*. Verè enim multi ſunt peccatores, cōparatione iuſtorum, qui pauci ſunt. Ratio eſt, quia homines difficilia refugiunt, & facilia atque delectabilia amplectuntur: Via autem peccati eſt facilis, Virtutis verò difficilis, & laborioſa, ideo non pauci viam quærūt perditionis, non ſalutis: Matth. 7. cap. *Lata & ſpacioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem & multi intrant per eam.*

Peccatores multi, iuſti pauci.

Rom.5.12. SECVNDÒ, in auctoritate principali & Them. agitur de infectione animæ per peccatum, quod quidem eſt in anima, ſicut ſterilitas

in terra: Si enim terra corporum cœlestium influxu priuaretur, vt solis, lunæ, & aliorum sydérum atque stellarũ, nec humectaretur pluuia, multùm doleret, quia neque coleretur, neque fructum reddere posset generi humano: Ita peccator destitutus cœlestium donorum auxilio, & fructu bonarum actionum, per peccatũ, multùm dolere debet, nihil enim boni præstare potest, sine aqua gratiæ, eget etiam influxu solis, id est, amoris diuini, qui eum excitet & calefaciat, Orationibus Beatę Virginis Mariæ, quæ est vt luna perfecta in æternum, Et aliórũ sanctorum, qui sunt vt stellæ: At his omnibus priuata est anima peccatrix, & conscia peccati mortalis, Et ideo sine fructu meriti: Quod si remoueatur peccatum omnia ista restituũtur, efficiturque terra fructifera, hinc Esa. 27. cap. *Hic est omnis fructus vt auferatur peccatũm ex ea.* Vbi nota tria bona, quæ proueniunt homini pœnitenti. *Peccatum est in anima sterilitas.* *Esa. 27. 9.*

Primum, est restitutio gloriæ.

Secundum, est formidatio gratiæ.

Tertium, est expiatio malitię.

Circa primum, notandum est, per peccatũ hominem cœlesti hæreditate priuari, & ad eam restitui per pœnitentiam: de pœnitente igitur id dici potest. Matth. 21. *Hic est hæres*, id est, restitutus ad hęreditatem vitæ æternę, vt si perseuerauerit, habeat eam hîc in spe, & tandem in re. Circa secũdum, obserua, quòd existente magna & longa siccitate, terra non germinat nec fructum producit, propter humoris defectum. *Peccatum hominem priuat gloria.* *Matth. 21. 38.*

Sic homo existens diu in peccatis mortalibus, propter defectum aquæ gratiæ, nullum fructũ meritorum & bonorum operum producit: At gratiæ infusione restituta, per pœnitentiam, etiam fructus boni nascuntur, Ezech. 34. *Pluuiæ benedictionis erunt, Et dabit lignum agri fructũ suum, & terra gignet germen suum.* Figura huius ponitur apud D Iacob. cap. 5. Vbi habetur, quod tēpore H eliæ, *non pluit super terram annos tres, & menses sex*: Sed Helia orante, cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum. Nam per tres annos siccitatis & sterilitatis quibus non pluit, intelligũtur tres gradus peccati, scilicet, cordis, operis, & consuetudinis, ad quos gradus sequuntur sex menses, propter carentiam sex operum misericordiæ, ex quibus impeditur pluuia, id est gratiæ infusio. Qua restituta per pœnitentiam, & orationes sanctorum, iam terra animæ reddit bonorum operum fructus vberrimos & suauissimos.

Gratia causa fructus boni operis. Ezec. 34. 26. Iac. 5. 17. 3. Reg. 17.

Tertiò, tangitur expiatio malitiæ, *vt auferatur peccatum* (inquit Esayas): Deus enim requirit vas cordis nostri purum & mundum, aliàs non implebitur gratia, Rubigo verò illius vasis est peccatum, quod per pœnitētiam auferri debet vt sit purum, Prouerb. 25. *Aufer rubiginẽ de argento*, id est de conscientia *& egredietur vas purissimum.*

Isa. 27. 9.

TERTIÒ, agitur in auctoritate Them. Rom. 5. de corruptione vitę, quæ est mors, quę scilicet secuta est in nobis, ex peccato primi hominis. Vbi nota mortem esse veluti Reginã

Rom. 5. 12. *Mors regina omnibus imperans.*

&Dominam, omnibus regnis, & hominibus imperantem. Ratio est, quia transit cum onere suo à parentibus ad hæredes. Atqui natura humana peccato vitiata, & debito mortis onerata à primo parente transfunditur in omnes homines, ideoque necessariò debitum mortis omnes soluere debent. Rom. 5. *Per vnum hominem, in omnes homines mors pertransiit.* In quo omnes peccauerunt. Sed sicut dicitur ibidem, *Si vnius hominis delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantia gratiæ & iustitiæ & donationis accipientes in vita, regnabit per vnum Iesum Christum,* qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat per infinita sæculorum sæcula. Rom. 5. 12.

AMEN.

DE SEPARATIONE ANIMÆ, ET RESOLVTIONE corporis.

THEMA.

Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die, peribunt omnes cogitationes eorum,
Psal. 145. *Psal. 145.*

QVorundam veterum primæ ætatis fuit opinio, seu potius error, homines mori non debere: Videbant enim Solem, Lunam, & *Opinio quorundã qui dicebãt hominẽ mori non debere.*

alia corpora cœleſtia, propter hominem à Deo creata, non corrumpi: Ergo (inquiebant) homo qui eſt veluti illorum Dominus, non debet deficere neque mori: Præterea cùm Deus immortalis hominem ad ſuam imaginem & ſimilitudinem condiderit, etiam illum immortalem creare debuiſſe aſſerebant: Tandem errarunt, ex eo quòd homines primæ ætatis, vixiſſe viderent longiſſimo tempore, aliquando ſeptingentis annis, aliquando octingentis, & nonnulli nongentis, Ex quo qui diu vixerant neminemque mori viderant, perpetuò etiam hominē victurum exiſtimabant. Quamobrem audaciùs mala perpetrare cœperunt homines, Quorū malitiā Deus voluit corripere comminatione, Geneſ. 6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt*, q. d. Non decet eum viuere, quia caro eſt corruptibilis, & in terram reſolubilis. Idipſum docet Pſalmiſta
Pſal. 145. verbis Them. Pſal. 145. *Exibit ſpiritus eius*, id eſt, hominis, per mortem, *& reuertetur*, ſc. corpus, *in terram ſuam: in illa Die*, ſc. mortis, *peribunt id eſt*, fruſtrabuntur omnibus cogitationibus ſuis. In quibus verbis, tanguntur tria, quæ in morte hominibus accidunt.

Primum eſt, animæ ſeparatio, quia exibit ſpiritus eius à corpore.

Secundum eſt, carnis reſolutio, quia reuertetur corpus in terram.

Tertium eſt, curarum ſeu intentionum fruſtratio, quia omnes eorum cogitationes peribunt.

Circa primũ notandũ eſt, ſeparationẽ animę à corpore, tãtò acerbiorẽ eſſe, quãtò magis anima adhæſit carni, & rebus præſentibus: hinc 1. Reg. 15. Agag morti proximus conqueſtus eſt, & pinguiſſimus, *Siccine ſeparat amara mors?* Eſt enim vnio animę ad carnem ſuauiſſima: Dixit propterea quidam Abbas Helias nomine, vt refertur in vitis Patrum: Tres res vehementer ego reformido, Vnam, quando anima egredietur è corpore, Alteram, quando occurret iudici, tertiam quando contra me ſententiam æternitatis proferet. Qui enim aliquò mittitur, & ſperat citò reuerti aut reuocari, parum dolet, qui verò nuſquam reuerſurus, eſt exulis inſtar, multùm torquetur, magnaque afficitur moleſtia, quod contingit è corpore exeunti, ſecundùm illud Sap. 6. *Homo per malitiam occidit animam ſuam, & cùm exierit ſpiritus eius non reuertetur*: In quibus quidem verbis, tangitur duplex mors hominis.

De ſeparatione animæ à corpore.

1. Reg. 15.

Tria reformidanda in ſeparatione animæ à corpore.

Sap. 6.

Quarum vna eſt ſpiritualis, quia homo per malitiam peccati occidit animam ſuam.

mors ſpiritualis animæ.

Secunda eſt carnalis, quia ſpiritus non reuertetur, poſtquam exierit.

Mors temporalis.

Quantũ ad primã, ſciendũ eſt, malitiã peccati mortalis animã occidere, ſicut morbus incurabilis, corpori mortẽ affert: Verũ quia peccatũ omne voluntariũ eſt, ideo qui facit peccatũ, ſimilis eſt ei, qui voluntariè & proprio gladio ſeipsũ occidit, ſicut fecit armiger Saül irruẽs in gladiũ ſuũ. 1. Reg. vlt. atqui hi ſunt hoſtes animæ ſuæ, vnde Tob. 12. *Qui facit peccatũ & iniqui-*

Peccatum occidit animam.

1. Reg. vlt.
Tob. 12.

tatem hostis est animæ suæ.

Proprium est enim hostis, odisse quē non amat: At improbi nullo modo suam amant animā, sed odio habent; Sunt enim ex Arist lib. 5. Ethic, quinque amicitiæ propria, primum est, quòd amicus velit amicū esse & viuere, secūdum ei bona desideret, tertium bona operetur propter ipsū, quartū eo delectetur, quintū amicè cū eo in ōnibus cōueniat. At nihil horū videtur esse in improbo & peccatore, ratione animæ, quādo peccat mortaliter: Vnde Psal. 10 dicitur, *Qui diligit iniquitatem, odit animā suā.* Et Ezec. 18. *in iniustitia sua, quā operatus est, morietur.*

Quinque proprietates amicitiæ.

Psal. 10.

Ezech. 18.

Sap. 6.

Secundò, in auctoritate allata ex Sap. tangitur mors carnalis, cùm dicitur, *Cùm exierit spiritus eius non reuertetur.* De morte inueniuntur duo, primum quòd sit formidabilis, sc. propter exitum, triplici de causa.

Primò, propter recessum.

Secundò, propter ingressum.

Tertiò, propter occursum.

Mors formidabilis ob tria.

Propter recessum inquam: compellitur enim recedere à filijs, parentibus, & consanguineis, à diuitijs & possessionibus suis, omnibusque bonis temporalibus, Estque tantò acerbior & molestior, quātò magis dilexit. Fertur, quòd quidam princeps adolescens Lotharingiæ in ipso mortis articulo, bona, domos hæreditates respiciēs, dicebat, Domine Deus, quàm contēnendus est iste mundus, quia ego qui tot pallatia, pecunias, & bona possideo, quò sim hac nocte profecturus nescio, ōnia relinquo, &

qui nam me sit hospitio excepturus, ignoro. O me miserum inquiebat. Diues igitur similis est somnianti se multas congerere pecunias, esseque locupletissimum, cùm eo excitato nihil inueniat, sitque re vera nudus & miser. Hinc Psal. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt, omnes viri diuitiarum in manibus suis*: Et Iob. 27. *Diues cùm dormierit nihil secum afferet, aperiet oculos suos, & nihil reperiet.* Propterea sicut nudus exiuit de vtero matris, sic omnibus denudatus reuertetur in terram. Iob. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.*

Diues similis somnianti.

Psal. 75.

Iob. 27.

Secunda causa timoris, est ingressus, quia exiens spiritus à corpore, in regionem ignotã proficisci cogitur: figurã habemus in Ioseph. Psal. 80. *Ioseph cùm exiret de terra Ægypti*, id est de mundo, *linguam quam non nouerat audiuit*: Si sit impœnitẽs & cum peccato mortali qui exit, in regionem mortis æternæ ducitur. Vbi gladio doloris perpetui transuerberatur, famem patitur, & omnium bonorum penuriam, vbi incarceratur, vt in æternum torqueatur: vnde Hierem. 15. *Si dixerint quò egrediemur? Dices, qui ad mortem, ad mortem, & qui ad gladium, ad gladium, & qui ad famem, ad famem, & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem.* Quæ captiuitas erit perpetua. Matth. 5. *Amẽ dico tibi, nõ exibis inde, donec reddas nouissimũ quadrantẽ.* Per nouissimũ quadrantẽ potest intelligi finalis pœnitentia, quã peccator damnatus in morte non habuit, nec persoluit, & quia post mortem eam persoluere

Secunda causa timoris mortis.

Psal. 80.

Hier. 15.

Matth. 5.

non poterit, ideo nunquam exibit. Ex D. Augustino, per nouissimum quadrantem terrena peccata intelliguntur, quia terra in quam peccamus, est nouissimum elementum: Tunc ergo redditur nouissimus quadrans, quando pro quolibet peccato, vsque ad vltimum, in terra cõmisso, homo punitur: Sed in inferno quodlibet peccatum punietur pœna æterna, vnde semper reddetur nouissimus quadrans, quia sẽper illic punietur, sicque istud (donec) nunquã finem accipiet: Sicut Psal. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Non quòd desinat regnare subiectis inimicis, imò regnaturus est in perpetuum. Igitur damnati à pœnis nusquam liberabuntur. Hier. 11. *Inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt.* Tertia ratio, propter occursum, sc. dæmonum: Deutero. 31. *Occurrent vobis mala,* id est, dæmonia in extremo tempore. Hinc D. Bern. *Quantus erit tibi pauor, ô anima misera! Cùm dimissis omnibus, quorum est tam iucunda præsentia, tam gratus aspectus, tam familiaris habitatio, in alienam penitus regionem ingredieris, Et cateruatim tibi infinita dæmonia obuiam exire videbis.* Hæc non solùm reprobos terrebunt, sed etiam trahent ad supplicia æterna. Reus igitur trahetur ad pœnam, & iustus perducetur ad gloriam. Quæ duo innuuntur Psal. 67. *Domini Domini exitus mortis.* Domini scilicet punientis mala, & Domini præmiantis bona.

Psal. 109. *Deut. 31.* *Psal. 67.*

Secundò, ostenditur de exitu mortis, irreuo-

cabilem eſſe,quia non reuertetur,quia ſpiritus non reuertetur ad corpus, poſtquam exierit per mortem. Sed contrà 3. Reg. 17. cap. legitur, cùm Elias orauit ſuper filium viduæ, Dominum vocem eius exaudiuiſſe, ita vt anima pueri reuerſa ſit in eum, & reuixiſſe: Idem contigit filio Sunamitis, quem ſuſcitauit Elias, & multis alijs mortuis ſuſcitatis à Chriſto, & Apoſtolis. *Mortis exitus irreuocabilis.*

Sed dicendũ eſt aliud eſſe, quod ſit cõmune lege naturę, & aliud quod ſit ex ſpeciali priuilegio gratiæ, & Dei omnipotentiæ: Lege naturæ non reuertitur ſpiritus, Sap. 2. & Pſal. 77. *Spiritus vadẽs & non rediens,* Prædicti igitur ſunt reuerſi ſpeciali gratia diuinæ potentiæ, & per miraculum. *Sap. 2. Pſal. 77.*

At obijcies, imò tota natura reſurget aliquãdo, & quilibet ſpiritus reuertetur ad corpus, quando omnes qui in monumẽtis ſunt, audiẽt vocem filij Dei, & qui audierint viuent, vt eſt apud Iob. cap. 5. Verùm reſpondendum eſt intelligi ad vitam corporalem & naturalem, non virtute naturæ, ſed Dei omnipotentis. Verùm vt hinc homo ſecurè exire poſſit, debet ſe operibus iuſtitię, contritionis, & pœnitentiæ præmunire, idcirco Iob. cap. 10. dicebat, *Dimitte me vt plangãm paululùm dolorem meum, & non reuertar ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine &c.* *Iob. 5. Locum Pſa. 77.*

S E C V N D Ò, in auctoritate Them. agitur de corporis reſolutione, quia videlicet, poſt mortem reuertetur in terram ſuam, de *Pſal. 145. De corporis reſolutione.*

qua fuit formatum. Omnia enim videmus communi lege, ad ſuum redire principium, ſicut frumenta,& alia quæ ex ſeminibus oriũtur, finaliter ad ſemina redeunt, & vapores aquei tandem reſoluuntur in aquam, ſic corpora noſtra in terram. Gen.2. *Fecit hominem de limo terræ.* Eccl.3. *De terra facta ſunt, & in terram pariter reuertentur.* Interim, quia homo ex anima ſpirituali & corpore terreſtri componitur, vtraque pars ad ſuum principium reuertitur: Anima quidem quia à Deo creatur ex nihilo, ad Deum ipſum reducitur, corpus verò, quia ex terra, in terram reſoluitur. Iuxta illud Eccleſ. vltimo. *Reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui fecit illum.* In quibus verbis, duo deſcribit, quæ præcipuè oriuntur ex morte.

Gen. 2. *Eccl. 3.* *Eccl. vlt.*

Primò, ex parte corporis, oſtendit corporis vilitatem.

Secũdò, ex parte animæ, hominis nobilitatẽ.

Quantũ ad primũ, tripliciter hominis vilitas oſtenditur. Primò, ex parte termini, quia vocatur puluis, qui eſt vltimus terminus reſolutionis humani corporis, hinc vilitas, fragilitas, & debilitas corporis. Eſt enim puluis materia vilis, terra humore deſiccata, fæx elementorum, quæ facillimè diſſolui poteſt, à fructu ſterilis, parumque durabilis, Vnde corpus eſt quaſi ſaccus fæcis, minimo morbo quaſi in nihilũ redigendus, Gen.3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris: Inde ſancti viri ad humilitatis conſeruationem, ſe puluerem cogitabant.* Sicut Abraham,

Hominis vilitas oſtẽditur.

Genes. 18. *Loquar ad Dominum meum cùm sim puluis & cinis?* Hinc D. Gregor. 10. lib. moralium, Quid Abraham æstimare suas diuitias nouerat, qui semetipsum puluerem & cinerem pensabat, q. d. pro nihilo existimabat. Principium autem humani corporis, sed quasi mediũ inter hoc principium & puluerem, est motus, id est, in terram resolutio. Primò ergo loquitur de medio, cum dicit *reuertatur in terram suã.* In qua resolutione sunt plures gradus, qui hominis vilitatem denotant: Primus est in accidentium mutatione, quæ ad corporis perfectionem conferebant: Nam à sua pulchritudine mutatur ad horribilem deformitatem, & fœditatem. Hinc D. Bernard. *Cuius erat gratissimus amplexus, fit post mortem horribilissimus aspectus:* Cùm quidam heremita tentaretur de pulchritudine cuiusdam mulieris, audiens eam è vita excessisse, post paucos dies venit ad sepulchrum, vt videret quid esset amor suus. Et aperto sepulchro abstergens saniem de eius corpore, pallio sũo apponebat, dicẽs, *Vide qualis est amor tuus.*

Gen. 18.

Plures gradus in resolutione humani corporis notãdi.

Item à robore & fortitudine, mutatur in impotentiam, ita vt membrum omne careat omni motu & actione. Vbinam fortitudo Samsonis? Vbi velocitas Azaëlis? Esa. 1. *Erit fortitudo eorum, quasi fauilla stuppæ.* Item à sua dignitate & potestate, in omnimodam humilitatem & paruitatem deijcitur: narrat Petrus Alphonsus, quòd cùm tumba Alexandri esset aurea & in patibulo, multi illuc

Mutationes in morte.

Esa. 1.

Dicta Philosophorum de Alexandro mortuo. Philosophi conuenerunt. Quorum primus dixit. Alexãder heri ex auro fecit Thesaurum, eum hodie aurum tenet inclusum: Alius dixit, heri sibi non satis erat totus mundus, hodie illi sufficiunt soli quatuor vlnæ: Tertius dixit, heri populis imperabat, hodie populus ei: Quartus, heri multos populos potuit à morte liberare, hodie nec iacula mortis potuit deuitare: Quintus, heri ducebat exercitus, hodie ab illis est ad sepulchrum delatus: Sextus, heri premebat terram, hodie premitur ab ea: Septimus, heri gentes ipsum timebãt, hodie ipsum vilem & impotẽtem existimant: *In Alexandrũ mortuũ dicta Philosophorum* Octauus, heri habuit amicos & hostes, hodie habet omnes æquales. Item à diuitiarũ copia, fit mutatio in summam nuditatem & paupertatem. *Iob. 16.* Iob. 16. *Ego quondam opulentus, quondam contritus sum.* Et cap. 1. *Nudus reuertar illuc.*

Corporis putrefactio. Secũdus gradus, est in corporis putrefactione, nam sicut homo ex putrefactione concipitur, ita in putredinem reuertitur. *Iob. 15.* Iob. 15. *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Idcirco est similis glaciei, quia sicut ex aqua & frigore generatur, ita in aquam frigidam resoluitur: de qua quidam dixit, mater me genuit, eadem mox gignitur ex me. *Iob. 17.* Iob. 17. *Putredini dixi, Pater meus es.* Malè ergo gloriatur nobilis de sua nobilitate. *1 Mach. 2.* 1. Machab. 2. *Gloria viri peccatoris stercus & vermis.* Cuidã legimus dictũ esse in sõnio, diuide quidquid habes, fies citò liuida tabes. Quod cũ ille fecisset, vt ad desperationẽ adduceretur ex bona illa actione, Respondit ei diabolus sõnia

ne

ne cures, nam fallunt somnia plures.

Tertius gradus est in vermium corrosione, propterea dicitur filius hominis vermis, quia corpus eius ex se generat vermes. Eccl 10. Cú enim moritur homo hæreditabit serpentes, bestias & vermes: Nam vt refertur, de cerebro hominis bufo post mortem nascitur, de renibus serpens, de ventre lumbrici, de carne vermes, de lingua astabalus, de pelle tinea: hæc de nobili corpore hominis nascuntur. Vnde Bern. *Quid prosunt diuitiæ? quid honores? Diuitiæ non liberant à morte, nec deliciæ à verme, nec honores à fœtore. Nam qui modò sedebat diues & gloriosus in throno, modò iacet pauper in tumulo, qui prius delicijs oblectabatur, modò à vermibus consumitur. Qui paulò ante in aula principum honorandus efferebatur, modò in sepulchro ignominiosus iacet.* Igitur vilissima est hominis in terrã suam resolutio, Genes. 3. cap. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo donec reuertaris in terram de qua sumptus es.*

Vermium corrosio.

Homo vermis.

Tertiò, in auctoritate citata ex Eccl. cap. vlt. ostenditur vilitas humani corporis, ex parte sui principij, cùm dicitur, reuerti in terram suam, quia terra vilior est omni elemento, & licet corpus hominis constet quatuor elementis, dicitur, tamen homo spiritualiter de terra factus, 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus, qualis terrenus tales & terreni* Secundò, ex eo quòd de terra in compositione corporis humani, alia superat elementa, ideoque graue est & ponderosum. Eccl. 10 *Quid superbis terra & cinis?* Non de tua origine potes su-

Eccl. cap. vlt

1 Cor. 15.

Eccl. 10.

perbire, qui ex terra es, nec de tuo fine, quia in cinerem ibis.

Eccl vlt. *Hominis nobilitas.* Salomon in prędicto loco ostendit ex parte animæ, hominis nobilitatem, cùm dicit, & *Spiritus redeat ad illum, qui fecit illum.* Primò ratione finis, qui Deus est, ad quem reuertitur, vt ab eo iudicetur, & præmietur. Hicque reditus ad Deum est duplex. Alter quando peccator, ad eius misericordiam redit per pœnitentiam, estque sacrificium Deo spiritus contribulatus, quod fit detestādo sua peccata, Esa. *Esa. 49.* 46. *Redite pręuaricatores ad cor.* Postea verò à corde ad Deum contemplandum, placandum, & diligendum: sicut sponsa ad sponsum redit, scilicet cum munda puritate, cum decora venustate, induta virtutum varietate, opulenta meritorum fœcunditate, si sunt thesauri spirituales, non multis familiares, ideò dicitur, Luc. 17. *Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Secundus reditus ad Deum, fit post mortem ad suam iustitiam, & coram iudice, vt reddatur illi secundùm opera sua. Prou. 16. *Spirituum ponderator est Dominus.* *Prouerb. 16.*

Secundò ostenditur hominis nobilitas, quia Deus animam creando infundit, & infundēdo creauit, Non enim est ex traduce, aut educta ex materia, vt formæ aliorum animalium, *2. Mach. 7.* sed à Deo ipso creata, & corpori tradita. Hinc 2. *Machab. 7. dixit mater septem fratrum filijs suis. Neque ego animam & spiritum donaui vobis, vitā & membra non ego ipsa compegi, sed est mundi crea-*

tor, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & spiritum vobis cum misericordia reddet. Ps. 145.

Tertiò, oſtenditur in auctor. Thematis, quomodo in morte omnes curæ & cogitationes fruſtrentur: Si aliquis inuenerit theſaurũ, illius beneficio multa agere ſibi proponit, at verò ſurripiatur ab aliquo, omnes eius pereũt curæ & intentiones: Sic homo cogitatione apud ſe, diutiſſimè victurum ac ſi poſſideret theſaurum vitæ longiſſimæ, multa volvit animo de diuitiis congregandis, de honoribus comparandis, de voluptatibus perfruendis: Interim venit fur, hoc eſt, dies inopinatæ mortis, qui ab eo theſaurum vitæ rapit, tuncque pereunt omnes cogitationes ſuæ. 1. ad Theſſal. 5. *Dies Domini, ſicut fur in nocte ita veniet.* Tunc dicet peccator illud Iob. 17. *Cogitationes meæ diſsipatę ſunt.* Quod ſanctis viris non contingit, de quibus, Sap. 5. *Cogitatio eorum apud altiſsimum.* A quo recipiuntur in gloria ad quam nos perducat Chriſtus Dei filius, qui ſine fine viuit & regnat. Amen. Iob. 17.

DE GENERALITATE MORTIS HVMANÆ.

THEMA.

Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram. 2. Reg. 14.

2. Reg. 14.

RATIO legum omnium exigit, vt culpæ pœna respondeat & proportionetur, Deutero. 25. cap. *Pro mensura delicti erit & plagarum modus*: At verò peccati originalis pœna, est mors, Rom. 6. cap. *Stipendia peccati mors.* & Rom. 8. *Corpus mortuum est propter peccatum.* Quemadmodum igitur peccatum primi parẽtis in omnes homines transfusũ est, ita & mors ab ipso, ad omnes pertransijt, Rom. 5. cap. *Per vnum hominem, peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Illud ipsum significatur his verbis Them. *Omnes morimur &c.* Quibus quidem de morientibus tria insinuantur.

Rom. 6. 23. Rom. 8. 10. Rom. 5. 12.

Primum est, quia morimur generaliter sine exceptione.

Secundum, continuò sine intermissione.

Tertium, humiliter sine ambitione.

Mortis generalitas. Circa primum aduertendum est, venenum, vbi cor attigit, quod est vitę principium, om-

nia corporis membra extinguere: Sic venenũ peccati originalis, poſtquam Adam infecit omnia membra humanæ naturæ, omnes homines mori coëgit, vnde Rom. 5. cap. *In omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Quibus verbis duo tanguntur. *Rom. 5. 12.*

Primum, generalitas pœnæ.

Secundum, generalitas ſculpæ.

Quantum ad primum primò huius pœnæ terror eſt attendendus, Secundò eiuſdem generalitas. Nihil quippe in hac vita, morte horribilius, quia per eam huius vitæ gaudia terminantur, & eorũdem amor diſſoluitur, ſicut vnio animæ & corporis: inde dictum Philoſophi, terribilium omnium terribiliſſima mors: Eſt ergo mors terribilis propter bonorum amiſſionem, terribilior, propter appetitus deſtructionem, & terribiliſſima propter vnionis diſſolutionem. Scit enim homo poſt mortem omnibus corporeis delitijs, voluptatibus, diuitijs, honoribus, dignitatibus, alijſque quibus plurimùm delectatur, priuatum iri: *Neque enim deſcendet cũ eo gloria eius.* Pſal. 48. Vnde non tantùm eminens mors, ſed etiam eius memoria plurimùm terret rerum caducarum auidos, ſicque dicent. *Poſuimus mendacium ſpem noſtram.* Item mors eſt terribilior, propter naturalis appetitus deſtructionem, quia omne animal appetit eſſe, viuere, & vitam conſeruare. Vnde Boet. 19. *Omne animal* (inquit) *vitam tueri laborat, mortem vero, perniciemque deuitat.* Itaque aduenie nte morte, naturalis appe-

Mortis terror. *Pſal. 48. 18.* *Eſa. 28.* *Mors terribilis cure.*

titus frustratur, & euanescit, ideoque hominis mors est valde terribilis, vitæque repugnans: Verùm quia omnia (vt ait Philosophus) agunt
Ioan. 17. 3. propter finem, qui in Dei visione consistit, Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*: Ad quã cùm non perueniatur nisi per separationem animæ à corpore, propterea mors corporis nõ est timenda, Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.*

Item videtur mors terribilissima, propter dissolutionem animæ & corporis. Duo enim sodales vinculo amicitiæ maximè vniti, separationem abinuicem maximè timent, potissimùm si vnus horum illa dissolutione destruatur. Sed anima & corpus sunt eiusmodi, ex arctissima vnione inter se, & corporis dissolutione, vnde non mirum si mors sit terribilissima: quæ tamen expeti debet, vt Dei visione perfruamur Apo. 14. *Beati mortui, qui in Do-*
Apo. 14. 13 *mino moriuntur*: Igitur eam appetamus, cum D. Paulo ad Philip. 1. *Desiderium habens dissolui, &*
ad Philip. 1. 23. *esse cum Christo.* Hæc non animaduertit impius, propterea illi mors terribilissima videtur. Psal.
Psal. 54. 4. 54. *Formido mortis cecidit super me, timor & tremor*
Roma. 5. 12. *venerunt super me.*

Mortis generalitas. Secundò in auctoritate præallegata ostenditur ipsius mortis generalitas, quia in omnes pertransiit: Quæ petitur ex tribus: Primò ex diuina æquitate, quia Deus in primo homine, toti humanæ naturæ legem dedit, de ligno Paradisi non comedendo, Gen. 2. *In quacumque*
Gen. 2. 17.

die comederitis ex eo, morte morieminj: Vnde quia ipse primus homo huiusmodi præceptum trāsgressus est, non solùm ille, sed etiam omnis homo, ex diuina iustitia, eam transgressionis pœnam incurrit: Nostri enim primi parentes, erant veluti principia quædam totius humanæ naturæ, ab eis in posteros deriuandæ simul cum iustitia originali diuinòque beneficio à morte præseruante, quo etiam eadem destituta, propter peccatum eorum, mortem incurrit, idirco dicitur 1. Cor. 15. *Quod in Adam omnes moriuntur*. Secundò prouenit mortis generalitas, ex diuina pietate, nullus est enim, qui non aliqua miseria vel culpæ vel pœnæ afficiatur. Iob 14. cap. *Homo natus de muliere breui viuens tempore, multis repletur miseriis*. Vnde pijssimus est Deus erga nos, quando ab ijs eiusmodi nos subtrahit & liberat, vt vita æterna donemur. Eccl. 30. *Melior est mors quàm vita, requies æterna, quàm langor perseuerans*. Tertiò promanat generalitas mortis, ex cōmuni defectu, quia ex contrariis componitur homo, nec humidum primigenium calore consumptum sufficienter restauratur per alimentum: Vnde sicut virtus viui per admixtionem aquæ, paulatim deficit, ita humidum illud, propter quod dicitur Eccl. 8. cap. *Nos omnes in corruptione esse*.

1. Cor. 15. 22.

Iob 14. 1.

Eccl. 30. 17.

Eccl. 8.

Ro. 5. 12.

Tertiò in auctoritate citata ex D. Paulo, tāgitur generalitas culpæ, cùm dicitur, *in quo omnes peccauerunt*: Quæ verissima est, tam de peccato originali quàm de actuali: Nam pri-

titus frustratur, & euanescit, ideoque hominis mors est valde terribilis, vitæque repugnans: Verùm quia omnia (vt ait Philosophus) agunt
Ioan.17.3. propter finem, qui in Dei visione consistit, Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verumDeum, & quem misisti Iesum Christum*: Ad quã cùm non perueniatur nisi per separationem animæ à corpore, propterea mors corporis nõ est timenda, Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.*

Item videtur mors terribilissima, propter dissolutionem animæ & corporis. Duo enim sodales vinculo amicitiæ maximè vniti, separationem abinuicem maximè timent, potissimùm si vnus horum illa dissolutione destruatur. Sed anima & corpus sunt eiusmodi, ex arctissima vnione inter se, & corporis dissolutione, vnde non mirum si mors sit terribilissima: quæ tamen expeti debet, vt Dei visione perfruamur Apo. 14. *Beati mortui, qui in Do-*
Apo. 14. 13 *mino moriuntur*: Igitur eam appetamus, cum D. Paulo ad Philip. 1. *Desiderium habens dissolui, &*
ad Philip. 1. 23. *esse cum Christo.* Hæc non animaduertit impius, propterea illi mors terribilissima videtur. Psal.
Psal. 54. 4. 54. *Formido mortis cecidit super me, timor & tremor*
Roma. 5. 12. *venerunt super me.*

Mortis generalitas. Secundò in auctoritate præallegata ostenditur ipsius mortis generalitas, quia in omnes pertransiit. Quæ petitur ex tribus: Primò ex diuina æquitate, quia Deus in primo homine, toti humanæ naturæ legem dedit, de ligno Paradisi non comedendo, Gen. 2. *In quãcumque*
Gen. 2. 17.

die comederitis ex eo, morte moriemini: Vnde quia ipse primus homo huiusmodi præceptum trãsgressus est, non solùm ille, sed etiam omnis homo, ex diuina iustitia, eam transgressionis pœnam incurrit: Nostri enim primi parentes, erant veluti principia quædam totius humanæ naturæ, ab eis in posteros deriuandæ simul cum iustitia originali diuinòque beneficio à morte præseruante, quo etiam eadem destituta, propter peccatum eorum, mortem incurrit, idirco dicitur 1. Cor. 15. *Quod in Adam omnes moriuntur*. *1.Cor 15.22.* Secundò prouenit mortis generalitas, ex diuina pietate, nullus est enim, qui non aliqua miseria vel culpæ vel pœnæ afficiatur. *Iob 14.1.* Iob 14. cap. *Homo natus de muliere breui viuens tempore, multis repletur miseriis*. Vnde pijssimus est Deus erga nos, quando ab ijs eiusmodi nos subtrahit & liberat, vt vita æterna donemur. *Eccl.30. 17.* Eccl. 30. *Melior est mors quàm vita, requies æterna, quàm langor perseuerans*. Tertiò promanat generalitas mortis, ex cõmuni defectu, quia ex contrariis componitur homo, nec humidum primigenium calore consumptum sufficienter restauratur per alimentum: Vnde sicut virtus viui per admixtionem aquæ, paulatim deficit, ita humidum illud, propter *Eccl.8.* quod dicitur Eccl. 8. cap. *Nos omnes in corruptione esse*. *Ro.5.12.*

Tertiò in auctoritate citata ex D. Paulo, tãgitur generalitas culpæ, cùm dicitur, *in quo omnes peccauerunt*: Quæ verissima est, tam de peccato originali quàm de actuali: Nam pri-

mus homo fuit ille in quo omnes peccauerũt, ratio eſt, quia perſona Adæ, in qua includebatur tota natura humana, infecit ipſam naturam, omneſque homines qui naturali propagatione naſcuntur: Sicut ſi aqua corrumperetur in fonte: Riuus etiam omnis qui ab illo deriuaretur, eſſet corruptus. Pſal. 13. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt.* ſc. à rectitudine originalis iuſtitiæ. Originalis enim iuſtitia, donum fuit ſupernaturale, datum primo parenti, non tanquam ſingulari perſonæ, ſed veluti generali principio totius naturæ humanæ, ita per originem in poſteros deriuanda fuiſſet: Eo etiam amiſſo, non ſibi tantùm, ſed etiam omnibus poſteris eam amiſit: Ideò omnes declinauerunt, quia omnes naſcuntur cum iuſtitiæ originalis priuatione, quæ nihil eſt aliud quàm peccatum originale: Simul inutiles facti ſunt, propter carentiam viſionis Diuinæ, & vitæ æternæ: Inutile enim dicitur, quod non pertingit ad finem ſuum, ſicut medicina dicitur inutilis, quando nihil confert ad ſanitatem, ſic homo, ſi ſuum finem non aſſequatur, qui eſt vita æterna, à qua homo, per peccatum originale excluditur, propterea pueri non baptizati & mortui in peccato originali, viſione diuina perpetuò carebunt in limbo. Omnes igitur ex eo quòd in peccato originali naſcũtur, inutiles facti ſunt. Hîc porrò attendat pius lector & Chriſtianæ veritatis cultor, Virginem Mariam ab hac lege ſeu maledictione excipi, credit etiam Ec-

Pſal. 13. 4.

Iuſtitia originalis.

Peccatum originale quid

clesia & docet, eam non conceptam in peccato originali, sed speciali quodam, diuinoque priuilegio præseruatam fuisse. Consequenter ait Psalmista, *Non est qui faciat bonum*, propter propensionem ad malum, & difficultatem ad bonum, quæ est ex peccato primi parentis secuta: Vel quia substracta gratia per peccatũ, nullum bonum meritorium effici potest. Sed ne quis putet Christum hac generalitate comprehendi, subdit, *Non est vsque ad vnum* id est, exclusiuè præter vnum Christum, omnes peccauerunt, vt confirmat Apost. Rom. 3. his verbis. *Omnes peccauerunt, regent gloria Dei*, Psal. 13. 4. Psal. 13. 4. Rom. 3. 23. Iac. 3.

Potest etiam prædicta generalitas, referri ad actualia peccata, quia dicitur Iacob. 3. *In multis offendimus omnes*, mortaliter siue venialiter, excepto Christo, & beata Virgine eius matre. Et 1. Ioan. 1. cap. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* 1. Ioa 1. 8. 2. Reg. 14. 14.

SECVNDO, ostenditur in auctoritate principali quòd sine mora & intermissione progredimur ad mortem, ideò dicit, *quasi aquæ dilabimur*. Aquæ enim quæ decurrunt & labuntur sunt fluminum: quibus assimilatur nostra vita.

Primò pars post partem quotidie fluit & labitur, vnde Gregor. *Nostrum augmentum decrementum est*, & Seneca, *Aliqua pars vitæ nostræ, quotidie dirimitur*. Sap. 5. *Nos nati, continuò desinimus esse*. Ouid. *Pereunt anni more fluentis aquæ*. Sicut fluuius terminatur ad mare, ita vitæ nostræ terminus est mortis amaritudo Ios. Sap. 5. 13.

Iof.3. 13. 3. *Aquę inferiores descendunt ad mare mortuum:* Superiores aquæ sunt Angeli, inferiores sunt peccatores, mare mortuum est vel mors, vel gehenna ad quam impij descendunt. Item mortalitas hominis assimilatur aquæ torrentis, quæ licet aliquando abundans fluat cum maximo impetu, breuissimo tamen tempore siccatur: ita magnates & opulenti omibus rebus affluentes, magnum sonum edentes ob nominis illorum, & famæ celebritatem, citò per mortem deficiunt, Psal. 57. *Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens.* In quibus quidem verbis de omnibus mortalibus, duo debemus attendere.

Mortalitas hominis similis aquæ torrentis.

Psal. 57 7.

Primò, totalem defectionem, quia ad nihilum deuenient.

Secundò, similitudinariam declarationem, quia tanquam aqua decurrens.

Circa primum obserua, nullam creaturam ab agente naturali & viribus naturæ in nihilũ redigi posse: licet Deus id possit absoluta sua potentia: quia sicut omnem creaturam ex nihilo fecit, ita in nihilum redigere potest, cõseruatur enim in esse per actionem Diuinam Heb. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Vbi ait D. August. *Sicut à Deo creata sunt omnia, sic per eũ immutabilia conseruantur* Et D. Gregor. *Omnia in nihilum tenderent, nisi manu omnipotentis tenerentur:* Quando igitur ait Dauid, homines ad nihilũ deuenire per mortem, hoc intelligendum est, quantũ ad apparentiam sensus, quia anima separata inuisibilis est, nec sensũ perce-

Hebr. 1. 3.

Psal. 57. 7

ptibilis: Vnde resoluto corpore, nihil vlterius apparet de homine, ac si esset redactus in nihilum, hinc Sap 2. *Nos ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, quasi non fuerimus*, scilicet quantũ ad sensus perceptionem, & bona præsentis vitæ.

Sap. 2. 2.

Peccatum nihil est.

Nota etiam ex Augustino, peccatum nihil esse, & homines fieri nihil, cùm peccant, quia in omni peccato includitur priuatio, nã si sit omissionis, est pura priuatio, cùm non sit actus sed cessatio ab actu, licet præcedat quidam actus voluntatis, qui sit omissionis causa, siue per se, vt cùm quis eligit ludum, dum tenetur ire ad sacrum: siue per accidens, vt cùm alicui occupato, circa aliquam rem, non venit in mentem id facere quod tenetur, & sic ex obliuione & inconsideratione illud omittit, qui actus est voluntarius & causa omissionis, quia eam præcedit.

Aliquãdo verò est simul cum ipsa omissione, sicut ille qui vult dormire, eo ipso tempore quo ad missam eundum est. Si ergo omissionis peccatum consideretur vt est priuatio quædam, id est, cessatio ab actu, nihil est. Idẽ dici potest de peccato trãsgressionis, nam hoc non est priuatio tantùm, sed actus priuatus ordine debito, sicut furtum vel homicidium, est actus priuatus bono rationis quod ei inesse debuit. Ergo peccatum formaliter nihil est. Eoque homines, cùm peccant, fiunt nihil, quia in quantum peccant, priuant se ordine debito: Vel dicitur nihil, qui peccat, iuxta cõ-

Peccator fit nihil peccatum

munem loquēdi modum, qui enim ex affluētia bonorum in paupertatem maximam redigitur, ad nihilum deuenisse fertur: Ita etiam, perditis omnibus gratię donis, anima paupersima, & quasi nihil dici potest: Per peccatum igitur, impius etiam, si nesciat, ad nihilum re-
Ps. 72. 21. digitur. Hinc Psal. 72. ait Dauid in persona peccatoris, *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.*

Psal. 57. 7. Secundò, notat loco citato Psal. 57. homines esse mortales per similitudinē aquæ fluentis, vnde dicit, sicut aqua decurrens: Quod exponit glosa de aqua torrentis, cuius alueus, quandoque multis pluuijs inundantibus repletur, & tunc decurrens magnū sonitum edit, deinde desinente pluuia breui exsiccatur, & deficit. Sic quādoque homo multis diuitijs, opibus honoribus affluens, eius fama & nomē celebratur apud omnes. Sed mutatis & cessantibus fortunæ fauoribus & ętate ad senectutem defluente ad nihilum tandem redigitur.

Vita hominis similis aquæ defluentis.

3. Reg. 17. 7. 3. Reg. 17. *Post aliquot dies siccatus est torrens, eo quòd non essent pluuiæ*: Non solùm aqua torrentis, fit hominis vita, sed aqua maris, hoc est, multiplici miseria, & molestia afficitur siue sunt flumina magna, id est potentes, siue riuuli, hoc est, parui & humiles omnes tandem siccabuntur, id est, morientur: Esay. 19.
Esa. 19. 5. *Arescet aqua de mari, & fluuius desolabitur atque sic-*
2. Reg. 14. 14 *cabitur, & deficient flumina, atenuabuntur, & siccabuntur riui aggerum.*

Tertiò, in auctoritate Them. 2. Reg. 14. ostenditur, quòd nos morimur humiliter sine

ambitione, quia in terram deijcimur,& non in sublime extollimur: hæc est ergo terra sepulturæ, quæ ex communi vsu omnibus debetur Ruth. 1. *Quæ te terra susceperit mortientẽ, in ea moriar, ibique locum accipiam sepulturæ.* Nec refert quòd quidã sepeliuntur in pètra, cùm & ipsa petra, ex terra sit, quia dum fortiter per suarum partium coagulationem constringitur, in lapidem commutatur, hinc D. Ambros. *petræ sunt ossa terræ.* Deinde quia corpus in petra sepultum in puluerem seu tandem reuertitur, & ita humiliatur. De Alexandro magno legitur, ad eum lapidem quendã missum fuisse, qui positus in altera parte stateræ, plus quam omnia quæcunque poni possent, in altera parte stateræ, ponderabat. Ruth. 1. 17.

Posito verò puluere super eo, minus quàm quodcunque aliud ponderabat: Quod in admirationẽ traxit multos sapientes: qui interrogati responderunt, conditionem Alexandri demonstrare, qui viuus plus ponderabat quàm totum vniuersum, quod quidem eum sustinere non potuit, nisi puluere super eo posito, in morte, Eccles. *Quid superbis terra & cinis?*

Notanda est alia terra non infima, sed sublimis & suprema, quæ dicitur viuentium, ad quã post mortem eleuatur anima Deo grata, in qua habitatores gloria æterna perfruuntur, de qua Psal. 141. *Portio mea Domine, sit in terra viuentium.* Ad quam nos perducat Iesus Christus Dei filius. Amen. Ps. 141. 7.

DE VELOCITATE MORTIS HVMANÆ.

THEMA.

Eccl.14.11.

Memor esto, quoniam mors non tardat Eccles. 14.

Contraria contrariis curantur.

TRitum est axioma, contraria se mutuò expellere, sicut virtus medicinæ, quia cōtraria contrariis curantur: propterea aduersus calidos morbos, medicamenta frigida adhibentur. Et è contrario: At quæ maior infirmitas, quàm superbia? quæ se habet vt tumēs hydropisis: Aut auaritia, vt febris ardens & sitibunda: Aut luxuria, sicut lepra fœdans & inficiens. In morte autem, est mundi derelictio, quæ opponitur auaritiæ, sepulturæ humiliatio quæ aduersatur superbiæ, & corporis destructio, quæ inimica est luxuriæ. Ad quas infirmitates tollendas maximè valet mortis memoria. Primò contra superbiam 2. Machab.9. Antiochus graui infirmitate percussus & timore mortis valde agitatus, ad agnitionem sui, & coram Deo sese humiliare cœpit. Secundò contra auaritiam, quia facilè contemnit omnia, qui semper cogitat se moriturum, ait D. Hiero. Tertiò contra luxuriam Eccl. 11. *Malitia vnius horæ, obliuionem facit luxuriæ; quod est intelligendum de hora mortis.* Propterea Sapiēs

Mortis memoria vtilis.

2. Mach.9.11

in Them. Inducit nos ad memoriam mortis quando dicit, *Memor esto, quoniam mors non tardat*. Eccl. 14. 12. In quibus verbis ostendũtur tria. Eccl. 11. 19.

Primò, mortis memoriam, nos præuenire debere.

Secundò, eiusdem inimicitiam, nobis terrorem incutere debere.

Tertiò, eiusdem festinantiam, nos præmunire debere.

Quod attinet ad primum, qui aliquò vult proficisci, sæpissime cogitat de loco ad quem tendit, & quantum temporis habeat ad iter conficiendum. Si parum, festinat quantum potest. Nos profecturi sumus in cœlum. *Non enim hic habemus ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus*. Ad Hebræ. 13. Propterea omnia hæc caduca bona tandem relinquẽda sunt, non secus quàm qui hospitio alieno exit. *Nos enim nihil intulimus in hunc mundum*, nec dubiũ, *quia nec auferre quidpiam poterimus*. 1. ad Timo. 6. primo igitur loco, de vitæ termino cogitãdum est. Et quibus modis rectè nostrum iter conficiemus, cùm tempus sit breuissimum. D. August. *Ad hoc* (inquit) *prodest homini bene viuere, vt detur ei semper viuere*. Dum illi licet per tempus, quod cùm sit breue, festinemus, ad Gal. 6. Dum *tempus habemus operemur bonum*. Sicque duo docet Apostolus, primum, propter temporis breuitatem festinandum ad bonum opus. Secundum, finẽ vitę nostræ animo perpetuò debere agitari. de quibus duobus Eccl.

Similitudo.

Hebræ. 13. 14

1. Timo. 6. 7

ad Gal. 6. 10

Bonum festinanter operandum.

Eccl. 36. 10

pediri ne percipiatur, vt si gustus inficiatur aliquo sapore amaro, õnia quę gustat, sẽtit amara. Si pupilla oculi sit tincta colore rubeo, inter colores non discernet, quia omnia illi rubra apparebũt. Id ipsũ manifestũ est, in vase colorato, cuius colorẽ induit liquor eidẽ infusus. Sicut igitur vnus color aut sapor est alteri impedimẽto, ne percipiatur, ita & delectatio carnis, gaudiũ spiritus impedit. 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Et dolor sẽsibilis nocet intellectuali, & tãtò magis, quãtò intensior èst, sed contritio est dolor quidam spiritualis, impeditur ergo à mortis dolore omniũ maximo. D. Aug. li. de pœnitẽtia (inquit) culpabiliter est dãnãdus, qui potest flere dãna corporis vel amici, & nõ potest flere dãnũ animæ, de amissione Dei: Vix igitur potest homo his duobus doloribus attẽdere: Adsũt etiã circũstãtes propinqui, parentes, & amici, qui sæpe aliò animũ moriẽtis diuertũt, ne de salute & de agẽda pœnitentia cogitet. Itẽ illa pœnitẽtia est dubia propter tẽporis breuitatẽ, cũ enim mala breuiori tẽpore fiãt, quã remoueãtur, vt dom⁹ facilè succẽditur, sed difficillimè succẽsa ignis extinguitur: Ita paucissimo tẽpore in morbum incidimus, sed multo tẽpore sanitas restituitur: minimũ filũ nexibus multis citò innodatur, nõ autẽ facilè soluitur: Sic peccator, cũ tã multis peccatis, multo atq. longo tẽpore tãquã nexibus difficillimis sese innodauerit, quomodo in tã breui spatio solui & liberari credit? Inde hortatio Apostoli ad Hebræ. 4. *Festinemus* (inquit)

1. Cor. 2. 14.

Pœnitentia sera periculosa.

Ad Hebra. 4. 11.

ingredi in illam requiem, sc. per pœnitentiã, & diuinã misericordiã implorando ante mortem.
Similitudo. Quando enim aliquis in loco minimè securo moratur, auditque hostẽ fortiorẽ accedere, festinat exire, & ad tutiorẽ confugere, ne comprehendatur & pereat. Locus minimè securus est mũdus, aut status peccatoris semper in periculo manens, armis spiritualibus, vt gratia & donis spiritus sancti haudquaquam munitus, hostis eius fortissimus, videlicet diabolus, aut mors, ad peccatorẽ accedit eum cõprehẽsurus, & in carcerem gehẽnæ rapturus. Nũ igitur ad pœnitentiã festinandũ est? & ad statũ tutiorẽ,
2. Reg. 15. 14. hoc est, gratię confugiẽdũ? 2. Reg. 15. Habemus de Dauid, qui existens in Hierusalẽ, & audiens quòd vniuersus populus sequebatur Absalonẽ, ait seruis suis, *Surgite & fugiamus, non enim erit nobis effugium à facie Absalonis: festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impleat super nos ruinam.* Dauid ergo in hoc loco, significat rationem & mentẽ, cuius serui, sunt mẽbra corporis, vel vires animæ existẽtis in peccato. Absalon autẽ significat mortẽ, quẽ omnis populus sequitur, quia omnibus statutũ est semel mori: Quod considerans Dauid seu ratio, admonet õnes seruos, id est omnes potẽtias, dicẽs, Surgite, scilicet, à statu peccati per pœnitẽtiã, ne fortè veniẽs Absalon, id est, mors, occupet nos ex improuiso, & impleat nos ruinâ, scilicet æternæ damnationis.

Eccl. 36. 10. Secundò, auctoritate Ecclesiastici 36. suadet
Similitudo. præoccupationẽ tẽporis, cũ dicit, *Festina tẽpus.* id est, ante tẽpus mortis vel iudicij. Agricola si

non coleret terram nec seminaret ante tempus messis, fructus non colligeret: sic ante finem nostrum colendus est ager animæ, & mittenda semina bonorum operum, ex quibus nascuntur meritorum fructus. Vnde Eccles. 51. *Operamini opus vestrum ante tempus, & recipietis mercedem vestram, in tempore suo.*

Pœnitentia non differenda.

Eccl. 51. 38.

Notandum est, opera bona quæ agimus, & Dei omnipotentis esse, & nostra. Dei, per præuenientem gratiam, & nostra, per subsequentē voluntatis nostræ actionem. Vult ergo Ecclesiasticus dicere, non sitis ociosi, sed operamini opus vestrum, voluntariè non coactè ante tēpus mortis & iudicij, tunc enim non dabitur locus operandi, sed recipiendi. Eccl. 18. *Ante iudicium para iustitiam,* ad Galat. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum.*

Bona opera facienda dum tempus habemus.

Eccl. 18. 19.
Ad Gal. 5.

Tertiò, in auctoritate præfata, hortatur hominem ad præuisionem mortis. Discrimen est inter bonos & malos, quia finis malorum est mors: qui triplex est, primus coniūctus, qui est culpæ, secundus propinquus, qui est naturę, tertius & vltimus, qui est gehennæ. Ro. 6. *Finis illorum mors*: Ibidem, *Stipendia peccati mors.* At verò finis bonorum, est vita æterna, ad quam perueniunt, sanctificatione bonorum operum & meritorum. Rom. 6. *Habetis fructū vestrum, in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Ex his patet triplicem esse finem, de quibus Sapiens loquitur, quando dicit *Memor esto,* Eccl. 14. 12. in Them.

Eccl. 36. 10.
Discrimen inter bonos & malos.

Ro. 6. 21. 23.

Rom. 6. 22.

Primus finis, est communis bonis & malis,

ſcilicet mors naturæ.

Secundus, eſt proprius tantùm malis, ſc. mors gehennæ.

Tertius, competit tantùm bonis, ſc. finis patriæ.

Eccl. 7. 40. De his dicitur Eccl. 7. *In omnibus tuis operibus, memorare nouiſsima, & in æternum nō peccabis.* Nouiſſimum vitæ præſentis eſt mors naturæ. Nouiſſimum animę peccatoris, eſt mors gehennæ, Nouiſſimum bene morientis eſt gloria vitę æternę, quorum ſi homo perpetuò meminerit, in æternum non peccabit.

Eccl. 14. 12. SECVNDÒ, oſtenditur in auctor. Thematis. Eccl. 14. Id quod maximè debet terrere hominem, ſc. mors, quatenus eſt vitæ & naturæ inimica. Eccleſ. *Contra vitam mors.* Si ſit aliquis miles, qui cum ſcutifero hoſtem quærat, eumque iacentem alicubi, & dormientem reperiat, pro arbitrio illum occidere poterit: Si verò vigilans eos præuiderit, aut ad tutiorem locum fugiet, aut ſe armabit, tandemque eorū manus effugiet. Miles iſte, eſt diabolus, qui perpetuò homini aduerſatur, & ſemper animā circuit quam deuoret: Eius ſcutifer eſt mors, quæ præuenit, vt corpus occidatur, & ille ſequitur, vt animam rapiat. Abac. 3. dicitur, *quòd ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius. &c.* Vnde ſi miſerrimus peccator ſopitus, iaceat in lecto peccati, periculū eſt, ne mors præualeat, & diabolus animam rapiat, in infernū. Verùm ſi habeat oculos apertos, & vigilet, morte præuiſa, confugiet ad pœ-

Similitudo.

Vigilantia ante mortem neceſſaria.

Abac. 3. 5.

nitentiam, præparabit animam, ſeque armis ſpiritualibus, & ſacramentis armabit, bonis operibus, eleemoſynis, & orationibus, vt tandem à tanto conflictu ſanus & incolumis euadere poſſit, id ipſum à Deo poſtulabat Dauid Pſal. 12. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiã in morte, Ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum.* In quibus verbis aduerte quatuor modos, malè morientium. *Pſal. 12. 4.*

Nam quidam moriuntur, vt excæcati: Quidam vt ſoporati: Quidam vt obſtinati: Quidam vt victi vel ſuperati. *Quatuor modi malè morientiũ.*

Moriũtur excæcati omnes infideles 2. Cor. 4. Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium. Hi sũt Samſoni ſimiles qui cæcus factus, dixit, *Moriatur anima mea cum Philiſtim.* Iud. 16. quia tales non corpore ſolùm, ſed etiam anima moriũtur morte æterna, ſimul cum Philiſtim, id eſt cùm dæmonibus. In cauſa eſt, cùm diabolus in hora mortis Chriſtianos fideles tentet de fide, perſuadens animam poſt corpus nõ remanere, vel pœnitentiam nullius eſſe momenti, & alia huiuſmodi. Itaque ſublato lumine fidei, & oculo intellectus, facilè de illis victoriam refert. Huius rei figura habetur, 1. Reg. 11. *In Naas rege filiorum Ammon, qui dixit viris Iabes. In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omniũ veſtrûm oculos dextros.* Hoc enim data opera, petijt, intendens debiles & infirmos reddere ad pugnam: Cùm ferat ſcutum ſiniſtra manu, ſi eleuet, ſiniſtrum oculum obturat, vnde ſi dextro careret, neutro videret ictus, ab hoſte in eũ *2. Cor 4. 4.* *Iud. 16. 30.* *Cæcitas animi in moriente.* *Figura.* *1. Reg 11. 2.*

vibratos, ideoque sese tueri non posset: Sinister oculus, est veluti notitia naturalis, seu lumen naturale, quod facillimè obscuratur & impeditur aliquo errore vel ignorantia, aut infirmitate. Lumen oculi dextri, est lumen fidei, quo sublato, sacramentorum clypeo validissimo orbatur, sicque diabolo facilis est victoria.
Psal. 12. 4. propterea orabat Dauid, Psal. 12. *Illumina oculos meos*, scilicet, mentis, & lumine fidei. Porrò sicut oculi corporis quandoque excæcantur aliquo humore defluente in oculos, ita oculi
Sap. 2. mentis malitia peccati cæcutiunt Sap. 2. *Excæcauit illos malitia eorum*: Quæ cæcitas manat potissimùm ex suorum immoderato amore, & rerum caducarum cupiditate insatiabili, sicut in vsurarijs patet, quia dum proximi sunt mor-
Pœnitentia & gratia ad tollendã cæcitatem animi. tis, de restitutione facienda, nihil quicquam audire volunt. Opus est igitur lumine gratiæ, & pœnitentia, vt oculi nostri illuminentur, Apoc. 3. *Colyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Et
Apoc. 3. 18. Ephes. 5. 14. *Exurge à mortuis*, sc. per pœnitentiã, *& illuminabit te Christus.*

Obstinatio in moriẽte. Quidam moriuntur vt soporati, hi sunt qui moriuntur in peccato, impœnitentes & desperati: Similes Sizaræ, cui Iaël infixit clauũ per
Iudic. 4. 21. tempus, sicque sopitus, mortuus est, Iudic. 4. Sic diabolus homini dormienti in peccato, infigit clauum obstinationis, & desperationis, quam sequitur damnatio æterna. Aduersus
Psal. 12. 4. quod precabatur Dauid, Psal. 12. *Ne vnquam obdormiam in morte.* Glosa, ille obdormiuit in morte, qui aliquo crimine inuolutus, excedit ẽ

vita. Sicut qui per pœnitentiã à somno peccati non excitatur, nec conuertitur. Quod sæpe contingit, quia nullus se breui moriturũ credit, inde inopinata mors, & impœnitentia. Hoc figuratum est, 2. Reg. 4. In Isboseth vbi legimus, quòd Rechab & Baana ingressi sunt feruenti die ad Isboseth, qui dormiebat super stratum suum, & ancilla ostiaria eius: eumque interfecerunt. Isboseth dormiens in lecto, est peccator, sopitus in peccato, ad quem in feruore diei, id est, infirmitatis accedunt ad vsurarium morbo afflictum, vel diuitem auarum, Rechab, id est teneritudo, siue consanguineus, & Baana, id est, gratificatus, siue medicus: Hi videntes infirmum aggrauari, tollunt ei timorem mortis, spe vitæ præsentis: Timor verò mortis cùm sit seruilis, per ancillam ostiariam designatur, quæ dormit, quando ad pœnitentiã non excitat, Vnde non est mirum si impœnitẽs factus, interficiatur à Rechab & Baana, domesticis eius. Micheę. 7. *Inimici hominis domestici eius.*

2. Reg. 4. 5. 6.
Figura.
Mich. 7. 6.

Quidam moriuntur non præparati, quia nusquam cogitarũt de ratione reddenda, & de morte Hebr. 9. *Statutum est omnibus semel mori, post hoc autem iudicium.* Nec post mortem disponendi se, locus est, Vnde Eccl. 18. *Ante iudicium para iustitiam,* Propterea dicitur, *Ne obdormiam in morte.* Psal. 12. 4. Stultus esset, qui iturus ad bellum, arma non pararet, vsque ad ipsius cõgressum, sic qui pœnitentiam differunt, vsque ad mortis articulũ stulti sũt. Eccl. 17. *Ante mortẽ*

Præparatio ad mortem.
Heb. 9. 27.
Similitudo.
Confessio.
Eccl. 17. 24. 26.

confitere: Non enim mors,eſt tēpus commodū confeſſioni,quia debilis eſt tunc memoria,nec recordari poteſt peccatorum, ideoque ſubditur, *Viuus & ſanus confiteberis.*

Quidam verò ſunt alij qui victi & ſuperati à diabolo moriuntur,tuncque maximè inſultat & gloriatur,quòd illius futurus ſit in æternū, ideoque dicitur loco citato ex Pſal.12. *Nequādo dicat inimicus meus præualui aduerſus eum.* Confugiamus igitur ad arma pœnitentiæ,ne aduerſum nos præualeat diabolus, de quo figura eſt

1.Reg.17. 40. 41. 1. Reg.17. Vbi dicitur,quòd Dauid præualeat *aduerſus Philiſtim,in funda & lapide in nomine Domini.* Funda eſt pœnitentia, lapis eſt Chriſtus in ſacramento aſſumptus, quinque lapides in funda Dauid,ſunt quinque pœnitentiæ opera, quibus Philiſtęi,id eſt, diaboli virtus eneruatur,ſcilicet,contritio,confeſſio,reſtitutio,oratio,& eleemoſyna.

Eccl 14.12. *Mortis velocitas.* TERTIÒ, in authoritate principali, feſtinantia nobis commendatur,quia (inquit) nō tardat. Sint duo velociſſimi curſores,quorum vnus, verſus alium progrediatur, & accedat, Etiamſi à principio, multùm diſtarent, eorum tamen concurſus nullo modo retardaretur,ſed breui occurrerent & conuenirent. Hi duo curſores ſunt mors & vita,quorum verſus aliū vnus velociſſimè currit, vita ad mortem &

*Iob.*9.23.26 mors contra vitam. Hinc Iob. 9. Dicebat, *dies mei velociores fuerunt curſore*, quia comedendo, bibendo,dormiendo,vigilando, vel aliquid aliud faciendo,ſemper ad finem vltimum pro-

gredimur. Vnde ſequitur. *Pertranſierunt quaſi naues poma portantes: Et ſicut aquila volat ad eſcã:* Neſcitur tamen ſi comprehendet eam: Ita neſcimus ſintne dies noſtri ad portum ſalutis peruenturi, Et Deum apprehenſuri. Item mors velociſſimè properat cõtra vitam, vt eam ſuccidat ſua ſecuri, quæ ad radicem arboris poſita eſt, vt concutiatur & cadat. Hinc Seneca, *Tenue eſt interuallum, quo mors à vita diuiditur, vix eſt vnius digiti*, Vnde de die mortis, dici illud Abacuc poteſt, cap. 2. *Veniens veniet, & non tardabit*: Ergo non eſt pœnitentia retardanda, Eccl. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira Dei, & in tempore vindictæ diſperdet te*: Vt manifeſtum eſt in multis. Nam Pharao & Ægyptij diu ſe victuros, & in Iſraëliticum populum, imperiũ habituros ſperabãt, Verũtamẽ maris rubri fluctib⁹ cõfeſtim obruti fuêre. Exo. 14. Core, Dathã, & Abyrõ, dum ſe ſummo ſacerdotio poſſe frui putarunt, terrę hiatu abſorpti periêre. Numero. 16. Sodomitæ ſperabant diu ſe victuros in fæcibus ſuis, quando incendio & fulgure conſumpti & extincti ſunt. Gen. 19. Aſſyrij & Sennacherib ſe Hieruſalem poſſidere crediderunt, cùm cẽtum & octoginta millia ſuorum, ab Angelo interfecti ſunt, 4. Reg. 19. Idem cõtigit Babylonijs & Holopherni. Iudith. 13. cap. Et Aman, Heſter. 7. & filijs Iambri 1. Machab. 9. Et Antiocho, 2. Machab. 9. Et Ananiæ atq. Saphiræ. Actor. 5. Propterea dicitur Eccleſ. 7. *Memento iræ, quoniam non tardabit.* Quòd ſi ali-

Abac. 2. 3.
Eccl. 5. 8.
Vindicta Dei non cogitanti accedit.
Exo 14. 27.
Numer. 16. 33.
Gen. 19. 25.
4. *Reg.* 14. 35
Iudith. 13. 9
1. *Macha.* 9 40.
2. *Mach.* 9. 5
Actor. 5.
Eccl. 7. 18.

quod bonũ intendit cõſequi, quòd ſibi eſt cõueniens. Vnde ſequitur, vt quemadmodũ boni apprehenſio mouet ad agendũ, ita mali apprehẽſio ab operatione retrahit. Si quis igitur nouiſſima ſua animo volueret ſæpiſſimè, & mala quæ ex peccatis ſequuntur apud ſe cõſideraret, vt eſt amiſſio gratiæ & gloriæ, reatus pœnæ æternæ, mors corporea, afflictiones &c. *Rom. 6. Stipendium peccati mors.* Is (inquam) vt ait D. Damaſc. nuſquã peccatũ lethale committeret. Hoc ſuadet Sapiens Eccl. 7. *In omnibus operibus tuis, memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis.* Quibus verbis ad tria nos inducere, contendit. *Rom. 6. 23.*

Primò quidem, ad agẽdorum directionem.

Secundò, ad nouiſſimorum conſiderationẽ.

Tertiò, ad malorum euitationem.

Circa primũ, quemadmodum qui ſcopum ſagittâ vult attingere, neceſſarium eſt, vt perpetuò in eum oculos conijciat: ſic qui actiones ſuas rectè vult dirigere, in finem perpetuò intendat neceſſe eſt. Hinc dici ſolet, quidquid agis prudenter agas, & reſpice finem. Ideo cùm fides ſola, quis vltimus ſit finis noſter, doceat, ſine ea nihil boni à nobis præſtari poteſt Pſ. 32. *Omnia opera eius in fide.* Hæc enim duo ſic connexa ſunt, ſc. fides & opera, vt vnum ſine altero nihil poſſit, fides enim ſine operibus mortua eſt. Quando aliquis multa habet peragenda negotia, parumque otij & temporis, feſtinat & expedit illa conficere citiùs quàm fieri poteſt. Nos multa habemus conficienda

Similitudo.

Pſal. 32. 4.

Fides & opera neceſſaria.

& ad implenda opera, alia quibus mala quę fecimus deleamus, Alia quibus redimamus supplicia, Alia quibus præmia amissa recuperemus, Est nobis vitæ tempus breuissimum, non est igitur otio indulgendum & pigritiæ, sed quodlibet opus nostrum sollicitè & velociter
Eccl. 31. 16. expediendum. Ideo bene ait Sapiens Eccl. 31. *In omnibus operibus tuis esto velox.* In quibus verbis tria potissimùm debemus animaduertere.

Primò, exercitij generalitatem.

Secundò, meriti proprietatem.

Conditiones obseruandæ in nostris actionibus. Tertiò, operandi celeritatem.

Vt nostra opera rectè fiant, conditiones nonnullæ sunt obseruandæ: Primò vt ex charitate operemur, sola enim charitas opera nostra Deo grata & accepta reddit, quia eiusmodi, ad gloriam Dei referuntur. 1. Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*: Ergo quò ardentiori amore operamur, eò Deo gratiores efficimur. Arbor quæ fructibus multis & bonis abundat, Domino est gratior: Ita qui pluribus bonis ex charitate profectis affluit, eò Deo acceptior:
2. Cor. 9. 8. Id efficit charitas, quia nunquam est otiosa. 2. Cor. 9. *Abundetis in omne opus bonum.* Et ad
Ad Phil. 1. 9 Philip. 1. *Charitas vestra magis, ac magis abundet.*

Constantia Item debemus constanter operari: Debet enim nostrum opus esse firmum & stabile ex parte operis, & operantis: Ad quod tria requiruntur, primùm constantia, vt difficultate non
Eccl. 7. 16. Patientia. frangamur. Eccl. 7. *Ne oderis laboriosa opera*: Itē
Iacob. 1. 4. patientia, ne aduersitate retrahamur. Iaco. 1. *Patientia* (inquit) *opus perfectum habet.* Quia ab

opere non desistit propter afflictiones, quousque perficiatur.

Itē requiritur perseuerantia, ne tædio & operis prolixitate remittatur: Hinc Apost. 1. Cor. 15 *Sitis immobiles in omni opere*. Est etiam operandū vtiliter & pro nobis & pro alijs. Ad Colo. 1. *In omni opere bono fructificantes*, sc. nō solū nobis, sed etiā alijs: Nobis per meritū, alijs per auxiliū: sicut apes non solū sibi, sed etiam alijs mellificant. Vnde cùm Virgilius in laudē Augusti hos duos versus clam scripsisset. 1. Cor. 15. 58 Ad Col. 1. 10

Nocte pluit totâ, redeunt spectacula mane.
Diuisum imperium, cum Ioue Cæsar habet.

Iussit Augustus auctori magnū cōferri premiū, quòd cū quidā versificator, sibi vendicasset: in eodem loco, quater hæc verba scripsit Virgilius. Sic vos non vobis: Quæ inuidus perficere non potuit, neque complere. Ideò hæc addidit & perfecit ipsemet Virgilius, dicens.

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.
Sic vos non vobis, fertis aratra boues.
Sic vos non vobis, vellera fertis oues.
Sic vos non vobis, nidificatis aues.
Sic vos non vobis, mellificatis apes.

Per aues contemplatiui intelliguntur, qui in nido mentis conceptus suos nutriunt, alijs auxilium præbendo suis orationibus, quales sunt religiosi. Boues verò, actiuam vitam profitentes designant, eosque qui misericordiæ vacant operibus. Oues verò, corde mansuetos significant. Per apes autē, doctores intelliguntur, ex quorum ore, doctrinæ mella defluunt,

Cant.4.11. Prouerb. *Fauus mellis, verba composita*, Cant. 4. *Mel & lac sub lingua tua.* Mel pro perfectis,
Sap.3.11. lac pro paruulis. Sed contra de peccatoribus dicitur Sap. 3. *Inutilia opera eorum.*

Item opera nostra cũ prudentia fieri debent: quam allequemur scripturæ sacræ documen-
2.ad Timo. 2.21. tis, consiliis peritorum, exemplis perfectorũ, & bonarum actionum frequentissima repetitione. 2. ad Timo. 2. *Ad omne opus bonum instructus.*

Secundò, agitur loco citato ex Eccl. De
Eccl.31.26. meriti proprietate, cùm dicitur, *tuis.* Opera enim bona quæ facis, possunt esse tua, & non
Opera nostra sunt aliquando aliena. tua, sed aliena. Si enim agis, non ad honorem Dei, aut ædificationem proximi, sed propter vanam laudem aut gloriam, non tibi sed aliis proderunt ad auxilium, sicut patet de elemosina: Vel ad exemplum, sicut abstinentia, vel oratio. Ideoque non tua sunt opera, sed aliena,
Esa.28.21. Esa. 28. *Alienum opus ab eo:* Ratio est, quia talia hypocritarum opera vacua sunt mercede & merito, sicut nonnulla poma exteriùs pulchra apparent, interiùs verò sunt putrida & sine sapore. Apoc. 3. *Non inuenio opera tua plena coram Deo.* Hic notandum est, opera ab existẽ-
Opera sine charitate nõ sũt meritoria. te in peccato mortali facta, ad meritum vitæ æternæ non prodesse, quia carent charitate seu radice merendi: hinc D. Greg. *Nihil habet viriditatis ramus boni operis, nisi maneat in radice charitatis.* Soli igitur iusto, dicitur, Eccl. 9. *Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuũ, quia placent Deo opera tua.*

Tertiò agitur in Auctor. inducta, de operãdi celeritate, cũ dicitur, Velox, Gratissimus enim est Domino seruus, qui alacriter & velociter Domini mãdata exequitur, nec ea procrastinat, idẽ de Deo sentiẽdũ est. Prou. 22. *Vidisti virũ velocẽ in opere suo, corã regibus stabit, & non erit ante ignobiles*, sic potest hic locus exponi. *Vidisti virum velocem*, id est, strenuum, & solicitũ nihil omittentẽ de his quæ, *corã Regibus*, id est Apostolis, agẽda sũt, *Corã eis stabit*, sc. in die iudicij, quia eorũ iussa strenuè & alacriter adimpleuit. Nec erit ante ignobiles, hoc est, in sinistra parte, cũ ignobilibus & reprobis. Est hæc ergo velocitas strenuitatis valde bona, & necessaria: Sed est alia celeritas temeritatis, de qua 2. Reg. 2. *Azael cursor velocissimus, fuit quasi vnus ex capreis, quæ morantur in syluis.*

Ecc. 31. 26. *Prõptitudo ad agendũ Deo grata.* *Prou. 22. 29* *2. Reg. 2. 18.*

SECVNDÒ, in auctoritate Them. Eccl. 7. 40. Inducimur ad diligentissimam nouissimorum considerationem, cùm dicitur, *Memorare nouissima &c.* Vbi obseruandum est quadruplex esse nouissimum.

Eccl. 7. 40. *Nouissimũ quadruplex*

Est nouissimũ personæ, videlicet hora mortis.

Est nouissimum culpæ, nempe pœna inferni.

Est nouissimum naturæ, hoc est, finis huius mundi, quia iste cursus naturæ, tunc terminabitur.

Est etiam nouissimum gratię, videlicet, beatitudinis & gloriæ æternæ. De quibus omnibus dicitur Deutero. 32. *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Ita hic locus exponi potest, Vtinam saperent, scilicet,*

Beatitudinis memoria. *Deut. 32. 29*

præmia æternę beatitudinis: *& intelligerent*, scilicet, supplicia æternæ damnationis, *ac nouissima prouiderent*, scilicet, finem sui, & finem mundi, præcipue quoad iudicium futurum. Debemus ergo priùs sapere præmia beatitudinis supernæ. Qui accedit ad arborem, vt fructibus illius reficiatur, mala & putrida poma non capiet, neque in terram collapsa: Sed ijs vtetur, quæ meliora & solidiora fuerint super arborem. Hic mundus est veluti altissima arbor, in cuius superiori parte, hoc est, in cœlo, solidiores sunt fructus, & qui nusquam marcescunt, sapidi qui nunquam fastidiunt, copiosi, qui nunquam deficiunt, sed satiant, videlicet gaudia æterna, de quibus Psal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Quæ verò inferiùs iacent, bestijs potiùs relinquenda, quàm hominibus, Ea sunt caduca bona, & corruptibilia. Bene ergo nos admonet Apostolus, ad Colo. 3. dicens, *Quæ sursum sunt, sapite.*

Similitudo.

Psal. 16. 17.

Ad Col. 3. 2.

Inferni memoria.

Secũdò, debemus intelligere supplicia æternæ damnationis crudelissima: Quæ instabunt à parte superiori aduersus miseros, videbunt enim se ab æterna fœlicitate exclusos, à sanctorum societate, à cœlestis loci sublimitate, amœnitate, claritate, & à beatorum pietate derelictos, eis non compatientes, imò congaudentes diuinæ iustitiæ, lætabuntur de eorum pœnis & damnatione, *Lætabitur enim iustus, cùm viderit vindictam.* Psal. 57. Instabunt etiam à parte inferiori, scilicet, à calore

Psal. 57. 10.

calore ignis ardentiſſimo, & à frigore terrę intenſiſſimo. Propter quod dicitur, Iob, 24. *Trãſibunt ab aquis nimium, ad calorem nimium.* Item quia ſe perpetuò incárceratos perſpicient in infimo, & viliſſimo loco: intrabunt enim in inferiora terræ, & tradentur in manus gladij, id eſt ad executionem diuinę iuſtitiæ, & partes vulpium erunt, id eſt, dæmonum à quibus decepti ſunt. *Iob. 14. 19.*

Item inſtabunt ſupplicia à parte poſteriori, quia poſt ſupplicium præſens animarum expectabunt corporum reſurrectionem, vt cum eis crucientur. Deeritque eis remedium in ęternum, poſt latam ſententiam damnationis: inſtabunt etiam ſupplicia à parte anteriori, quia ante ſe horribiles facies Dæmonum videbunt. Pater filium, cui maledicet, filius Patrem, quem deteſtabitur, Amicus amicum, qui ſibi inuicem improperabũt damnationis cauſam. Affligentur ab interriori, videbunt enim ſe in perpetuum priuatos omnibus diuitiis, opibus, honoribus, & voluptatibus, quibus in mundo quietè fruebantur, quorum etiam memoria torquebuntur. *Damnatorũ ſupplicia*

Item inſtabunt ſupplicia ab interiori, quia mala ſua perpetuò mentes eorum agitabunt, malum etenim cognitum magis affligit. Erunt etiam vermes interiùs corrodentes, id eſt peccatorum remorſus, propter quæ infliguntur ſupplicia, vnde Eſa. 66. *Vermis eorum non moritur.* Non carebunt damnati vitijs quibus torquebuntur, odium Dei, blaſphemiæ in eum *Inferni ſupplicia.* *Eſa. 66. 24*

ob inflictos ab eo dolores & supplicia: inuidia, de gloria beatorum, cuius cognitionem habebunt in confuso & generali, sicut habuerunt antequam excederent è vita, non autem in particulari, quænam sit videlicet gloria huius, vel illius.

Non deerit in eis ira maxima & insolens, contra Deum & seipsos. Ab exteriori supplicia etiam illis aderunt, videntes se omnibus bonis vniuersi priuatos, & ab omnibus creaturis derelictos in æternũ. Verũ miseri homines hæc nusquã animo voluũt, neque cogitãt. Huius rei figura est Iudic. 20. In filijs Bẽjamin,
Ps. 81. de quibus dicitur, *non intellexerunt quòd omni ex parte instaret eorum interitus.* & Psal. 81. *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Quia non ea credunt, quousque experiantur,
Hierem. 30. 11. Hiere. 30. Tertiò *in nouißimo dierũ intelligetis ea.* Et tunc accidit illis quod dicitur Hierem.
Hierem. 20. 20. *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquã delebitur.* Nec tamen existimandum est, Deum
Iob. 11. 5. damnatos punire iuxta demerita, sed potiùs citra condignùm, secundùm illud Iob. 11. cap. *Vtinam Deus loqueretur tecum, & labia sua tibi aperiret, vt ostenderet tibi secreta Sapientiæ, & quòd multiplex est lex eius: & intelligeres, quòd multò minora exigaris ab eo, quàm meretur iniquitas tua.*

Eccl. 7. 40. Tertiò, in auctoritate allata Eccl. 7. proponitur nobis consideratio finis vitæ præsentis, id est mortis nostræ, in qua fit de nobis parti-

culare iudicium ſicut in fine totius vniuerſi, de omnibus, & ab eodem iudice Chriſto. Qui ad iudicium dicitur, ante iudicem in eum vehementer iratum, antea multùm, diùque cogitat, qua ratione illum placare poterit: Iudex nôſter Chriſtus tantæ eſt bonitatis & clementiæ, vt ab eo facillimè venia impetretur, ſi homo pœnitens, de peccatis conteratur; proponat vitæ emendationem, & deſinat inimicari, Ideo Eccl. 28. *Memento nouiſsimorum & deſine inimicari.* Dixit Sapiens, *Memento nouiſsimorum,* quia tam memoria mortis, quàm iudicij eſt valde vtilis, Scilicet ad vitandam culpam, & delenda peccata, & potiſſimùm tria: Primò auaritiam, quia facilè contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe eſſe moriturum, vt ait D. Hiero. Secundò ſuperbiam, Pauo enim reſpiciens pedes, tanquam quid corporis extremum vile & turpe, caudam ſuperbientem deprimit, ſic homo mortis conſideratione ad humilitatem mouetur. Tertiò carnis concupiſcentiam. D. Greg. *Nihil tam valet ad reprimenda carnis deſideria, quàm qualis futurus ſis, diligenter conſiderare.* Quartò ad pœnitentiam excitat, vnde D. Auguſtinus, *Multos pœnitere video, timore mortis*: patet in Ezechia, Eſay. 38.

Pœnitentia agenda.

Eccl. 28. 6.

Mortis memoria vtiliſſima.

Eſay. 38. 1.

Item illuſtrat intellectum, Ait enim Plato, Philoſophiam mortis meditationem eſſe: docet enim cognitionem & Dei & ſui, noſque non ſolùm animalia rationis capacia admonet eſſe, ſed etiam mortalia, & corruptioni obnoxia. Exemplum eſt lib. 2. Machabeorum. 9. de

2. Machab. 9. 12.

Antiocho. *Iustum* (inquit) *est, Deo subditum esse, & mortalem non paria Deo sentire.* Eadem nouissimorum memoria vitam ad rectè viuendū dirigit, & emendationem vitæ suadet, ne coram Deo, & hominibus confundatur peccator, cùm non sit post mortem emendationi

Eccl. 38. 21. locus. Ideo ait Sapiens. Ecclesiast. 38. *Memento nouissimorum, & noli obliuisci, neque enim est conuersio, & hinc nihil proderis, & te ipsum pessimabis.* Scilicet in iudicio, quia tunc non solùm in anima sed etiam in corpore torqueberis.

Eccl. 7. 40. Tertiò, in auctoritate principali Eccl. 7. ad malorum fugam inducit, cùm dicit, *In æternum non peccabis.* Vbi notandum, eos quibus incumbit ab hostibus aliquam seruare ciuitatē, perpetuò vigilare, ne illā ingrediātur, & capiant. Hostes animæ sunt peccata, igitur assidua opus est vigilia, ne nostram animam occupent. 1. Cor. 15. *Vigilate iusti, & nolite peccare.* Quibus verbis, tria suadere videtur.

Vigilia necessaria ante mortem.

1. Cor. 15. 34.

Primò, diligentiam custodiæ, Secundò obseruantiam iustitiæ, Tertiò fugam malitiæ: dicit ergo vigilate, scilicet cōtra Diaboli astutiā, sicut vigilant in castris speculatores, aduersus hostium insidias 1. Petr. 5. *Vigilate quia aduersarius Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærēs quem deuoret.*

1. Pet. 5. 8.

Item vigilate, contra mundi auaritiam, sicut vigilat faber, contra diei calorem: Calor enim diei, ardor est auaritiæ huius sęculi, Eccl. 38. *Vigilia sua mundabit fornacem*, id est ardorem auaritiæ. Item aduersus carnis lasciuiam, sicut

Eccl. 38 31.

vigilatur ſuper ægrotum, ne illi quid mali cõtingat, Matth. 26. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma eſt.* Matth. 26. 41 1. Cor. 15. 34.

Secundò, inducit ad obſeruantiam iuſtitiæ: Videm⁹ enim artifices ab vſu & opere artis denominationem capere, vt qui faciunt calceos, calcifices appellentur. Qui ſcribunt libros, ſcriptores &c. Idem eſt, in virtutibus exercẽdis, qui enim multas exercet abſtinenriæ actiones, dicitur abſtinens: liberalitatis, liberalis: iuſtitiç, iuſtus. 1. Ioan. 3. *Qui facit iuſtitiam iuſtus eſt.* Eſt autem ex Philoſopho duplex iuſtitia: Alia eſt particularis, quæ dirigit vnum erga alterum in ſuis actionibus, & reddit cuique particulari, quod ſuum eſt. Altera eſt generalis, extendens ſe ad omnes virtutes, quatenus omnium virtutum actus dirigit ad bonum commune. Ideo Ariſtoteles ait lib. 5. Ethic. Iuſtitiam eſſe omnem virtutem, & ab hac generali iuſtitia, iuſtos & bonos homines nominari. Et quia delectantur, actione manante à proprio habitu, vt iuſti, actibus iuſtitiç Prouerb. 21. *Gaudium eſt iuſto, facere iudicium.* Ideo illi ſi virtutẽ præditi dicuntur, quia lacriter & promptè actiones virtutis exercent. *Iuſtitia generalis & particularis* Prouerb. 21. 15.

Tertio auctoritate ſuperiùs citata ex D. Paulo 1. Cor. 15. Fugam ſuadet malitiæ, cùm dicit. *Nolite peccare.* Vbi animaduerte medicum non eandem ægroto & conualeſcenti porrigere medicinam, ſic alio remedio indiget peccator, alio pœnitens: Ægrotanti dantur medicinæ 1. Cor. 15. 34. *Suadet mali fugam.*

digestiuæ, alteratiuæ, & expulsiuæ. Eiusmodi sunt medicinæ pœnitentis, videlicet interior contritio & confessio: Quibus accedit cōfortatiua & restauratiua satisfactio, per quam reparatur quod ex peccato deperditū est, atque etiam roboratur contra tentationes, vt per ieiunium, elemosynam, & orationem, quæ sunt opera satisfactionis.

Item ei qui conualuit, consulit medicus, caueat sibi ne iterum in morbum incidat, quod pœnitenti consulendum est, ne fiant nouissima eius peiora prioribus: Et sic manifestum est illud remedium peccatoribus conuenire, quod à præteritis purgat, & quo se ipsū præseruet à futuris. De quibus Psal. 4. *Irascimini & nolite peccare*: *Irascimini*, scilicet, per pœnitentiam, & nolite peccare, scilicet, ampliùs in posterum. Dat igitur duo Psalmista, medicinam expulsiuam, & imponit diætam præseruatiuam.

Psal. 4. 5.

Ira accommodatur pœnitentiæ.

Vbi obseruandum est iram impropriè assimilari pœnitentiæ, quia pœnitens instar hominis irati debet dolere intus, & de peccatis contercre: exteriùs verò per verba in confessionem prorumpere, & manum adhibere ad vindictam peccati, per operis satisfactionem, vt dicat illud Ionæ cap. 4. *Bene irascor vsque ad mortem*, hoc est, ad mortificationem. Inducimur etiam ad peccati abstinentiam, cùm ait Dauid Ps. 4. & *nolite peccare*. Recidiua infirmitas sæpe multò est periculosior præcedenti, eò quòd naturam debiliorem inueniat: Sic

per recidiuum peccatũ efficitur homo deterioris conditionis, propter ingratitudinem, comparatione Dei, & propter aſſuetudinem, reſpectu ſuipſius, & quantùm ad diabolum, qui multò fortior redditur: propterea Chriſtus dixit paralytico, *Iam noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat.* Ioan. 5. Sicque abſtinendo à peccatis, homo conſeruatur in gratia, qua tãdem aſſequêtur gloriam, Ad quam nos perducat Ieſus Chriſtus qui ſine fine viuit, & regnat. AMEN. *Ioan. 5. 14.*

DE VTILITATE MORTIS HVMANAE.

THEMA.

Mors bonum eſt iudicium tuum, Eccleſ. 41. *Eccl. 41. 3.*

MVlta accidunt, quæ mala iudicantur, cũ tamen non ſint, imò maximè vtilia, vt tandem euentus probat, ſicut in Ioſeph manifeſtum eſt, cùm à fratribus inuidia motis, mercatoribus alienigenis venditus eſt, Quia factus eſt poſtea Dominus totius Ægypti, in vtilitatẽ & bonum totius familiæ Patris, & omniũ fratrum eius, quibus dixit, *Nolite timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus illud vertit in bonum*, Gen. 45. *Gen. 45. 8.*

Narrat enim Valerius de Iaſone Pheræo, illi quendam amicum inſidias ſtruxiſſe, vt illũ necaret: Quo accedente, ex inſidijs gladio eũ percuſſit, Sed in ea parte corporis, vbi erat illi apoſtema, quòd ruptum eſt, ita vt à periculoſiſſimo morbo liberaretur, Vnde profuit, qui nocere & occidere intendebat. Itẽ ſomniorũ interpretes, dicũt ſomnia quæ mala videntur, meliora ſignificare: Vt Paſchalis in lib. de Theſauris occultis, ait ſuſpenſionem in patibulo ex iudicis ſententia, ad dignitates elationem, deſignare: Ita qui ſe leproſum ſomniauerit, ad honores euehetur, quibus alijs nocere poterit: Vnde manifeſtum eſt, ex malis, nobis ſæpe bona contingere. Idem de morte cogitandum eſt, quæ quamuis mala & noxia iudicetur, ait tamen ſapiens iudicium illius eſſe bonum. *O mors* (inquit) *bonum eſt iudicium tuum.* Eccl. 41. In quibus quidem verbis oſtenduntur de morte tria.

Eccl. 41 3.

Primò, pœnalẽ eſſe ex nomine, quia mors.

Secundò, vtilem ex bonitate, quia bonum.

Tertiò, terribilem examine, vnde addit iudicium tuum.

Mors priuat rebus dilectis, ideo amara.

Circa primum aduerte, id moleſtiſſimum & grauiſſimum eſſe, id quod te priuat dilectiſſima: ſed mors rebus cariſſimis & iucundiſſimis, videlicet honoribus, diuitiis, dignitatibus, & aliis vitæ commodis hominem deſtituit, igitur diuiti & opes ſuas pacificè poſſidenti, mors amara eſſe debet. Vnde Eccl. 41. *O mors quàm amara eſt, memoria tua, homini pacẽ*

Eccl 41. 1.

habenti in substantiis suis. In quibus verbis triplex ratio ostenditur, quare non solùm mortis experientia, sed etiam eius memoria est nonnullis molesta, grauis & onerosa.

Prima est, quia mors detrimentum affert.

Secunda, quia tormentum infert.

Tertia, quia fulcimentum aufert, diuitias scilicet, & commoda vitæ.

Nobis igitur est horrori mors, quia detrimentum affert: Nam nullum maius damnum hospiti potest inferre, quàm domus eius fundamentum euellere: Ruit enim postea, & omnia quæ in ea continentur, fundamentum verò omnium bonorum corporis, est vita, quo euerso, cætera funditus euelluntur, tollitur motus, visus, auditus, tactus, odoratus, gustus, locutio, delectatio: Nihil prosunt diuitiæ, cessant omnes deliciæ, honores non recreant, indeque formido mortis, Psal. 54. *Formido mortis cecidit super me.*

Vita fulcimentum omnium actionum.

Psal. 54. 4

Verùm notandum est, sanctos viros, mortem corporis non detrimẽto illis esse opinari, eo quòd de morte hac ad meliorem vitam trãseant, & bona caduca, in æterna commutentur: quodque resurrecturos, & Christum visuros sperent, hinc Psal. 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Dixit in cõspectu Domini, quia quamuis hîc in conspectu viuentium ea non appareant, tamen in conspectu Dei, in rei veritate euenient: vt est mors martyrum, quæ coram hominibus est ignominiosa, coram Deo pretiosa. Prouerb. 14.

Mors grata & vtilis iustis.

Psal. 115. 5

Prouerb. 14 34.

Sperat iustus in morte sua. At miseris peccatoribus valde est mors damnosa, non enim vita solùm naturæ,& omnibus bonis huius sæculi, sed etiam vita gratiæ & gloriæ priuantur. Vita quidem gratiæ,quia in peccato, & impœnitentes ex hac vita decedunt: Possunt tamen, dum adhuc sunt superstites, resurgere per pœnitentiam, gratiam,&charitatem recuperare: Post mortem verò minimè, quod maximè timendum est, *quia talis in deteriorem mortem incidit, vt ad luenda peccata reuiuiscat*, ait D. August. imò, *Magis est plangendus peccator viuens, quàm iustus moriens*, Secundùm eundem, ideoque ait. *Plangis mortuum,à quo recessit anima, magis plange viuum à quo recessit Deus.* Item alibi, *quid miserabilius misero, non miserante seipsum?* Est igitur peccator in peccato moriens, & qui à morte culpæ &pœnæ nusquam resurget magis plangendus, quàm quiuis alius.

peccatores plangendi.

Gloria priuatio maximũ malum.

Denique pessimum,& grauissimum est detrimentum, gloriæ & visionis diuinæ priuatio, hæc enim est multò gehennâ acerbior, quia summo bono, & increato orbantur per Dei carentiam, qui omnem delectationem, gaudium,&voluptatem,pulchritudinem,omnes perfectiones, omniaque bona in se continet. Ideo dicitur Psal. 33. *Mors peccatorum pessima*: Mala quidem, in quantum priuantur vita naturæ,peior, reparatione gratiæ, pessima fœlicitate æternæ gloriæ.

Psal. 33.21

Mors peccatorũ pessima

Secundò, mors est acerba, quia infert tormentum, non tantùm ipsa,sed etiam eius me-

moria, quod quidem aliquando eſt ab infirmitate & morbo, vt dicitur de Antiocho, quē dirus dolor viſcerum apprehendit, & amara interiorum tormenta, in quibus miſerabili obitu mortuus eſt. Aliquando etiam illa mortis amaritudo, eſt ab inordinato vitiorum affectu: vnde eſt amara auaro, amarior luxurioſo, ſed amariſſima ſuperbo. Auaro quidem, quia nimio amore diuitiarum tenetur, quas derelinquere acerbiſſimum eſt. Amos. *Ponam nouiſsima eius, quaſi diem amarum*. De luxurioſo, Eccl.7. 27
audi quid dicat Sapiens, Eccleſiaſt.7. *Inueni amariorem morte mulierem*. Hæc mulier eſt carnis voluptas, quæ mortem amariorem reddit, & ad gehennam ducit. Item eſt amariſſima ſuperbo, quem durius ſequitur iudicium, & terribilis dæmonum occurſus, & profundior pœnarum vorago. Deutero.32. *Deuorabunt eos* Deutero.32.
aues, ſuperbi dæmones, *morſu amariſsimo*. Hic 24.
morſus eſt mors, quæ partem tollit, hoc eſt, animam, & partem in terra relinquit, ſcilicet, corpus: Sicut qui pomum mordet, primùm tollit ſolidum, & dimittit putridum. 4. Reg 4. habetur, quòd filij Prophetarum, cùm guſtaſ- 4. Reg. 4.3
ſent de coctione, & illam inueniſſent amariſ- 40.
ſimam, propter colocyntidas & herbas agreſtes, clamauêrunt ad Eliſæum, dicentes, *Mors in olla, vir Dei*. Olla eſt memoria mortis, in qua eſt incluſa amaritudo, propter bona quæ dimittũtur, & mala quæ formidantur. Threno- Thren.3. 20
rum 3. cap. *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea*, ſcilicet propter horrorem mortis.

Eccl. 41. 1. Tertia ratio terroris eiusdem, quia omne tollitur fulcimentum, vnde aitSapiens Eccl. 41. quòd eius memoria est amara specialiter homini pacem habenti in substantiis suis. Mundus assimilatur hospiti, quem alacriter ingredientem excipit, eique epulas multas largissimè subministrat, in exitu verò bursam eius euacuat. *Similitudo.* Hominem mundus cum gaudio recenter natum excipit, eumque ad diuitias cumulandas inuitat, licet in fine nihil reperiat. Ps. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* *Psal. 75. 5.* Iob. 27. *Diues cùm dormierit nihil secum afferet, aperiet oculos suos, & nihil inueniet*: Ait D. Greg. *Iob. 27. 19.* in hęc verba. *Diues cùm dormierit res suas secum deferet, si ad vocem petentis inopis, illi tribuerit: Externa namque omnia quæ seruando amittimus, largiendo seruamus: Patrimonium nostrum retentum perditur, manet erogatum.* *Elemosina.*

Secundò, in auctoritate Thematis assumpti, mors bona & vtilis ostenditur: Porrò animaduerte aliquid secundùm se esse malum, *Eccl. 41. 1.* comparatione verò maioris mali, rationem boni induere posse: Sicut merces proiicere in mare, malum est: At tempore tempestatis, vt nauis alleuietur, & saluti consulatur, bonum est. Ita mors cùm sit vitæ priuatio mala est, respectu tamen vitæ æternæ, mori optimum est.

Et id docet D. Paulus 1. Cor. 9. *Bonum est mihi, magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* *1. Cor. 9. 15.* In quibus verbis, de morte tria pos-

ſumus conſiderare.

Primò, ipſius commendationem.

Secundò, ipſius appropriationem.

Tertiò, ipſius comparationem.

Mors bona dici poteſt propter tria: Primò quidem quia per eam ſuperbia humiliatur, duabus de cauſis: prima eſt, quia licet diues ſit inæqualis pauperi, & doctus ignaro, Dominus ſeruo, in morte tamen omnes adæquantur: Moritur enim pariter doctus & indoctus, ita diues ſicut mendicus, ſicut Dominus, ita ſeruus. Secunda cauſa, quia nullus excipitur ab ea, ſed æquo pede pulſat pauperum tabernas, Regumque turres: Incommoda huius vitæ ſperamus euadere, Ideo cor ſuperbum & arrogans non omnino deiicitur: At in morte contrarium perſpicitur. *Mors bona propter tria.*

Ideoque 2. Machab. 9. Antiochus ad mortem percuſſus, ex graui ſuperbia cœpit ad agnitionem ſui venire, dicens. *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, inquit, & mortalem non paria de Deo ſentire.* Et Imperator Octauianus conſiderans ſuæ conditionis mortalitatem, à Romanis noluit adorari. Idirco ait Dauid Pſal. 118. *Bonum mihi, quia humiliaſti me.* *2. Machab. 9.*

Secundò, mori vtile eſt, quia in eo terminatur huius vitæ miſeria: Nam vt beatus vitã expetit, ita infœlix mortem, quãdoquidem melior eſt mors, quàm vita miſera & amara. Rom. 7. *Infœlix ego, quis me liberabit, de corpore mortis* *Rom. 7. 24.*

huius? dices, at mors mittit in gehennã: Respondendum est, non per se, id accidere, sed ex improborum improbitate & malitia, sicut
Gen. 49. 15. bonis quies & gloria ex eorum bonitate, pietate & pœnitentia: hinc Gen. 49. *Vidit requiem, quòd esset bona.*

Tertiò mori dicitur bonum, quia non sumus certi, in quo statu sit omnis homo: ideoque ait Eccl. 9. cap. *Nescit homo finem suum, sed omnia in futurum reseruãtur incerta.* At mors cer-
Eccl. 9 1. 12. tos omnes reddit, status futuri, sempiterni, & immutabilis: Quandiu enim aliquis contendit in certamine, de victoria dubius est, quo finito iam certior factus est, nec amplius dubitat. Sic bonus miles Christi accedente morte, & huius vitæ finito cursu, dicere potest. *Bonũ*
1. Corinth. 9 15. *certamen certaui, cursum consummaui.* Præterea in auctoritate inducta ex D. Paulo vtilitas ostenditur, quoad appropriationem, cùm dicitur (*Mihi*) Nam sanctis viris Christi vita est vtilis, quia auget eorum meritum, sed est illis vtilior mors, per quam merentur præmium. Vnde Apostolus ad Phil. 1. *Mihi viuere Chri-*
ad Phil. 1. 21 *mori lucrũ.* *stus est, & mori lucrum.* Vbi nota meritum ex amore Christi proficisci: intensns enim amor amantem in amatum transformat: Propterea Apostolus qui Christum vnicè diligebat, vitã suam, Christi vitam reputabat. Vnde ad Gal. 2. *Viuo autem, iam non ego, viuit autem in me Christus*: Quo amore, semper creuit in merito, cùm ipse nunquam sit otiosus, & radix meriti sit charitas.

Denique nota lucrum præmij per mortem, quia (inquit) *mors lucrum*, id eſt gloriæ æternæ fruitio, de quo lucro. Mar. 8. *Quid proderit homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò detrimentum patiatur?* Omnia alia lucra ſpernebat D. Paulus, vt Chriſtum lucrari poſſet, ad Philip. 3. *Omnia arbitratus ſum tanquam ſtercora, vt Chriſtum lucrifacerem.*

1. Cor. 9. 15.
Mar. 8. 36.
ad Phil. 3. 8.

Tertiò, in auctoritate allata, debemus cõſiderare comparationem, cùm dicitur, *magis mori*. Vbi aduerte duplicem eſſe gloriam bonæ famæ. Altera in præſenti ſæculo, & hæc eſt teſtimonium bonæ & puræ conſcientiæ, ſicut Apoſt. ait, 2. Cor. 1. cap. *Gloria* (inquit) *noſtra hæc eſt, teſtimonium cõſcientiæ noſtræ.* Altera in futuro, de qua Pſal. 149. *Exultabunt ſancti in gloria.* Ad primam conſeruandam, ſæpe vitam exponunt homines, quia talis gloria non amittitur, niſi per peccatum mortale, Mors autem eſt malum pœnæ, quod cùm ſit minus, quàm culpæ, mirum videri nõ debet, ſi illi malint mortem corporis ſuſtinere, quàm propter peccatum, gloriam conſcientiæ euacuare. Et licet eadem per veniale non deperdatur, debemus nihilominus potiùs eligere mortem, quàm illud committere: Multò magis ſi ſit mortale, ſicut fecit Eleazarus 2. Machab 6. qui maluit interfici, quàm contra præceptum legis diuinæ faciendo, peccare mortaliter, vnde ibi dicitur, *quòd ille glorioſam mortem magis quàm odibilem vitã eligens, voluntariè ibat ad ſupplicia*, Igitur potiùs omnia ſufferenda ſunt in hac vita,

1. Cor. 9. 15.
Duplex teſtimonium bonæ famæ.
Pſ. 149. 5.
2. Mach. 6. 19.

Rom.8.18. quàm per culpam lethalem gloria æterna priuari: hinc D. Apoſtolus Rom.8. *Non ſunt condignę paßiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.*

Eccl.41.3.

Mors terribilis. Tertiò, in auctoritate Thematis Eccl. 41. oſtenditur mors terribilis, propter examen iudicij, quod ſequitur ad mortem. Nam dicitur Hebrę. 9. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium.* Scilicet particulare in ipſo mortis articulo, & generale in corporum reſurrectione: Vtrumque porrò erit terribile, *Iudicium particulare & vniuerſale.* nulla enim in his veritas celari, aut falſitas probari poterit, neque ad alium iudicem appellari de ſententia lata à Chriſto, neque pœna vllo pretio, fauore aut acceptatione redimi aut immutari. Sed ſuperiùs iudex iratus apparebit, interiùs, conſcientia accuſans mordebit, inferiùs, infernus aderit, Dæmon ad gehēnā rapere feſtinabit. Idirco perterrit' Propheta dicebat, Pſal. 142. *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* *Pſ.142.2.* Qui habet litem diſcutiendam in *Similitudo.* foro, primò prouidet ſibi omnia habere, quæ neceſſaria ſunt ad cauſam defendendam, ſaccū cum literis & inſtrumentis, procuratorem, aduocatum diligentē & doctum. Prælati mittentes in curiam Romanam procuratores, eos de omnibus accuratiſſimè inſtruunt, vt etiam ſint diligentiores in negotiis peragendis eos multis beneficiis afficiunt.

Vis igitur tanti tamque ſeueri iudicis ſententiam euadere, feras tecum bonum inſtrumētū, quo

quo teipſum aderſus inimicos tueri poſſis, videlicet, puram bonamque conſcientiam, & bona opera, ſed cauendum eſt, ne ſint falſa, ſicut Hypocritarum: Secundò adſit procurator, hic erit pauper, cui eleemoſynam contuleris, *Matt.25.40* *Quòd vni ex minimis mihi feciſtis* Matth. 25. Habeas etiam aduocatum, videlicet aliquem ſanctum, qui tuas agat partes: illi offeres munera, hoc eſt, orationes, honores, & reuerentiam exhibebis. Si ita te paraueris, antequam ad iudicium accedas, gratiſſimam & iucundiſſimam audies ſententiam, nō damnationis, ſed remunerationis æternæ gloriæ. Ad quam nos perducat Ieſus Chriſtus filius Dei viui, qui regnat per omnia ſæcula ſæculorum,

AMEN.

DISTINCTIO TERTIA, IN QVA TRACTATVR SIMVL DE vita, & morte, & de conditionibus vtriusque: Cuius sunt octo Conciones.

Prima, est de necessitate moriendi, quæ ad omnes spectat.
Secunda, de comparatione vitæ & mortis.
Tertia, de cõparatione statūs viuorũ & mortuorũ.
Quarta, de Vigilantia necessaria ante mortem.
Quinta, de remissione peccatorum ante mortem impetranda.
Sexta, de misera & vili conditione hominis viuentis & morientis.
Septima, de vili conditione hominis mortui.
Octaua, de vigilãtia viuẽtis, & nuditate moriẽtis.

DE NECESSITATE MORIENDI.

THEMA.

Psal.88.47. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? Psal. 88.*

Amor vitæ. BOETIVS lib. de Consolatione Philosophica, docet nullum esse animal, quod vitam tueri non laboret, mor-

temque & interitum non fugiat: Non tamen tantæ esse virtutis, vt eam perpetuò cõseruare possit: Quamuis enim homo in statu innocentiæ ex Dei gratia, non ex natura, esset immortalis, hoc est, poterat non mori, tamen propter peccatum primi hominis, ipse cũ tota sua posteritate, mortis necessitati addictus est. Ideo Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Id ipsum est quod Propheta inquirit, verbis citatis ex Psal. 88. *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* quasi dicat nullus Sic ergo de duobus inquirit. Rom. 5. 12.

Primò, de vitæ perpetuitate.

Secundò, de mortis euitabilitate.

Est ergo prima quæstio: Vtrùm vita hominis possit perpetuò conseruari. Respondeo hominis vitam duplicem esse. Alteram corporalẽ, secundùm naturam: Alteram spiritualem, secundùm gratiam: Prima perpetuari nõ potest. Ratio est quia in quolibet animali, est cõsumptio, & restauratio: Consumptio per actionem caloris, & restauratio per alimenti acceptionẽ: Nisi enim interiùs fieret humidi primigenij consumptio, corruptio tantùm fieret ab agente exteriori & per violentiam, & sic non naturaliter, deinde si tantùm restauraretur per alimẽtum, quantùm humidi primigenij deperditur per calorem, perpetuaretur animal, verũ quia id minimè contingit, necesse est animal corrũpi: Quemadmodũ si quis pluries vini aliquam quantitatem auferat, & aquam semper infundat, vt illud restauret, tandem fiet õnino aquo-

An vita hominis possit perpetuò conseruari.

Vita corporalis non potest perpetuari.

Sperat iustus in morte sua. At miseris peccatoribus valde est mors damnosa, non enim vita solùm naturæ, & omnibus bonis huius sæculi, sed etiam vita gratiæ & gloriæ priuantur. Vita quidem gratiæ, quia in peccato, & impœnitentes ex hac vita decedunt: Possunt tamen, dum adhuc sunt superstites, resurgere per pœnitentiam, gratiam, & charitatem recuperare: Post mortem verò minimè, quod maximè timendum est, *quia talis in deteriorem mortem incidit, vt ad luenda peccata reuiuiscat*, ait D. August. imò, *Magis est plangendus peccator viuens, quàm iustus moriens*, Secundùm eundem, ideoque ait. *Plangis mortuum, à quo recessit anima, magis plange viuum à quo recessit Deus.* Item alibi, *quid miserabilius misero, non miserante seipsum?* Est igitur peccator in peccato moriens, & qui à morte culpæ & pœnæ nusquam resurget magis plangendus, quàm quiuis alius.

peccatores plangendi.

Gloria priuatio maximũ malum.

Denique pessimum, & grauissimum est detrimentum, gloriæ & visionis diuinæ priuatio, hæc enim est multò gehennâ acerbior, quia summo bono, & increato orbantur per Dei carentiam, qui omnem delectationem, gaudium, & voluptatem, pulchritudinem, omnes perfectiones, omniaque bona in se continet. Ideo dicitur Psal. 33. *Mors peccatorum pessima*: Mala quidem, in quantum priuantur vita naturæ, peior, reparatione gratiæ, pessima fœlicitate æternæ gloriæ.

Psal. 33. 21

Mors peccatorũ pessima

Secundò, mors est acerba, quia infert tormentum, non tantùm ipsa, sed etiam eius me-

moria, quod quidem aliquando eſt ab infirmitate & morbo, vt dicitur de Antiocho, quẽ dirus dolor viſcerum apprehendit, & amara interiorum tormenta, in quibus miſerabili obitu mortuus eſt. Aliquando etiam illa mortis amaritudo, eſt ab inordinato vitiorum affectu: vnde eſt amara auaro, amarior luxurioſo, ſed amariſſima ſuperbo. Auaro quidem, quia nimio amore diuitiarum tenetur, quas derelinquere acerbiſſimum eſt. Amos. *Ponam nouiſſima eius, quaſi diem amarum*. De luxurioſo, audi quid dicat Sapiens, Eccleſiaſt. 7. *Inueni amariorem morte mulierem*. Hæc mulier eſt carnis voluptas, quæ mortem amariorem reddit, & ad gehennam ducit. Item eſt amariſſima ſuperbo, quem durius ſequitur iudicium, & terribilis dæmonum occurſus, & profundior pœnarum vorago. Deutero. 32. *Deuorabunt eos aues*, ſuperbi dæmones, *morſu amariſſimo*. Hic morſus eſt mors, quæ partem tollit, hoc eſt, animam, & partem in terra relinquit, ſcilicet, corpus: Sicut qui pomum mordet, primùm tollit ſolidum, & dimittit putridum. 4. Reg. 4. habetur, quòd filij Prophetarum, cùm guſtaſſent de coctione, & illam inueniſſent amariſſimam, propter colocyntidas & herbas agreſtes, clamauêrunt ad Eliſæum, dicentes, *Mors in olla, vir Dei*. Olla eſt memoria mortis, in qua eſt incluſa amaritudo, propter bona quæ dimittũtur, & mala quæ formidantur. Threnorum 3. cap. *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea*, ſcilicet propter horrorem mortis.

Eccl. 7. 27

Deutero. 32. 24.

4. Reg. 4. 3 40.

Thren. 3. 20

ſumus conſiderare.

Primò, ipſius commendationem.

Secundò, ipſius appropriationem.

Tertiò, ipſius comparationem.

Mors bona dici poteſt propter tria: Primò quidem quia per eam ſuperbia humiliatur, duabus de cauſis: prima eſt, quia licet diues ſit inæqualis pauperi, & doctus ignaro, Dominus ſeruo, in morte tamen omnes adæquantur: Moritur enim pariter doctus & indoctus, ita diues ſicut mendicus, ſicut Dominus, ita ſeruus. Secunda cauſa, quia nullus excipitur ab ea, ſed æquo pede pulſat pauperum tabernas, Regumque turres: Incommoda huius vitæ ſperamus euadere, Ideo cor ſuperbum & arrogans non omnino deiicitur: At in morte contrarium perſpicitur. *Mors bona propter tria.*

Ideoque 2. Machab. 9. Antiochus ad mortem percuſſus, ex graui ſuperbia cœpit ad agnitionem ſui venire, dicens. *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, inquit, & mortalem non paria de Deo ſentire.* Et Imperator Octauianus conſiderans ſuæ conditionis mortalitatem, à Romanis noluit adorari. Idirco ait Dauid Pſal. 118. *Bonum mihi, quia humiliaſti me.* *2. Machab. 9.*

Secundò, mori vtile eſt, quia in eo terminatur huius vitæ miſeria: Nam vt beatus vitã expetit, ita infœlix mortem, quãdoquidem melior eſt mors, quàm vita miſera & amara. Rom. 7. *Infœlix ego, quis me liberabit, de corpore mortis* *Rom. 7. 24.*

huius? dices, at mors mittit in gehennā: Respondendum est, non per se, id accidere, sed ex improborum improbitate & malitia, sicut
Gen.49. 15. bonis quies & gloria ex eorum bonitate, pietate & pœnitentia: hinc Gen. 49. *Vidit requiem, quòd esset bona.*

Tertiò mori dicitur bonum, quia non sumus certi, in quo statu sit omnis homo: ideoque ait Eccl. 9. cap. *Nescit homo finem suum, sed omnia in futurum reseruātur incerta.* At mors cer-
Eccl.9 1.12. tos omnes reddit, status futuri, sempiterni, & immutabilis: Quandiu enim aliquis contendit in certamine, de victoria dubius est, quo finito iam certior factus est, nec amplius dubitat. Sic bonus miles Christi accedente morte, & huius vitæ finito cursu, dicere potest. *Bonū*
1.Corinth.9 15. *certamen certaui, cursum consummaui.* Præterea in auctoritate inducta ex D. Paulo vtilitas ostenditur, quoad appropriationem, cùm dicitur (*Mihi*) Nam sanctis viris Christi vita est vtilis, quia auget eorum meritum, sed est illis vtilior mors, per quam merentur præmium. Vnde Apostolus ad Phil. 1. *Mihi viuere Chri-*
ad Phil.1.21 *stus est, & mori lucrum.* Vbi nota meritum ex a-
mori lucrū. more Christi proficisci: intensus enim amor amantem in amatum transformat: Propterea Apostolus qui Christum vnicè diligebat, vitā suam, Christi vitam reputabat. Vnde ad Gal. 2. *Viuo autem, iam non ego, viuit autem in me Christus*: Quo amore, semper creuit in merito, cùm ipse nunquam sit otiosus, & radix meriti sit charitas.

Denique nota lucrum præmij per mortem, quia (inquit) *mors lucrum*, id est gloriæ æternæ fruitio, de quo lucro. Mat. 8. *Quid proderit homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò detrimentum patiatur?* Omnia alia lucra spernebat D. Paulus, vt Christum lucrari posset, ad Philip. 3. *Omnia arbitratus sum tanquam stercora, vt Christum lucrifacerem.* 1. Cor. 9. 15. Mat. 8. 36. ad Phil. 3. 8.

Tertiò, in auctoritate allata, debemus cõsiderare comparationem, cùm dicitur, *magis mori*. Vbi aduerte duplicem esse gloriam bonæ famæ. Altera in præsenti sæculo, & hæc est testimonium bonæ & puræ conscientiæ, sicut Apost. ait, 2. Cor. 1. cap. *Gloria* (inquit) *nostra hæc est, testimonium cõscientiæ nostræ.* Altera in futuro, de qua Psal. 149. *Exultabunt sancti in gloria.* Ad primam conseruandam, sæpe vitam exponunt homines, quia talis gloria non amittitur, nisi per peccatum mortale, Mors autem est malum pœnæ, quod cùm sit minus, quàm culpæ, mirum videri nõ debet, si illi malint mortem corporis sustinere, quàm propter peccatum, gloriam conscientiæ euacuare. Et licet eadem per veniale non deperdatur, debemus nihilominus potiùs eligere mortem, quàm illud committere: Multò magis si sit mortale, sicut fecit Eleazarus 2. Machab 6. qui maluit interfici, quàm contra præceptum legis diuinæ faciendo, peccare mortaliter, vnde ibi dicitur, *quòd ille gloriosam mortem magis quàm odibilem vitã eligens, voluntariè ibat ad supplicia*, Igitur potiùs omnia sufferenda sunt in hac vita, 1. Cor. 9. 15. Duplex testimonium bona fama. Ps. 149 5. 2. Mach. 6. 19.

Rom.8.18. quàm per culpam lethalem gloria æterna priuari: hinc D. Apostolus Rom.8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.*

Eccl.41.3.

Mors terribilis. Tertiò, in auctoritate Thematis Eccl. 41. ostenditur mors terribilis, propter examen iudicij, quod sequitur ad mortem. Nam dicitur Hebr. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, & post hoc iudicium.* Scilicet particulare in ipso mortis articulo, & generale in corporum resurrectione: Vtrumque porrò erit terribile, nulla enim in his veritas celari, aut falsitas probari poterit, neque ad alium iudicem appellari de sententia lata à Christo, neque pœna vllo pretio, fauore aut acceptatione redimi aut immutari. Sed superiùs iudex iratus apparebit, interiùs, conscientia accusans mordebit, inferiùs, infernus aderit, Dæmon ad gehēnā rapere festinabit. Idirco perterrit⁹ Propheta dicebat, Psal. 142. *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Qui habet litem discutiendam in foro, primò prouidet sibi omnia habere, quæ necessaria sunt ad causam defendendam, saccū cum literis & instrumentis, procuratorem, aduocatum diligentē & doctum. Prælati mittentes in curiam Romanam procuratores, eos de omnibus accuratissimè instruunt, vt etiam sint diligentiores in negotiis peragendis eos multis beneficiis afficiunt.

Iudicium particulare & vniuersale.

Ps.142.2.

Similitudo.

Vis igitur tanti tamque seueri iudicis sententiam euadere, feras tecum bonum instrumētū,

quo

quo teipſum aderſus inimicos tueri poſſis, videlicet, puram bonamque conſcientiam, & bona opera, ſed cauendum eſt, ne ſint falſa, ſicut Hypocritarum: Secundò adſit procurator, hic erit pauper, cui eleemoſynam contuleris, *Matt.25.40*
Quòd vni ex minimis mihi feciſtis Matth. 25. Habeas etiam aduocatum, videlicet aliquem ſanctum, qui tuas agat partes: illi offeres munera, hoc eſt, orationes, honores, & reuerentiam exhibebis. Si ita te paraueris, antequam ad iudicium accedas, gratiſſimam & iucundiſſimam audies ſententiam, nõ damnationis, ſed remunerationis æternæ gloriæ. Ad quam nos perducat Ieſus Chriſtus filius Dei viui, qui regnat per omnia ſæcula ſæculorum,

AMEN,

P

DISTINCTIO TERTIA, IN QVA TRACTATVR SIMVL DE vita, & morte, & de conditionibus vtriusque: Cuius sunt octo Conciones.

Prima, est de necessitate moriendi, quæ ad omnes spectat.
Secunda, de comparatione vitæ & mortis.
Tertia, de cōparatione status viuorū & mortuorū.
Quarta, de Vigilantia necessaria ante mortem.
Quinta, de remissione peccatorum ante mortem impetranda.
Sexta, de misera & vili conditione hominis viuentis & morientis.
Septima, de vili conditione hominis mortui.
Octaua, de vigilātia viuētis, & nuditate moriētis.

DE NECESSITATE MORIENDI.

THEMA.

Psal.88.47. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? Psal. 88.*

Amor vitæ. BOETIVS lib. de Consolatione Philosophica, docet nullum esse animal, quod vitam tueri non laboret, mor-

temque & interitum non fugiat: Non tamen tantæ esse virtutis, vt eam perpetuò cõseruare possit: Quamuis enim homo in statu innocentiæ ex Dei gratia, non ex natura, esset immortalis, hoc est, poterat non mori, tamen propter peccatum primi hominis, ipse cũ tota sua posteritate, mortis necessitati addictus est. Ideo Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.* Id ipsũm est quod Propheta inquirit, verbis citatis ex Psal. 88. *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* quasi dicat nullus Sic ergo de duobus inquirit. *Rom. 5. 12.*

Primò, de vitæ perpetuitate.

Secundò, de mortis euitabilitate.

An vita hominis possit perpetuò conseruari.

Est ergo prima quæstio: Vtrùm vita hominis possit perpetuò conseruari. Respondeo hominis vitam duplicem esse. Alteram corporalẽ, secundùm naturam: Alteram spiritualem, secundùm gratiam: Prima perpetuari nõ potest. Ratio est quia in quolibet animali, est cõsumptio, & restauratio: Consumptio per actionem caloris, & restauratio per alimenti acceptionẽ: Nisi enim interiùs fieret humidi primigenij consumptio, corruptio tantùm fieret ab agente exteriori & per violentiam, & sic non naturaliter, deinde si tantùm restauraretur per alimẽtum, quantùm humidi primigenij deperditur per calorem, perpetuaretur animal, verũ quia id minimè contingit, necesse est animal corrũpi: Quemadmodũ si quis pluries vini aliquam quantitatem auferat, & aquam semper infundat, vt illud restauret, tandem fiet õnino aquo- *Vita corporalis non potest perpetuari.*

ſum, ita vt vini corruptio inde ſequatur. Ita quod in animali reſtauratur per alimentum, nō eſt ita purum, vt quod conſumitur, & deperditur, inde ſequitur ſenectus, infirmitas & corruptio. Et propterea dicitur Ecc. 9. *Nemo eſt qui ſemper viuat*: Nec obſtat quod habetur Sap. 5. *Iuſti in perpetuum viuent*: quia non loquitur de vita præſenti, ſed de futura poſt reſurrectionē: quæ quidem perpetua erit, & incorruptibilis tam in iuſtis, quàm improbis: partim quidem ex natura, partim ex iuſtitia diuina. Ex natura quidem, quia ceſſante motu cœli, non remanebit aliquod aliud agens, quod per alterationem poſſit corpus hominis, à ſuo ſtatu naturali dimouêre: Cùm omnes cauſæ hæ inferiores, virtute corporum cœleſtium agant. Neque per conſequens, corrumpere, cùm corruptio ſit terminus alterationis, & ideo incorruptibilitas illa erit per naturam, vt ait D. Thomas, non quòd incorruptionis ſit aliquod principium, ſed propter defectum alicuius agentis & mouentis ad corruptionem.

Eccl. 9. 4. Sap. 5. 16.

Vita futura iuſtorum & improborū perpetua.

Alia cauſa erit, diuina iuſtitia, cui etiam natura deſeruiet, vt ſcilicet ipſi damnati non ſolùm in anima, ſed etiā in ipſis corporibus perpetuò poſſint puniri, quia in vtroque peccauerunt, ſicut iuſti in vtroque remunerabuntur. In corporibus ergo ſanctorum glorioſis, erit duplex modus incorruptionis, & perpetuitatis: Alter per naturam, propter defectum mouentis ad corruptionem, vt dictum eſt. Alius per gloriam, quia ſi corpus hominis in ſtatu inno-

Iuſtitia diuina cauſa perpetuitatis vitæ dānatorum.

centiæ, erat incorruptibile, ex eo quòd contrariæ qualitates in homine existentes, per originalem iustitiam continebantur, nec ad corporis dissolutionem agerent, multò magis in corporibus gloriosis à sua actione impediētur, cùm futura sint omnino spiritui subiecta. Igitur per gloriam incorruptibilia & perpetua erunt: Vnde sicut in hac vita nemo est, qui semper viuat, ita in illa futura, nemo est, qui vnquā moriatur. Atque ita *iusti perpetuò viuent* sicut dicitur Sap. 5. *Et damnati desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis*, Apocal. 9. *Apoc. 9. 6.*

Dicet aliquis, damnati sunt in summa miseria, ergo videtur, quòd mors, quæ est maxima pœna ex Philoso. Eth. lib. 3. non debet ab eis subtrahi. Respondendum est, quamuis mors sit pœnarum summa, secundùm se, & simpliciter, tamen secundùm quid, nihil prohibet esse in pœnarum remedium, & ex consequenti ablationem mortis, in pœnarum augmentum. Viuere enim, vt dicitur 9. Ethic. est omnibus delectabile & gratissimum, eo quòd omnia esse appetant. At viuere in infortunijs & calamitatibus non est iucundum, igitur in quantum mors priuat vita misera & calamitosa, est appetibilis & in remedium pœnarum, quas terminat. Et per consequens, mortis subtractio, est in augmentum pœnarum, quas perpetuas reddit. Si propter dolorem, quo afficiuntur morientes in ipso exitu animæ à corpore, dicitur mors pœnalis, multò maiorem sustinent damnati, propterea in perpetua morte esse

Mors appetibilis.

Psal. 58. dicuntur Psal. 58. *Mors depascet eos.*

Alia vero est vita spiritualis, qua anima viuit Deo, per gratiam, & charitatem 1. Ioan. 3. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligamus*, Quæ vita, non nisi per peccatum mortale, amittitur. Vnde potest in innocentibus perpetuari, qui nunquam mortaliter peccant, sicut in Beata Virgine Maria, B. Ioanne Baptista, & pluribus alijs. De Beato Petro Martyre testatur Innocentius Papa, nũquam peccati mortalis contagium sensisse: sicque tales vitam spiritualem nusquam perdiderunt. Ex quorum persona dicebat Dauid Propheta Psal. 117. *Non moriar, sed viuam.* In quibus duo maximè desideranda promittit.

Ioan. 3. 14.

Psal. 117. 17

Primò, præseruationem à defectu culpæ.

Secundò, conseruationem in statu gratiæ. Circa primum animaduertendum est, quatuor esse accidẽtia, quibus corpora ab interitu præseruantur, quæ spirituali modo accepta, animæ accommodari possunt. Primum est, calor, & præcipuè si fuerit intensus: Res enim calidissimę putrescere non solent, vt piper, & galanga: Zinziber autem putrescit, propter innatũ humidum: Aqua calida, quamdiu feruet, non putrescit, quia in ea calor ignis superat aëris calorem. Similiter anima à corruptionẽ peccati, quæ fit per tentationem, pręseruatur, per feruentem orationem. Hinc Luc. 22. Christus suos exhortatur ad orationem, dicens, *Orate, ne intretis in tentationem.* Huius figura habetur Esa. 38. in Ezechia Rege, Cui Propheta dixe-

Qualitates quatuor quæ ab interitu præseruant.

Similitudo. Calor.

Luc. 22. 46.

Esa. 38. 1.

rat, *Morieris tu, & non viues*, Post feruentem eius orationem iterum dixit ei, hæc dicit Dominus Deus Dauid Patris tui, *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas: Ecce ego adijciam super dies tuos, annos quindecim.* Sicut igitur Ezechias feruenti oratione à morte corporali est præseruatus, ita iustus à spirituali morte peccati, oratione liberabitur, imò vita spiritualis & gratiæ augebitur.

Secunda qualitas præseruãs à putredine, est frigiditas, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco: Extrinsecum frigus præcipuè est impediẽs, quia per se repugnat calido extrinseco: Vnde in hyeme corpora facilè conseruantur, quia tunc frigus est calore multò validius & fortius: Si frigus sit intrinsecum, putrefactionem etiam impedit, quia partes corporis constringit, ne exhalent, sicut manifestum est in omnibus metallis à frigore coagulatis. Tanquam frigus extrinsecum est, tribulatio mundi, seu afflictio carnis, quæ calorem exterum, hoc est, ardorem concupiscentiæ, mitigat & extinguit. Nam vt dicitur Eccl. 11. *Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ*: Hoc etiam à morte animæ preseruat, Rom. 8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Meditatio rerũ cœlestium, est veluti frigus intrinsecũ, constringit poros, hoc est, sensus exteriores claudit, & deuotionis humorẽ internũ coagulat, nec exhalare permittit: hæc calorẽ extrinsecum, id est, amorẽ rerum caducarum superat & vincit:

Frigus. 2. qualitas præseruans.

Eccl. 11. 29.

Ro. 8. 13.

Quia anima, vt ait D. Grego. *Quãto maiori studio exercetur ad sũma, tãto maiori fastidio frigescit ad infima.* Vnde licet meditatio hominẽ quasi mortuũ mundo ostendat, tamen nusquã mori Deo
Ad Col. 3. 3. permittit. De his Apostol. ad Colo. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscõdita est cũ Christo in Deo.*

Motus 3. causa. Tertia causa præseruationis à corruptione, est motus: Nã aqua vel vinũ agitatum nõ putrefit, Eo quòd calor naturalis excitatur à motu, & nõ præualet ei calor extrinsecus: Vnde bonũ vinũ, motu efficitur melius & suauius, Quia calor naturalis magis digerit humidũ subtile, ex quo etiã sapor melior redditur. Vinũ etiã corruptũ, motu & agitatione nõnunquã reparatur: Non motũ verò, non raro corrũpitur. Similiter mobilitas obedientiæ, vel motus frequens bonorũ operũ, à peccati putredine animã præseruat, ad quã pigritia & otiũ impellit, *quia multã malitiã*
Eccl. 33. 28. *docuit otiositas* Ecc. 33. Vnde Leuit. 22. *Custodiant*
Leuit. 22. 9. *præcepta mea, vt nõ superiaceãt peccato, & moriãtur.*

Continuitas quartũ impedimentum putrefactionis. Quartũ putrefactionis impedimẽtũ, est cõtinuitas: Nã mare secundũ se totũ, putrefactionẽ nõ patitur, sed per partes. In naturalibus multiplicato subiecto, qualitas & virtus multiplicãtur, propterea totũ simul plus potest cõtinere, quã calor aëris dissoluere, dũmodo partes sint in toto cõtinuæ, aliàs minimè: Videmus grana & germina multa simul adunata citiùs putrescere, quã pauca, quia nõ sunt cõtinua. Ita quãdo est vnitas amoris & concordiæ inter bonos, vnus iuuat alterũ, vt à malis præseruẽtur, imò quicunq. separat se ab vnitate & continuitate charitatis & dilectionis, per quã mẽbra Eccle-

ſiæ inuicē connectuntur & vniuntur, neceſſe eſt vt moriatur & corrūpatur, ſicut mēbrū ſeparatum à corpore, propter quod dicitur 1. Ioan.3. *Qui non diligit manet in morte.* 1. Ioan.3.14

Secūdò in auctoritate ſuperiùs allata ex Pſ.117. agitur de conſeruatione in ſtatu gratiæ, cū dicitur, *ſic viuā.* Vbi notādū, quòd quēadmodū bonū alimētū nutrit, & vitā cōſeruat, tādiu enim viuit animal, quādiu alimēto vtitur. Sic vitam ſpirituale bona opera conſeruāt, vt lignū ignē, quia vita ſpiritualis in amore cōſiſtit, qui bonis operibus pœnitētiæ, obedientiæ, & iuſtitiæ alitur, nutritur, & cōſeruatur, vt ignis ligno. Vnde Ezec.18. *Si egerit pœnitentiā ab ōnibus peccatis ſuis, & cuſtodierit ōnia præcepta mea, & fecerit iuſtitiā & iudiciū, vita viuet, & non morietur.* Siquidē opera pœnitētiæ liberāt ab ōni peccato: Quēadmodū ſi aliquis eſſet ſcriptus in libro cōdēnatorū ad mortē, alicuius Reip. aut ciuitatis, ita vt relinqueretur ſuſpēdēdū ijs qui eū apprehēdere poſſent, vehemēter gauderet, ſi de illo libro deleretur. Sic cū peccator ſit ſcriptus in libro mortis & cōdēnatorū à Deo, & adiudicat⁹ ſupplicio, *quia ſtipendia peccati mors.* Rom. 6. Si vult pœnitere, de libro mortis perpetuæ delebitur, Act.3. *Pœnitemini & conuertimini, vt deleātur peccata veſtra.* Itē opera obediētiæ impediūt à malo, Ecc. 8. *Qui cuſtodit præceptū, nō experietur quidquā mali.* Parui facimus præcepta, ob quę acerba nō incurritur pœna, At ſi quid prohibeatur ſub pœna mortis, aut bonorum amiſſione, multùm reformidatur: Hinc Deus propter tranſgreſſionem diuinorum præceptorum

Pſal.117.17

Ezech.18 21

Pœnitētia.

Similit.

Rom. 6. 23.

Act.3.19.

Obediētia.

Eccl. 8.5.

mortem æternam nobis minatur: Quidni
2. Paral. 24. 20. igitur eam non fugiemus? 2. Paral. 24. *Quare transgredimini præceptum Domini, quòd vobis non proderit?*

Iustitia. Opera verò iustitiæ, ab omni calumnia, insidijs, & impugnatione diaboli, nos proteguǹt,
Psa. 118. 120 atque tuentur Psal. 118. *Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me.* Si quis
Similit. deprehenderetur in homicidio, non esset sufficiens pœna illi inflicta, si aures illi tantùm abscinderentur, quia mortem pati deberet & ad supplicium trahi. Sic peccator per confessionē integram quodammodo ad supplicium trahitur, suspendi debet per satisfactionē, & ligari triplici fune cum tribus nodis, hoc est, pura cōscientia, aspera contritione, & matura compositione, seu firma ac certa vitæ emendatione: tale iudicium Deo placebit, ad peccatoris iu-
Psal. 105. 3. stificationē & beatitudinē consequēdá, Ps. 105. *Beati qui custodiunt iudicium & faciunt iustitiā in omni tempore*: Qui religionem ingreditur, vt sāctè & religiosè viuat, regularum diligentissimus custos esse debet, ijs enim animæ salus & vita conseruatur, & à morte peccati liberatur,
Esa. 38. 16. vnde dicet illud Esa. 38. *Domine si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei.*

88. 47. SECVNDÒ, in auctor. Thematis ex Psal. 88. inquirit Propheta de mortis fuga, *quis est* (inquit) *homo, qui viuet & non videbit mortem?* Vbi aduertendum, si de morte corporali intelligatur quæstio, facile est respondere, quia nullus est, qui nō sentiat & experiatur mortē, Eccl. 8.

Omnes morimur, & in gaudiũ volumus venire, scilicet, æternæ beatitudinis, cuius desiderio õnes tenentur, sed non õnes eã assequũtur, ob defectũ bene viuẽdi regulæ. At verò, si de morte finali & spirituali loquamur, in priuatione vitæ æternæ posita, ita illã Christus definit quæstionẽ, Ioan. 8. *Si quis sermonem meũ seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Quibus verbis duo nobis ostendit Dominus noster. *Ioan. 8. 51.*

Primum, verbi diuini obediẽtiam, cùm dicit, si quis sermonem &c.

Secundum, doctrinam suam infinitã habere efficaciam, quia mortem non gustabit &c.

Obedientia verbi diuini.

Circa primũ, illud maximè deplorandum est, quòd homines tãto studio corpus curent, animæ verò salutẽ parui aut nihili faciãt. Pręcipit aliquid medicus etiã difficile agendũ, pro corporis sanitate recuperãda, cõfestim illius dicto ægroti obtẽperãt, nihilq. prætermittitur eorũ, quæ saluti corporis cõducere vidẽtur: At Christus sapientissimus Doctor, & peritissimus animarũ nostrarũ medicus & restaurator, verbis suis quotidie remedia ad salutẽ animarũ necessaria proponit, docet, ostẽdit, nemo tamẽ aures attẽtas præbet. Expetis medicinã charitatis aduersus iniurias, audi quid dicat, Luc. 6. *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos.* Si æquitatis, aduersus vsuras. *Date* (inquit) *mutuum, nihil inde sperantes*: Si pietatis, aduersus auaritiã, Luc. 11. *Quod superest date eleemosynam*: & sic de alijs multis, quæ Christus pręcipit ad animæ incolumitatem, nemo tamen audire &

Remedia aduersus animi morbos.

Luc. 6. 27.

Luc. 11. 41.

obtemperare curat. Si causam quis quærat, dicam illud ex defectu amoris procedere, negligimus enim verba illius, quem nō amore prosequimur. Hinc Christus Ioan. 14. *Qui non diligit me, sermones meos non seruat*: E contrariò

Ioan. 14. 24

libenter audimus eum, cuius amātissimi sumus, eique alacri & prompto animo obsequimur, nam probatio dilectionis, exhibitio est operis,

Ioan. 14. 21 sicut ait D. Grego. & Ioan. 14. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me*. Amemus igitur Christum, & sermonem eius seruabimus, primùm per fidem, & continuam me-

Prou. 22. 17 ditationem, Prouerb. 22. *Appone cor tuum ad doctrinam meam, quę pulchra erit tibi, cùm seruaueris eam in corde tuo*: Item per operis impletionē,

Ioan. 15. 20. vt Christus suadet Ioan. 15. *Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt*. Et Ioan. 8. *Si quis sermonem meum seruabit &c.*

Verbi diuini efficacia.

Ioan. 8. 51.

SECVNDÒ, ostendit Dominus doctrinæ suæ efficaciam, dum ait, *Mortem non gustabit in æternum*, Ioan. 8. Quamdiu quis lucem conseruat non experitur tenebras, & quamdiu viuit, non læditur à morte: Sed verba Christi vita

Ioan. 6. 63. dicuntur, Ioan. 6. *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, ideoque quamdiu ea seruat homo, mortem non videt: Item quia Christi verba, vitam producunt æternam, qui custodit ea nusquam mori potest, sed perpetuò viuet vitâ æternâ, in contemplatione diuinæ essentiæ posita. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*. Cuius cognitionis, quasi quod-

dam seminarium, est verbum Christi, nam semen, inquit, est verbum Dei: Quemadmodū, igitur, qui semen seruat, sperat fructum seminis percepturum, ita qui seruat verbum Dei, ad visionem Dei peruenturum confidit. Hinc D. Petrus Ioan. 6. *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Eccles. 24. *Qui operantur in me non peccabunt, & qui elucidant me, vitam æternā habebunt*, scilicet, non tam verbo, quàm opere: Nā sicut ait D. Gregor. Nazianz. *Clara illa sapientia est, non quæ in verbis, sed quæ in virtutum actionibus constat.* Item verba Christi in nobis fidem generant. Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autē per verbum Dei*: A quo vita recta & iusta, ad Tit. 2. *Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri, omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes omnem impietatem, & secularia desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Omnis* (igitur) *qui viuit iustè*, quoad proximum, *& piè*, quoad Deum, *& sobriè*, quoad seipsum, vera recta & fide formata, *non morietur in æternum.* Ioan. 11. Hoc est, fruetur gaudijs sempiternis: Ad quæ gloriosus Iesus Christus Deifilius, nos perducere dignetur.

Ioan. 6. 68. *Eccl. 24. 30* *Rom. 10. 17* *Ad Tit. 2. 11* *Ioan. 11. 25.*

AMEN.

DE COMPARATIONE VITÆ AD MORTEM.

THEMA.

Eccl.7.1. *Melior est dies mortis, die natiuitatis,* Eccl.7.

Iudicium nostrum sæpe decipitur. IN his, quæ nobis in hac vita accidunt, sæpissime fallimur propter ignorantiam, quia res suis contrariis meliores iudicamus: sicut Sauli, populo Amalech expugnato & deuicto, visum est melius, pecora pinguiora ad sacrificandum seruare, quàm occidere, vt Deus præceperat. Vnde dixit Samueli, *Pepercit populus melioribus ouibus & armentis, vt immolarentur Domino Deo, reliqua verò occidimus.* Cui Samuel respondit 1. Reg.15. *Nunquid vult Dominus holocausta, & non potius vt obediatur voci eius? Melior est enim obedientia, quàm victima, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum.* Item consilium quod dedit Chusi visum est Absaloni melius & vtilius, vnde dicitur, 2. Reg. 17. *Melius est consilium Chusi Arachitæ, consilio Achitofel:* Et tamen euentus contrarium ostendit: propterea ibidem dicitur, *quòd Domini nutu, dissipatum est consilium Achitofel vtile, vt induceret Dominus super Absalon, malum.* Sic hominibus videtur melius, diuitem esse quàm pauperem, & tamen Psal.36. *Habemus contrarium, quia*

1.Reg.15.22.

2.Reg.17.14

melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas, & Prouerb. 15. *melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni & insatiabiles.* Prouer. 15. 17.
Idem contingit in vita & morte, quidam enim vitam meliorem esse ipsa morte, opinantur, cùm nihil in ipsa diligant nisi bonum, & maximè conseruatur vita, quia maximè diligitur: Vnde planta radicem contiguam vbi residet vita, magis abscondit sub terra, vt diligentiùs à contrariis custodiatur, & serpens præcipuè caput tuetur & seruat: sic homo cor suum, Prou. 4. *Omni custodia, custodi cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Verùm sapientes viri, quædam altiora considerantes, tenent contrariam sententiam, sicut apparet in verbis propositis in Themate, *Melior est* (inquit Sapiens) *dies mortis, die natiuitatis.* Ecclesiast. cap. 7. 2. In quibus verbis de tribus fit mentio. Prouer. 4. 23

Primò, de humanæ vitæ termino.

Secundò, de eius inchoatione.

Tertiò, de vtriusque comparatione.

Loquitur igitur primo loco de termino huius vitæ, cùm ait, *Dies mortis.* Quando quis certò scit, sibi aliquod euenturum malum, nisi præmuniatur, is perpetuo afficitur timore, sicut qui expectat insultum potentissimorũ hostiũ, sollicitus est præparare omnia ad defẽsionẽ necessaria. Omnes mortem expectamus infallibiliter venturam, diem ignoramus, mensẽ, septimanam, & annum. Quos si imparatos reperiet, ad gehennam perducet æternã, si præmunitos armis pœnitentiæ, parũ aut nihil no- *Præparatio ad mortem necessaria.*

cebit: Dico parũ. propter vitæ corporis priuationẽ, quæ parui eſt momenti, reſpectu vitæ æternæ. Diẽ igitur illũ, quiſq. in mente habeat, vt imparatus non reperiatur. De quo eſt figura in Iſaac Gen. 27. quando dixit filio ſuo, *Vides quòd ſenuerim, & ignorẽ diẽ mortis meæ, ſume arma tua, & pharetrã, & arcũ, & egredere foras.* Quibus verbis de die mortis, quatuor cõditiones oſtẽdũtur. Primò, quibuſdã propinquã eſſe, vt ſenibus, cùm dicit, *vides quòd ſenuerim*: Senes enim iuxta cõmunẽ cursũ, sũt morti propinquiores quã iuuenes, licet caſu aliter ſępe contingat, cũ nõnũquã iuuenẽ mors citiùs inuadat, quã ſenẽ, imò fortè plures moriũtur iuuenes, quã ſenes, ſicut plures occidũtur agni, quã pecudes. Scinditur citiùs arbor iuuenis, quã antiqua, & vas nouũ ſæpiùs frãgitur, quã antiquũ: Quod licet ita ſit, tamẽ iuxta naturæ curſũ, quò quis ſenior, eò morti propinquior: hinc Apoſt. Hebræ. 8. *Quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitũ eſt.* Et ideo ſenex eſt ſicuti caſtrũ expugnatũ, cuius muri partes cõtinuè corruũt, ideò deberet ſe conijcere in manu Dei omnipotentis, ne vi rapiatur ab hoſte, & detrudatur in carcerem pœnæ æternæ. Ioan. 21. *Cùm autẽ ſenueris*, ſc. à peccato, *alius cinget te*, ſc. diabolus cingulo peccati, *Et ducet te quò tu non vis*, ſcilicet, in infernum.

Gen. 27. 2. *Quatuor mortis conditiones.*

Mors ſenibus propinqua.

Hebræ. 8. 13 *Similitudo.*

Ioan 21. 18

Secundò, oſtenditur in auctoritate prædicta, Gen. 27. diem mortis eſſe occultum, ait enim, *quòd ignorem diem mortis meæ*, Quæ ignorãtia eſt õnibus cõmunis, bonis quidẽ ad maiorẽ cautelã, ideo enim vigilãt, vt sẽper parati inueniãtur iuxta

Gen. 27. 2. *Mortis dies occultus.*

Iuxta illud Matth. 25. *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Verùm stulti & improbi ex illa ignorantia vanam spem accipiunt, & periculosam peccandi audaciam, quòd diutius viuere sibi promittant, sicque imparati sæpiùs præoccupantur; & vinculis peccatorum constricti in ignem ęternum mittuntur, Sicut illi diuiti contigit, de quo Luc. 12. *Anima mea,* (inquit) *Habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Cui Deus dixit: *Stulte, hac nocte repetam animam tuam, quæ autem parasti cuius erunt?* Alia ignorantia hîc notatur non solùm diei mortis, sed etiam eorum, ad quos bona quæ congregat pertinebunt, Psal. 38. *Thesaurizat & ignorat, cui congregabit ea.* Triplicem igitur homo habet ignorantiam, ante mortem, in morte, & post mortem. Ante ignorat quid sibi cõtingere debeat, de tempore mortis nescit diem neque horam, & post mortem, est nescius futuri: hæc hominem ad humilitatem inducere deberent, cùm mors omnem deprimat & terminet dignitatem, Vnde Eccl. 7. *Quid necesse est homini maiora se quærere, cùm ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, & tempore quod veluti vmbra præterit: Aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sub Sole sit?* Quæ authoritas sic explicatur, quid necesse est, &c. Pro causa subdit triplicem ignorantiam. Prima quia nescit quid debeat sibi ante mortem contingere. Secunda est in numero dierum vitæ suæ, quia quamuis apud Deum

Matth. 25. 13

Luc. 12. 19.

Psal. 38. 10.

Ignorantia triplex.

Eccl. 7. 1.

dies nostri sunt numerati, tamen homo quot futuri sint ignorat, nec quando debeant terminari, Psal. 38. *Notum mihi fac Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est.* Sicque plerumque decipitur, quia velut vmbra præterit, & citiùs finitur, quàm sibi persuadeat. Tertia ignorantia illis verbis exprimitur. *Quis ei indicare poterit, quid post eum venturum sit?* Scilicet super eum, pœna an gloria?

Ps. 38.5.

Tertia conditio diei mortis est, quòd sit mirificus, mortem enim quatuor miranda consequũtur. Primum est, quia confirmatur voluntas, quæ ante mortem, mutabilis semper fuit: mutationes enim omnes, quæ in actionibus humanis reperiuntur, à voluntate promanant, omnibus enim facultatibus imperat, estque maximè variabilis & instabilis ex se. Ratio est, quòd voluntas non nisi bonũ velle possit, & nusquam malum, nisi sub ratione boni: Ideo qui fornicatur vult sibi bonũ, quia vult delectationem, & non peccatum siue diuinam offensam. Et vsurarius non vult peccatum, sed lucrum: Vnde iuxta D. Dyonis. semper voluntas per se tendit ad bonum, nec vnquam operatur propter malum. Nec tamen propterea à peccato excusatur peccator, quia scit illud opus per quod, vel in quo consequitur illud bonum, esse malum, scilicet fornicationem vel vsuram &c. & sic illud quod facit, malum est: *At facienda non sunt mala, vt eueniant bona.* Rom. 3. Voluntas igitur semper in bonum fertur, quod non ita purum

Dies mortis mirificus.

In morte quatuor miranda.

Voluntatis obiectus est bonum.

Rom. 3.8.

reperitur in his inferioribus, quin semper aliquid mali habeat admixtum, videlicet culpæ, vel pœnæ. Scientia licet sit in genere bonorũ, non tamen acquiritur, nisi cum labore maximo, Eccl. 1. *Qui addit scientiam addit & laborem.* Dignitates & magistratus tanquã honorabilia bona, vehemẽter ab hominibus expetuntur, multis tamen calumniis & iniuriis subiiciũtur. Pulchritudo est bonũ corporis, eãtamẽ sequũtur vanitates multæ inde colligo volũtatẽ, in aliquo bono non posse firmari, nam in quantũ ibi percipit bonum, eam rem expetit, eandam fugit, ratione mali annexi. Atqui morte ita cõnfirmatur voluntas, vt in posterum mutari non possit, nam si homo moritur in peccato, ab eo nunquam resurgere potest, sicut nec Diabolus post casum suum. Hinc D. Damasc. ait id esse mortem hominibus, quod casus fuit Angelis. Si verò in gratia, sic in bono stabilitur, vt nunquam ad malum flecti possit Eccl. 15. *Firmabitur in illo*, scilicet voluntas in vltimo fine, & fruitione summi boni, *& non flectetur.* Ideoque dies mortis multùm præcaueri debet, vt si bona, per præuiam & bonam præparationem, Eccl. 7. *in die bona fruere bonis, & diem malam præcaue*, hoc est, sis ita paratus, vt in gratia Dei defunctus, fruaris vita beata; non in peccato, ne condemnatus in infernum detrudaris.

Bonum non sine admixtione mali.

Ecclesiast. 1. 18

Morte voluntas firmatur.

Eccl 15. 4.

Ecclsiast. 7. 15.

Secundum mirabile in morte est, quòd cor hominis expleat & satiet, cum in hac vita hoc fieri non potuerit, propter tria: primum ob

Morte volũtas satiatur.

eius capacitatem, nam satietas repletionem sequitur, ita vt quod repletur, mensuræ capacitatis eius respondeat, nam si vas sit capax centum modiorum vini, viginti non replebunt illud. Anima autem tantæ est capacitatis, vt Deum capere & continere possit. Ideoquè, ait, D. August. animam Dei capacem, nihil minus Deo replere potest. At verò quidquid est in hac vniuersitate, finitum est & limitatum; Deus verò, bonum infinitum & illimitatum, possessio igitur omnium bonorum huius mundi, cor hominis satiare nō possunt, sed Dei solius visio, & bonorum cælestium fruitio. Secundò ob naturam animæ, voluntas his inferioribus expleri non potest, Est enim spiritualis, inferiora hæc omnia corporalia, nulla igitur est proportio: Vnde sicut tota Sapientia & scientia omnium hominum crumenam alicuius replere non potest. Ita nullus est cumulus pecuniarum, qui animam replere possit. Eccl. 5. *Cor auari non replebitur pecunia.* Quia sicut medicamentum vulnus non sanat, nisi illi applicetur, & aqua sitim nō extinguit, nisi bibatur, sic ardor cupiditatis nō euanescit re aliqua quæ in anima existere vel illam attingere non potest, sicut nec per liquorem sparsum in Aëre, vel per pecuniam in crumena reconditam.

Voluntas nō satiatur in hac vita.

Eccl. 5. 9.

Tertia ratio petitur ex cupiditatis immensitate & infinitate. Eccl. 23. *Anima calida, quasi ignis ardens*, Atque ignis nunquam dicit sufficit, imo quantò plura ei ligna apponuntur,

Eccl. 23. 22.

tantò magis augetur. Eccl. 28. *Secundùm ligna sylua, sic ignis exardescit.* Eodem modo res se habet in auaro: Cuius sitis est insatiabilis. Iuuenal. *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Miserandum illud est quod si sitiens, vsque ad guttur repleatur, non tamen satiatur, sed semper sitit. At verò mors eius est virtutis, vt animam expleat. Nā si in peccato mortali decedat quis, rapitur in gehennam, & suppliciis & tormentis satiatur, Psal. 36. *In diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt:* Dies damnatorum dicuntur esse famis & saturitatis: famis propter carentiam bonorum, saturitatis propter abundantiam malorum: Vel quia fuerunt famelici in peccatis, ita saturātur suppliciis. Si verò mortuus sit in gratia, tunc Deus animā omnibus bonis & deliciis replet. Hinc Dauid, Psal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

Eccl. 28. 12.

Auari sitis insatiabilis.

Voluntas morte expletur.

Ps. 36. 20.

Psal. 16. 17

Tertium mirabile in morte est, quòd res in suo ordine collocet: In hoc etenim ordo vniuersi spectatur, quòd omnia, diuinâ Sapientiâ suo loco disponantur. *Nam quæ sunt, à Deo ordinata sunt*, Rom. 13. Quia sapientis est ordinare, vt Philosophus docet: Vnde quia Deus est sapientissimus vnumquodque collocauit prout officio suo competit, vt quia Solis officiū est, illuminare, positus est in alto loco: Et quia plantarum est, fructus producere, & ex humore terræ generari, in terra sunt positæ: atque etiam vt possint alimentum præstare animalibus in terra existentibus, quo nutriantur

Rom. 13. 1.

Ordo rerum

Prosperitas impiorum sicque de aliis. Sed iste ordo, inter homines non seruatur in his inferioribus: Quia improbi qui in infimo aduersitatis esse deberent, in alto prosperitatis frequenter constituuntur

Ps. 36. 37. & insolescunt, Psal. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani.* Ideoque Hie-

Hier. 12. 1. remias, ait 12. cap. *Quare via impiorum prospera-tur, bene est omnibus qui præuaricantur, & malè*

Eccl. 8. 14. *agunt.* De iustis è contrario ait Eccl. 8. *Sunt iusti, quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum.* At verò ista deordinatio per mortem,

Mors ordinat res. in ordinem reducitur: quia mors vnumquemque ad locum sibi debitum & congruum mittit, morientes in peccato mortali, in infernũ, in veniali in purgatorium, in gratia & charita-

Ps. 18. 91. te in Paradisum: hinc Psal. 118. *Ordinatione tua perseuerat dies*, id est, locus assignatus in die mortis, secundùm tuam ordinationem, in æternum durat.

Mors punit omnia. Quartum mirabile quod fit in morte, est eorum punitio, quæ in hac vita puniri non possunt, veluti opera incognita, & anima. At statim ab ipsa morte omnia hîc gesta iudicantur, puniuntur, vel remunerantur, est enim dies retributionis in qua vnicuique redditur,

Eccl. 11. 9. secundùm opera sua, Eccl. 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secũdùm vias suas.*

Mors tuta & secura bonis. Quarta conditio mortis, quæ tangitur loco citato, ex Gen. 27. 2. Quòd quibusdã dies mortis, sit tutus & securus, sicut his, qui armis pœnitentiæ bene se præmunierunt ante mortem,

de quibus Gen. 27. *Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras.* Per pharetram in qua sunt sagittę acutæ & pungentes, intelligenda est cõtritio, in qua sunt dolores de peccatis cõmissis animam pungentes, Hierem. 51. *Acuite sagittas, & implete pharetras.* Arcus verò emittens sagittas est confessio, qua peccatum proditur, quod velut telum in conscientia latebat. Ps. 10. *Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Propositum confidendi est veluti arcus extensus, emittitur verò sagitta, quãdo quis actu confitetur. *Gen. 27. 3.* *Hier. 51. 11.* *Ps. 10. 2.*

Sed primò debẽt sagittæ peccatorum parari in pharetra, hoc est, disponi in memoria. *Exit foras pœnitens*, quando ad opera satisfactionis procedit, Psal. 103. *Exibit homo ad opus suum.* Videlicet pœnitens, quod est satisfacere, & ablata restituere. Vel dicitur pœnitens *foras exire*, quãdo totaliter à peccato discedit. Quod figuratum est in Petro, de quo dicitur Luc. 22. *Egressus foras, fleuit amarè.* *Luc. 22. 62*

Secundò, in themate proposito, Ecclesiast. 7. agit de vitæ humanæ incoatione, quia nominatur dies natiuitatis. Vbi obseruandum est, quosdam astronomos dixisse totam hominis vitam pendêre ex virtute & dispositione planetæ, vel stellæ dominantis in die natiuitatis cuiusque. Quorum errorẽ secuti sunt quidam hæretici, qui Genethliaci appellãtur. huic errori fauêre videtur quod scribitur Os. 2. vbi dicit Deus: *Statuam eam secundùm diem natiui-* *Ecclesiast. 7. 2.* *Astrologia iudiciaria refutatur.* *Os. 2. 3.*

tatis eius. Verùm eos deceptos esse ita probatur, quia sicut vita hominis est ab anima, sic etiam ab ipsa anima disponitur & regitur, per eius actiones: At verò eorum effectuum, qui sunt ab anima, corpora cœlestia non sunt causæ, nisi per accidens.

Quod quidem manifestum est in facultatibus sensuum, in quas non directè corpora cœlestia agunt, sed in organa corporea, in quæ imprimunt suam virtutem, quibus impeditis, necesse est impediantur sensuum actus, sicut oculus malè dispositus, non videt. Si de actionibus intellectus & voluntatis agatur, certũ est corpora cœlestia, non esse earum causas, quia nullum corporum potest agere aut imprimere in rem incorpoream, qualis est voluntas: Vnde cœlum non potest esse causa actionum liberi arbitrii: licet possit ad has, dispositiuè inclinare, in quantum aliquid in corpus humanum, & vires sensitiuas, imprimũt, quod actus humanos inclinet, sed quia sentiẽdi facultates, obediunt rationi, ex Philosopho, Lib. 1. Ethic. nulla necessitas illis imponi potest: Idirco erroneum est dicere stellas nostris actionibus prædominari. Sic enim tolleretur liberum hominis arbitrium, cuius contrariũ sentit Ptolemæus, vnde dicit in centiloquio, animam sapientem etiam, effectum cœlestem iuuare; iuxta illud vulgare prouerbium, *Sapiẽs dominabitur astris*. De quo affert exemplum Regis cuiusdam in cuius natiuitate omnes significationes mali apparebant, tamen om-

Liberũ arbitrium à Ptolemæo asseritur cõtra astrologiã iudiciariam.

nia illi prosperа successere, virtute enim fuit prædictus, inter omnes illustris, gloria, honore, & opibus fulgens, cum optimis & sapientissimis viris vitam agens. Quærenti rationem respondet, licet natura eius esset ad malũ propensa, tamen illam emendasse diligentia, studio virtutis, & honesta conuersatione cum viris probis: Sunt etiam multi casus quibus vita humana subijcitur, quorum corpora cœlestia causæ esse non possunt, quia vt ait Arist. 6. lib. metaph. Ens per accidens non habet causam, eo quòd tale ens non sit propriè ens, neque vnum, vt quod lapide cadente, transeat homo, & occidatur, vel homine fodiente thesaurus inueniatur: huiusmodi enim non sunt vnum, sed multa simpliciter, cùm operatio naturæ semper terminetur ad vnũ, sicut ab vno principio videlicet forma naturali promanat. Igitur ille fallitur, qui ex constellatione, mutatione, aut dispositione corporum cœlestium, se certò aliquid futurum prædicere sibi promittit.

Obiectio.

Si obijcias multa nihilominus astrologos prædicere, quæ eueniunt, vt euentus comprobat. Dico id contingere ex duplici causa: Vna est, quia plures affectus suos sequuntur, ideoque actus eorum, vt plurimùm disponuntur iuxta inclinationem corporũ cœlestium, quia pauci sunt, qui eiusmodi inclinationem non imitentur: hinc fit vt astrologi multa vera prænuncient. Alia vero causa est, dæmon, vult, D. August. in 2. lib. super Genesim ad literam.

Astrologi cur multa sæpe vera prædicent.

Fatendum est (inquit) *quando à mathematicis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quòd nescientes humanæ mentes patiuntur, quòd causa ad decipiendum homines, sit spirituum immundorum & seductorum operatio, quibus quidem vera de temporalibus rebus nosse permittitur*: Vnde cōcludit, *Quapropter bono Christiano Mathematici, etiam vera dicentes cauendi sunt, ne consortio Dæmoniorū animam deceptam, quodam pacto societatis irretiāt.* Errant etiam qui dicunt talem virtutem, necessitatem rebus his inferioribus imponentem, esse à Deo, quia sequeretur hominem agere necessariò, & ita si esset, fur aut homicida, aut improbissimus, & mortis & supplicio etiam grauissimo adiudicaretur, non id fieret sua culpa, sed Deo ita volente, disponente, & cogente, quod est hæreticum & impium affirmare.

Explicatio loci. Os. 2.3.

Ad authoritatem Oseæ cap. 2.3. dico, non loqui de vita humana, sed de gente Hebraica, siue Iudaica, cui Deus propter sua peccata minatur, quòd statuet eam secundùm Diem natiuitatis suæ, hoc est, ad statum miserum, quem habuit in suo primordio, quando videlicet erat in Ægypto sub seruitute Pharaonis. Alia potest esse huius loci expositio:

Natiuitas hominis spiritualis & corporalis. Ioa. 3.3.

Duplex est enim hominis natiuitas, vna spiritualis, altera corporalis. Spiritualis est in baptismo, de qua dixit Dominus Nicodemo Ioa. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Et hæc natiuitas consistit in puritate innocentiæ, quam si homo per peccatum perdiderit, & per pœnitentiam ad gratiam,

redierit, statuitur à Deo secundùm diem natiuitatis suæ, hoc est, ad eam vitæ puritatem, quam per baptismum fuerat assecutus: Vel potest exponi de natiuitate corporali, secundùm quam homo nascitur nudus, & cum luctu, Iob. 1. *Nudus egressus sum, & nudus reuertar illuc*, scilicet in terram, quę est mater omnium corporum: Vnde Deus statuit vitam humanam terminari, sicut incepit secundùm diem natiuitatis suæ: & ita secundùm hunc sensum in illa auctoritate Os. cap. 2. 3. loquitur Propheta de duobus. *Iob. 1. 21.* *Ose. 3.*

Primò, de necessitate moriendi.

Secundò, de qualitate nascendi.

Necessitas moriendi est ex statuto Dei, hoc est ex lege, qua Déus generaliter statuit, vt omnes moriantur. Hebr. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Qualitas autem diei natiuitatis hominis est duplex: Prima est, quòd sit doloribus repletus propter partum, quia dictum est mulieri, Gen. 2. *In dolore paries.* Ita vt quędam in partu nonnunquam decedant ex hac vita, vt de Rachel manifestũ est. Gen. 35. Et 1. reg. 4. de vxore filij Hely. Tamen post partum mulier illius doloris non amplius meminit, Ioan. 16. *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius, cùm verò peperit filium, non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* *Necessitas moriendi.* *Hebr. 9. 27.* *Dies natiuitatis qualis.* *Gen. 2. 16.* *Gen. 35. 19.* *1 Reg. 4. 19.* *Ioa 16. 21.*

Secundò, dies natiuitatis hominis est laboriosus, propter ingressum, quia tunc ingreditur ad vitam laboriosam, Iob. 5.

Homo nascitur ad laborem. Verum quidem assueti verbis impatientię & insipientiæ diei natiuitatis suæ maledicunt: Quod prohibetur Eccl. 23. *Indisciplinosa loquela non assuescat os tuum*: sequitur, *Ne fortè aßiduitate infatuatus improperium patiaris, & maluisses non nasci, & diem natiuitatis tuę maledicas.*

Eccl. 23. 17.

Ecclesiast. 7. 2.

Tertiò, principaliter agitur in verbis Them. Ecclesiast. 7. 2. De vtriusque diei comparatione, *quia* (inquit) *Melior est dies mortis die natiuitatis.* Quod cuidam poterit absurdum videri, quia dies mortis, tendit ad non esse, dies natiuitatis ad esse. Atqui melius est esse, quàm non esse, ergo dies natiuitatis debet dici melior die mortis.

Mors sit-ne melior vita.

Ecclesiast. 9. 4.

Respondendum est, vitam cum morte posse comparari tribus modis: Vel quoad entitatem, & ita non est dubium, quin vita melior sit, quàm mors, vnde Ecclesiastes ait cap. 9. *Melior est canis viuus, leone mortuo.* Secundò quantum ad æqualitatem, qua ratione dies mortis præfertur, Quia qui nascitur, peccati originalis maculam secum affert, & possibilitatem peccandi tam actualiter quàm venialiter. Qui verò è viuis excedit, peccatis omnibus carere potest, & redditur per mortem omnino impotens ad peccandum: igitur quantum ad hoc, melior est dies mortis, dies natiuitatis: hinc de martyribus celebramus diem mortis, non natiuitatis. Ad hæc D. August. in sermone de sancto Cypriano. *Quid est* (inquit) *Hoc fratres, quãdo sanctus iste natus est, ignoramus. Et quia ho-*

die passus est, natalem eius hodie celebramus: Sed quando natus sit, etiam si sciremus, nequaquam diem illum celebramus. Illo namque die peccatum originale contraxit, hodie peccatum omne finiuit. Talis igitur dicere potest illud Ion. 4. *Melior est mihi mors, quàm vita.* In vita enim semper timet, in morte est securus. *Ion. 4.3.*

Tertiò possunt illi dies inter se cõparari ratione vtilitatis consequentis: In reprobis dies mortis peior est die natiuitatis: Quia ad diem natiuitatis sequitur culpa, ad diem mortis verò sequitur obstinata voluntas in culpa, & afflictio pœnę æternæ: Cui nullus dolor huius vitæ comparari potest. Ideoque reprobi cum quacumque pœna huius vitæ, potiùs expetũt viuere, quàm mori, vnde Iudith. 3. *Melius est vt viuentes seruiamus, quàm morientes cũ interitu nostro, ipsi seruitutis nostræ damna patiamur.* Itẽ peccator curam bonorum habet, quæ videt se habere dum viuit, sed post mortem, nescit de se quid futurum sit. Eccl. 6. *Melius est videre quod cupias, quàm desiderare quod nescias.* Quãtum verò ad electos, dies mortis est melior die natiuitatis: quia hic est ad vitam molestam & laboriosam, ille verò ad requiem, gaudium & æternam fœlicitatem, propterea iure dicit iustus, Eccl. 30. *Melior est mors, quàm vita amara, & requies æterna quàm languor perseuerans.* Ad quam requiem & vitam beatam, nos perducat Iesus beatorum quies, & gaudium sempiternum. *Iudith. 3.3.* *Eccl. 30.7.*

AMEN.

DE COMPARATIONE STATVS VIVORVM ET mortuorum.

THEMA.

Ecclesiast.4. 2. *Laudaui magis mortuos, quàm viuẽtes*. Ecclesiast.4

QVod melius est, à sapientibus viris etiã maiori commendatione dignum existimari solet: Sic sapientissimus Salomon, quia
Prou.8. 10. sapientiam pecuniâ præstantiorem iudicauit, Prou. 8. ait. *Accipite disciplinam & non pecuniã, & doctrinam magis, quàm aurum eligite.* Ideò postea sapientiam præ cunctis opibus commẽdauit, ibidem adiiciens. *Melior est sapiens cunctis opibus pretiossimis, & omne desiderabile non potest ei comparari*: Eodem modo, quia
Eccl.7.2. statum mortuorum præeligendum esse statui viuorum existimauit Eccl. 7. *Melior est dies mortis die natiuitatis*: idirco dicit in Themate: *Laudaui magis mortuos, quàm viuentes.*

Mortui an laudandi.

Quidam putant Ecclesiastem, illa verba nõ protulisse in personaSapientis, quia viuere est esse, secundùm Aristotelem, mors autem tẽdit ad non esse, non est autem melius non esse, quàm esse, ergo non sunt magis laudandi àSapiente mortui, quàm viuentes.

Alij opinantur locutum in persona stultorũ, qui aliam vitam non futurã asserunt, ideoque cõsideratis miserijs huius vitæ, quibus liberãtur homines per mortem, mortuos fœliciores

viuentibus pronunciant. Non eſt tamen inconueniens, vt etiam Sapiens de prudente loquatur, Quia licet eſſe ſecundùm ſe, præferri debeat ipſi non eſſe, tamen quatenus qui vita functus eſt, non poteſt amplius peccare, nec mala huius vitæ experiri, mortui præferendi ſunt viuentibus, hinc ait D. Hyero. *melius eſſe non viuere, quàm malè viuere.* Propterea videmus probos, pios, & ſapientes viros, mortem appetiiſſe, ſicut Elyas 3. Reg. 19. *Tolle animam meam, non enim melior ſum quàm patres mei.* *3.Reg. 19.4.*
& D. Paulus Rom. 7. *Infœlix ego, quis liberabit me de corpore mortis huius?* Cū hac intētione Eccleſiaſtes ait, *Laudaui magis mortuos, quàm viuos.* cap. 4. 2. In quib⁹ verbis tria attēdere debem⁹. *Rom. 7. 24.*

Primò commendationem.

Secundò, prælectionem.

Tertiò, comparationem.

Circa primum, animaduerte arbores ex bonis fructibus laudari, ſic homines ex bonis operibus, ad Rom. *Bonū fac, & habebis laudem ex illo*: Ideoque laudandi ſunt mortui, ex bonis operibus, quæ dū ſuperſtites eſſent, fecerint, Et Prou. vlt. *Laudēt eā in portis propter opera eius*: hoc eſt, laudēt vitā vel animam hominis defūncti, *in portis*, id eſt in exitu vitæ, vel diuini iudicij propter opera eius. In quibus verbis tria notare debemus.

Primò, idoneitatem perſonæ laudādæ, videlicet animam virtute præditam.

Secundò, loci congruitatem.

Tertiò, ſubiecti laudis bonitatem.

Laus ab hominibus & ab operibus. De primo dico, defunctum illum meritò posse laudibus efferri, cuius vita fuit virtutibus clara, & illustris: Aliud est enim laudari ab hominibus, aliud ab operibus. Sæpè enim qui indignus est commendatione, ab hominibus laudatur, Quod accidit propter duo: primò propter laudantis malitiam, vt cùm quis alteri adulatur, eius vitia extollit, malitiam, & af-

Prou. 28. 4. fectus inordinatos, Prouer. 28. *Qui derelinquũt legem, laudant impium.* Secundò ob ignorantiã, sicut qui credit aliquem esse bonum, cùm sit malus, quia eius malitia ignoratur & illũ laudat: Sed væ talibus hypocritis commendatis ab hominibus, & à Deo condemnatis: *Qui*

Laus impiorum. *laudari* (inquit D. August. in lib. confess. *vult ab hominibus vituperante te, non defenditur ab*

Iob. 20. 4. *hominibus, condemnant te.* Hinc Iob. 20. *Hoc scio ab initio, quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* At verò ille ab operibus laudatur, qui verè opera bona efficit, vt non tantùm laudetur, sed vt sit omni laude dignus.

Laus bonorum. Hic notãdæ sunt pulcherrimæ rationes, ob quas, viri prudentes magis laudabiles esse, quã laudari desiderent.

Prima quidem, quia licet iuxta axioma Philosophorum melior sit actus, quàm potentia, melior tamen in hoc, est potentia, hoc est, sit laudabilis, quàm actus laudis, id est, vt laudetur: Hinc Deus dicitur laudabilis, cùm tamen nõ dignè laudetur, quia maior est omni laude: Deinde laudatio ipsa est in laudante, non in laudato,

laudato, ſed laudis dignitas ſiue laudabilitas, eſt in laudato, potentia enim eſt in eo cuius eſt potentia: Vnde hæc duo quandoque diuiduntur in iuſto & peccatore, quia quandoque laudatur peccator & non eſt laudabilis, & iuſtus eſt laudabilis & ſæpiùs non laudatur. Ex quo patet talem potentiam in te, eſſe tibi quaſi eſſentialem, quia eſt coniūcta in eſſentia tua ſiue perſona. Sed laus quæ de te fit actu, non eſt in te, ſed in ore laudantis, quia honor eſt in honorante: Quare cùm melius ſit tibi, quòd eſt tuum, & in te, quàm quod eſt alienum, & extra te, patet laudabilitatem eſſe laudatione meliorem.

Itē quia laudabilē eſſe, in paucis reperitur, & ideo bonū nobilius & pretioſius. Laus autem quibuſlibet conceditur, nō ſolùm dignis, ſed plerumque indignis, & ideo eſt quid vile, & parum appetendum. *Laudabilitas melior quàm laudatio.*

Item bonū eſt tantò melius, quantò diuturnius & durabilius, ſed laudatio nō durat, ideoque modica eſt & breuis, cùm nō ſemper quis actu laudetur: At laudabilitas ſemper durare poteſt, ſiue enim quieſcas, ſiue ambules, ſiue vigiles, ſiue dormias, ſiue quid aliud facias, ſemper eam poſſides, & ideo melior & magis eligenda.

Item quia laus iuſtorum, licet ſit hîc in potentia, eſt tamen actualis in cœlo, quia laudatur à Deo, ab Angelis & beatis: Et tantò nobilior & excellentior, quantò à melioribus & nobilioribus agitur, ſicut

R

cum quis à Rege aut Principibus laudatur. Ideoque laus iustorum est maxima, cùm etiam ab infinito etiam numero Angelorum laudētur. Porrò contrarium accidit improbis & iniquis peccatoribus, propterea quòd nō est speciosa laus in ore peccatoris. Hinc Seneca, *Tam turpe sit tibi laudari à turpibus, quàm si laudēris ob turpia*: Sunt igitur digni laude, non qui faciunt turpia aut ficta, vt hypocritæ, sed bona & intentione recta, vt laudabiles sint, non autem vt

Psal. 63. 11. Psal. 63. *Laudabuntur omnes recti corde*, id est, recta intentione: Laudabuntur, quia etsi non laudantur ab hominibus, laudabuntur tamen

1. Cor. 4. 5. in iudicio à Deo, 1. Cor. 4. *Tunc laus erit vnicuique à Deo.*

Prouerb. vlt. 31. Secundò, sequitur in auctoritate allata de loci congruitate, scilicet, *in portis* hinc apud antiquos iudicia reddebantur in portis, vbi opera mala damnabantur, & bona probabātur. Sic alia est porta misericordiæ, alia iustitiæ Dei, illa est pœnitentia, quia per hanc, Dei misericordiæ, peccator fit particeps, & egreditur à statu culpę, videturque ingredienti angusta, propter dolorem, & contritionem de peccato commisso, & timorem reatus pœnæ, atque laborem in incoanda noua vita. Verùm post ingressum huius portæ, amoris & quietis interioris latissimus inuenitur cāpus, ideo Domi-

Luc. 13. 24. nus ait Luc. 13. *Contendite intrare per angustam*

Via ad beatitudinem Angusta. *portam.* Serpēs qui veterem pellem vult exuere, ingreditur angustissimum foramen Petræ, ita peccator, qui vult renouari à vetustate pec-

cati, Angustam pœnitētiæ portam necesse est ingrediatur. Matth. 7. *Quàm Angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam*, additur ibidem, *Intrate per angustam portam*: Hęc porta omnibus viuentibus patet, non autem mortuis.

Matth. 7. 13. 14.

Alia est porta iustitiæ, per quam egrediuntur & ingrediuntur morientes, vt iudicij examini intersint. Est autem hoc iudicium duplex, sicut duplex porta. Aliud iudicium est particulare, in quo vniuscuiusque anima per se iudicatur à Deo, & huius porta est mors: Aliud est generale, in fine mūdi, & huius porta est resurrectio, quia omnes simul resurgent, cum anima & corpore, vt quisque recipiat, secundùm ea quæ gessit in corpore, siue bonum, siue malū. De his portis loquitur iustus Deo, & Angelis: Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas, confitebor Domino: In vtraque ergo vir iustus laudem accipiet.

Iudicium particulare & generale.

Tertiò, agitur in auctor. adducta, de laudis materia, quæ in bonis operibus consistit, ideo dicit, *Laudent eum opera eius*, quia hæc sola sunt laude digna; At verò quia opera sunt bona, quatenus fiūt ex virtute, virtus enim ex Arist. est quę bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit, ideo ea sunt laude digna, quatenus ex virtute procedunt, hinc ait Philosophus 1. Lib. Ethic. *Laus est sermo elucidans magnitudinem virtutis*: Quia igitur hoc efficiunt actiones honestę, & virtuti consentaneæ: Sequitur, ex his tantùm actionibus hominem esse laudabilem. Hinc est, quòd ea, quæ mali &

Prouerb. vlt. 31.

Malorum opera nō sunt laudabilia.

vitiosi faciunt, aliquam similitudinem virtutis habentia, licet laudabilia quādoque videātur, tamen re vera, laudibus sunt indignā, maximéque apud Deum, quia vel finis debitus illis deest, vel aliqua circumstātia virtutis. Verbi gratia, Nonnullos videbis Tyrannos, qui multas exercent actiones iustitiæ, verùm quia ad vanam gloriam & bonum proprium, non publicum, illas referunt, potiùs dicendæ sunt actiones vanæ gloriæ, quàm virtutis & iustitiæ. Sicut manifestum est de iustitia Manlij Torquati, qui sicut refert Valerius Maximus lib. 2. cap. 2. Cùm esset Consul in bello Latino, habebat filium, qui à Geminio Metio Tusculanorum Duce ad certamen prouocatus, cùm inscio patre, dimicasset, & victoriam celeberrimam retulisset, nihilominus iussit pater, ob neglectum eius imperium, à lictoribus arripi, & in modum hostiæ mactari, licet etiam (inquit Valerius) filius ille laudandus videatur, quia tamen eius finis non fuit virtutis, sed vanæ gloriæ, illa victoria non tam laudanda, quàm vituperanda. Eodem modo si quis multas eleemosynas largiretur pauperibus, laudaretur quidem, si verò modum & finem debitum non seruaret, non dicerentur virtutis aut commiserationis actus, sed vitij. Sicut patet de liberalitate Alexandri, qui multa & pretiosa dono dabat, sed non ex virtute, imò ex superbia. Propterea de illo refert Seneca libro de beneficijs, cùm cuidā daret ciuitatem, eamq. ille recusaret velut indignus tanto

munere, dixit Alexãder, nõ quid te deceat largior, sed quid mihi cõueniat offero: Quod verbum licet magnificũ videretur, tamen re vera ex sententia Senecæ fuit superbum, insolens & stultũ, eo quòd donũ õne debet etiã recipienti respondere & proportionari, sicq. peccauit in excessu. Idẽ iudiciũ est de multis alijs actionibus, quæ non fiunt in charitate, & cũ debitis circũstãtijs, & tamẽ cõmendantur ab adulatoribus, nõ autẽ à sapientibus, vnde Eccl. 8. *Vidi impios sepultos, qui cũ adhuc viuerent in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate, quasi iustorum opera, sed & hoc vanitas est.* Et Sap. 3. *Vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorũ.* Sed sancti qui veris virtutibus sũt ornati, opera faciũt verè laudabilia, quia nullo debito fine destituuntur. 1. Corinth. 10. *Omnia in gloriã Dei facite.* Et in charitate agũt, quæ õnes ordinat virtutes. Vnde Apostolus, *Omnia opera vestra in charitate fiant.*

Laus adulatorum. *Eccl. 8. 10.* *Sap. 3. 12.* *1. Cor. 10. 31.*

SECVNDÒ, in Themate cõsidera prælectionem, quia magis laudat mortuos, vnde dicit, *Laudaui magis mortuos.* Vbi animaduertẽdũ solos saluatos viuentibus prçferri, Apoc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, A modo iã dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Quibus verbis innuuntur tres rationes, quare tales mortui præferuntur viuentibus.

Eccl. 4. 2. *Apoc. 14.*

Rationes ob quas mortui viuentibus præferũtur.

Prima quidem est, quia omni bono donati sunt, propterea dicuntur beati.

Secunda est, quia ab omni periculo tuti sũt, nam in Domino moriuntur.

Tertia, quia sunt ab omni malo liberati, A modo enim dicit spiritus &c.

Quid beatitudo.

Primo igitur loco, omnibus bonis fruuntur beati, est enim beatitudo secundùm Boëtium, status omnium bonorum aggregatione perfectus: At omne bonum, aut est animæ, aut corporis, aut totius coniuncti, quibus omnibus bonis donantur beati: Sũmũ enim bonum hominis est Deus ipse, quatenus perfectè vnitus animæ. Ad quod tria requiruntur: Primũ est ipsius Dei præsentia, quæ quidem habetur per ipsius Dei visionem, quia Deus in patria, non mediante aliqua similitudine, sed per seipsum, cognoscetur, videbitur, & præsens efficietur, in ipsa cognitione beata. Vnde prima dos animæ, dicitur visio seu cognitio: Videbimus ergo Deum in se, & Deum in nobis, & nos in Deo, & creaturas in Deo, & Deum in creaturis. Cognoscere Deum in sua essentia, est quasi visio meridiana: Cognoscere verò creaturas in verbo, est quasi cognitio matutina: At cognoscere in se creaturas, id est, in proprio genere, visio vespertina appellatur: Videbit etiam tunc vnusquisque cogitationes alterius, prout libuerit: quia vt ait D. Gregor. *Vniuscuiusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondit.*

Beatitudo in Dei visione.

Cognitio matutina meridiana & vespertina.

Dotes animæ beatæ.

Secundò, ad perfectam vnionem animæ cũ Deo, requiritur eius, cum anima perfecta adhæsio & coniunctio, quæ fit per dilectionem, ideo dicitur secunda dos animæ beatæ, per quã sic adhæret Deo, vt fiat anima beata, quasi v-

nus spiritus cum eo. Ideo charitas dicitur vinculum perfectionis ad Coll. 3.

Tertiò, requiritur perfecta conuenientia, qua ipsa anima fruatur Deo: Et ideo tertia dos animæ dicitur fruitio, quæ consequens est ad dilectionem, quia illud quod summè diligitur, conuenientissimum iudicatur, & eius fruitio summè delectat: Sic ergo totum bonum animæ, quo efficitur beata, erit à Deo, & de Deo. *Psal. 143. 18.*
Vnde dicitur Psal. 143. *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.*

Dotes corporis gloriosi.

Rursus, beati bonis corporis gaudebūt, quia resurgent cum dotibus corporis quatuor gloriosis: quæ erunt claritas, subtilitas, impassibilitas, & agilitas: Cùm enim totum corporis bonum sit ab anima, ideo ex redundantia ipsius animæ erit tota glorificatio corporis: Erunt ergo in corpore respectu animæ, quatuor dotes prædictæ, ratione perfectissimæ subiectionis corporis, ad animam. Ad hoc autem vt corpus perfectè subijciatur animæ, nec eam impediat in operibus suis, quatuor sunt necessaria, quorum duo pertinent ad sensum, duo ad motum: Quoad sensum, id est necessarium, vt facilè sit ad recipiendas species sensibiles, ad quod disponit claritas, in qua etiam corporis pulchritudo continetur, & omnis bona dispositio formæ accidentalis in corpore. Secundò, requiritur, vt non sit receptiuum ignobilium passionum, & hoc facit impassibilitas, in qua etiam intelligitur perpetua conseruatio corporis ab anima, ōnis sanitas & diuturnitas.

Quoad motũ verò, requiritur primò, vt nõ resistat suo motori, ad quod disponit agilitas, sub qua etiã cõprehẽditur velocitas, libertas, fortitudo & habilitas corporis, ad õnes operationes animæ, quæ per corpus exercentur. Secundò, vt corpora per quæ mouetur anima, ei non resistant, & ad hoc confert subtilitas, quod nõ putat D. Thomas, sed hoc miraculosè fieri, & ex virtute diuina, quòd corpori glorioso aliud corpus non obstet. Dicit autem dotem subtilitatis in eo esse, quòd corpus animę totaliter subijciatur, vt suæ formę quantũ ad esse substantiale, vnde ab Apostolo vocatur corpus spirituale, quia totaliter est subiectum spiritui. Per quas quatuor dotes remouentur etiam quatuor impedimenta, quę causari solent à quatuor elementis, quibus corpus componitur: Per claritatem deformitas nigredinis, quæ est ab adustione ignis vel fumo: Per subtilitatem crassities terræ: Per agilitatem tarditas, quæ ex frigiditate aquæ est, & per impassibilitatem, passibilitas quæ est ex aëre: tunc verè poterit dici animæ, *Beatus venter qui te portauit* Luc. 11.

Luc. 11. 27.

Tertiò, possidebunt Sancti illi defuncti plura bona, quæ ad conuictum pertinent: Quæ sunt quinque, iuxta Boët. lib. de consol. Philos. scilicet, sufficientia quã promittunt diuitiæ, iocunditas ex voluptate, celeritas ex fama, securitas ex potentia, reuerentia ex dignitate, & tunc verè de ea dici poterit, Psal. 143.

Psal. 143. 18.

Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. His omni-

bus igitur, fœlices repleti perpetuò Deum laudabunt & laudabuntur. Pſal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* *Pſal. 83 5.*

Secunda ratio cur mortui anteponuntur viuentibus eſt, quia ſunt tuti ab omni periculo, ſicut nauigans cum portum attigerit, à periculis maris liberatus eſt. Hi ſunt, qui in Domino moriuntur. Mundus hic, eſt mare periculoſiſſimum, Corpus eſt tanquam nauis, Deus eſt portus tutiſſimus: Nauta egreſſus de naui, eſt anima ſancta egreſſa de corpore, & extra pericula mundi in Domino requieſcens, ſicut de Beato Stephano moriente dicitur, Acto. 7. *Quòd obdormiuit in Domino:* in hoc mundo, homo non dormit ſecurus, quia eſt terra latronum & inimicorum, at in terra Domini, vbi gaudet hæreditate regni cœleſtis, tutus requieſcit cum Deo. Hinc Pſal. 126. *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini. Et pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius,* Pſal. 115. *Mortui tuti ab omni periculo.* *Acto. 7. 60.* *Pſal. 126. 4.* *Pſal. 115 5.*

Tertia ratio eſt, quia Sancti ab omni malo liberantur per mortem, vt infirmus perpetuò agitatur, quouſque à morbo ſit omnino liberatus, ita boni, multis & infinitis propemodum afficiuntur miſerijs & calamitatibus, à quibus liberati, tunc perfectè quieſcunt, ideo dicitur, *A modo iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* Sancti per mortem liberi ſunt à triplici malo, à peccato originali, actuali, & à poſſibilitate peccandi, & ſic quieſcunt ab omni *Apoc. 14 13.*

labore, quo illa fugere conatus est, & tentationes superare ne committeret.

Item nullo amplius hoste infestantur, qui eos aliqua ratione lædere aut molestijs afficere possit: Animal enim non quiescit, quamdiu molestatur à muscis, sic homo quamdiu viuẽs est, perpetuò affligitur, propter incommoda multa, quæ illi contingere solent, Mich. 2. *Surgite & ite, quia non habetis hic requiem.*

Mich. 2.10.

Item liberantur à malis ex peccato contractis, vt fame, siti, ægritudine, fatigatione, & alijs eiusmodi, in quorum tolerantia, diu viuẽtes, multùm laborant: Accedente verò morte, ab ijs omnibus eripiuntur electi: Hinc Esay. 14 *Et erit in die illa, cùm requiem dederit tibi Deus, à labore tuo, & à concussione tua, à seruitute dura, qua ante seruisti &c.*

Esa. 14.3.

Eccl. 4.2.

Tertiò, in themate, consideranda est comparatio inter quos fiat, cùm dicit, *quàm viuentes*, qui minùs laudari possunt, quàm mortui. Ratio est, quia bona, ob quæ laudari possunt viuentes, sunt transitoria, fluxa, & caduca. Psal. 38. *Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Deinde vanum dicitur illud quod laboranti & possidenti fructum nullum affert, nec fulcimentum innitenti, nec plenitudinem continẽnti: Omnia ergo bona, quę hîc homines quærunt vana sunt, & inania.

Psal. 38.8. *Bona hæc vana.*

Vanum quid.

Primò quidem, quia non præbent fructum laboráti, sicut agricola diceretur laborare frustra, si ex cultu agrorum, nullũ colligeret fructum: fructus autem est, vltimum quod expe-

ctatur de arbore, deſignatque ſummum & vltimum bonum, quod homines virtutis ſtudioſi, expectare debent de laboribus ſuis, Eſtque gloria æternæ beatitudinis, quia bonorum laborum, eſt glorioſus fructus: Atqui talis fructus, non habetur in hac vita, ſed in futura, Rom. 6. *Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Quaſi dicat, fructus quem hîc poteſtis colligere, non eſt finale bonum, ſcilicet beata vita, ſed ſanctificatio diſponens ad illam. Rom. 6. 22.

Item bona huius vitæ dicuntur vana, quia non præſtant fulcimentum innitenti, & hoc ideo, quia ſunt ex ſe mutabilia & caduca, quod enim aliquid ſuſtinet & fulcit, ſtabile & firmũ debet eſſe, aliàs breui corruet, *Vnde qui confidit in ſuis diuitijs, corruet in malum*, Prouerb. 11. Prou. 11. 28.

Poſtremò, bona huius vitæ dicuntur vana, quia non dant plenitudinem continentis, nam vanum idem quod vacuum, Atqui non replēt neque ſatiant hominis appetitum, igitur ſunt vana. Vnde verè dicuntur à Pſalmiſta, *Vniuerſa vanitas.* Et Eccl. 1. *Vanitas vanitatum, & õnia vanitas.* *Vanum idē quod vacuum.* Eccl. 1. 2.

Nam ſi cuilibet bono huius vitæ, inſit aliqua vanitas, conſequens eſt, vt vniuerſitas bonorum horum, non ſolùm ſit vanitas, ſed vanitatum vanitas: Et quia homo ea diligit, his ſimilis efficitur, ideo omnes efficiuntur vani, Hier. 2. *Ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt*, Pſal. 143. *Homo vanitati ſimilis factus eſt.* Ideoque bonus & iuſtus, qui huic ſubijci- Hier. 2. 5. Pſal. 143. 5.

Ion. 4. 3. tur vanitati vsurpare potest, illud Ionæ 4. cap. *Melius est mihi mori quàm viuere*, præcipuè quia homo viuens semper est in periculo, & dubio de salute statu, & certissima cōditione caret, etiam hic virtutis pręmio, in Dei visio-
Exod. 33. 20. ne posito, Exod. 33. *Non videbit me homo & viuet*: A quibus omnibus incommodis erepti sunt mortui, qui ea iam fruuntur, & satiantur visione ineffabili, Ad quam nos perducat qui sine fine viuit & regnat.

DE VIGILANTIA NECESSARIA, PROPTER DIEI mortis ignorantiam.

THEMA.

Vigilate, quia nescitis diem neque horam.
Matt. 25. 13. Matth. 25.

Præuisio mali prodest.

AIt D. Gregorius, Tela præuisa minùs feriunt, quia licet aliquando, non possit homo ictum iaculi effugere, si tamen ante præuideatur, ei opponi potest clypeus, aut aliqua alia armatura, ne tantopere lædat. Hinc
Ephes. 6. 16. Apostolus dicebat Ephes. 6. *In omnibus assumentes scutum fidei, in quo poßitis omnia tela nequißimi ignea extinguere*. Eodem modo, quam-

uis homo ictum mortis non possit euitare, si tamen illam præuideat & sæpiùs animo voluat per vigilantiam, præparationem, & bene viuendi rationem, parùm nocebit: Dico parùm, quia dato, quòd perforet clypeum corporis, ad animam tamen læsio non pertinget. Sap. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Sed tamen quia hora & dies ignorantur, oportet omni tempore vigilare, & armis pœnitentiæ præmuniri, ne eum mortis ictus inermem reperiat. Adhoc hortatur nos Dominns verbis Them. dicens, *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Quibus quidem, Dominus tria præstat. *Sap. 3. 1.*

Primò, hortatur ad diligentiam operis.

Secundò, proponit ignorantiam hominis.

Tertiò, determinat circumstantiã tẽporis. Circa primũ, obseruãdũ est, nihil aliud esse vigilare iuxta sententiam D. Greg. quàm pœnitêre, & à somno peccati excitari, & surgere, nam tunc pœnitens ad veri luminis aspectum oculos aperit, & torporem negligentiæ excutit. Ad quam vigilantiam hortatur nos Dominus, Matth. 26. dicens, *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationẽ, Spiritus quidẽ prõptus est, caro autẽ infirma est.* Quibus verbis tria efficit. *Vigilare quid sit.* *Matt. 26. 41.*

Primò, inducit ad illud, quò peccati vinculum dissoluitur.

Secundò, ad illud mouet, quo mentis oculus illuminatur.

Tertiò, tangit illud, ex quo negligentiæ & pigritiæ torpor generatur.

ſit in vulnere ferrum, ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc odium remanet in pectore. Thren.3. *Nos iniquè egimus, iracundiam prouocauimus, idcirco inexorabiles ſumus.* In charitate Dei igitur, neceſſarium eſt, vt fiat oratio, quia ſicut feruor ignis extollit aquam in olla, ita ardor amoris orationem apud Deum: Et niſi ignis incenſo apponatur, fumus cœlum non petit, Sic ſine charitate non aſcendit oratio. Pſal 140 *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Eccl.3. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit ſe ab illis, & in oratione dierum exaudietur.* Thren.3.42 *Oratio cum charitate.* *Pſal.* 140.2. *Eccl.* 3.4.

Deinde tangitur illud, quo oculus mentis offuſcatur, quod eſt tentatio, vnde dicit, *ne intretis in tentationem.* Non dicit, ne tentemini, ſed vt non intretis in tentationem. Nam qui videt locum periculoſum, non eſt in periculo, ſed qui illum ingreditur. Sic qui tentatur, nõdum eſt in loco periculi, ſed qui intrat tentationem, hoc eſt, qui conſentit: Ideo rogat Eccleſia, *Et ne nos inducas in tentationem*: Quando mulier ab impuris & libidinoſis hominibus rogatur, & conſentit, non poteſt ampliùs dici fidelis marito. Sic anima ſollicitata ad peccatum, ſi conſentiat, fidem Deo non ſeruat. Eccl. *In tentatione inuentus eſt fidelis, quia beatus eſt, qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam gloriæ.* Iac.1. Tertiò cùm dicit, *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma eſt.* Matth.26.41. Ponit illud ex quo vigilantia & ſollicitudo cauſatur. *Tentatio.* *Iac.*1.12.

Promptitudo spiritus ad bonum. Siquidem spiritus promptus est ad bonũ, sicut erat in antiquis Christianis, quia spiritum habebant feruentem & promptũ ad omnem virtutis actionem: Hodie verò cõtrarium accidit, ratio est, quia qui morbo est affectus, nõ est ad laborandum promptus: Ita de anima onerata peccato. *Luc.13.11.* Quod Luc.13. figuratum est. *Ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere:* Illa mulier est nostra anima, inclinata ad peccatũ, quod quidẽ est infirmitas maxima, impediens rerum cœlestium contemplationem, ad quam promptus est & idoneus, qui mente sanus est & purus per pœnitentiã & innocẽtiã.

Secundò, in auctoritate Matt.26.41. innuitur torporis & pigredinis causa, sc. carnis infirmitas, *Caro* (inquit) *infirma est.* Non est ergo cõsors *Caro infirma.* societas inter spiritũ & carnem, quia spiritus prõptus est, caro autẽ infirma est. Si quis clarus vir, & sapiens societatem habere cogatur cũ abiecto & fatuo homine, omnia malè se habebunt, si verò inferior sapientiori morẽ gerat, nihil non bene fiet. Spiritus est nobilissimus & potens, Caro vilissima & infirma, spiritus ad bonũ promptus est, Caro è contrario ad malũ propensa, ad Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem:* Vnde si spiritus sequitur carnem, & obedit concupiscentijs eius, malè illi accidit: Si autem caro vilis & inferior obediat spiritui & rationi, bene valebit homo. Rom. 7. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu*

facta

facta carnis mortificaueritis viuetis, Ideoque Ro. 13. *Curam carnis ne feceritis in desideriis.*

Secundò, in themate assumpto proponitur hominis ignorantia, cùm dicitur *nescitis diem &c.* Porrò homo nescit diem mortis suæ, quia mensuram durationis vitæ suæ ignorat. Cùm enim mors sit terminus illius durationis, cognita duratione, notus fit durationis terminus Iob. 32. *Nescio quandiu subsistam, & si post modicum, tollat me factor meus.* In quibus verbis tanguntur duæ causæ, quare nescit homo mensuram vitæ suæ.

Matth. 25. 13.

Ignorantia diei mortis vnde.

Iob. 32. 22.

Prima quidem, sumitur ex viuentium diuersitate, cùm dicitur. *Nescio quandiu subsistã.*

Secunda, ex Dei potestate, cùm subditur, *& si post modicum. &c.*

Si omnes homines haberent vniformem durationem vitæ, sciri posset quãdiu homo subsisteret, vt de Ephimeron pisce manifestum est, qui viuere solet non plures horas, quàm quadraginta ideo sciri potest hora illius interitus: homo verò non habet certam ac determinatam durationem, alii enim longiori, alij breuiori tempore viuunt, siue id contingat ex varietate complexionis & temperamenti naturalis, siue ex diuersitate regiminis: siue ex diuersis & fortuitis casibus, propterea nescit homo finem suum, Eccl. 9. Licet igitur certò sciat se moriturum homo, nescit tamen, an in diem vsque crastinum, Iob. 7. *In puluere dormiam, & si mane me quæsieris, non subsistam.* Sicut contigit diuiti, de quo Luc. 12. dicitur,

Eccl. 9. 12.

Luc. 12. 19.

quòd dicebat sibi. *Anima mea habes multa bona, reposita in annos plurimos &c.* Talis est, qui sibi tantùm thesaurizat, & veras diuitias negligit, eleuantur sicut vapores, & confestim euanescunt, Iob. 24. *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent.* Stultum est ergo, sibi longa vitæ spatia promittere : Nam qui pœnitenti veniam promittit, viuenti diem crastinum non spopondit.

Iob.24.24.

Ignorantia diei mortis.

Secunda causa ignorantiæ diei durationis hominis, est ex potentia Dei, qui potest homini multùm vel parum temporis ad vitam tribuere, ideo dicit Iob. cap. 32. 22. Ipse qui fecit me, potest tollere, quando vult, ratio igitur est hæc, quia non est hominis scire, ea quæ Deus sibi reseruauit, & posuit in sua potestate. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in potestate sua*: Sicut igitur Deus dedit corpus & animam, quando voluit, ita vnũ ab alio separat, quando placuit, Iob. 1. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.*

Act.1. 7.

Posset fortasse alicui videri æquũ vt omnes homines æquali tempore seu ætate, è vita hac tollerentur, Pœna enim debet culpæ proportionari & respondere, Deutero. 25. *Secundùm mẽsuram delicti, erit plagarum modus*: Mors autẽ est pœna peccati originalis Rom. 8. quod omnes homines æqualiter contrahunt, Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors* : Ergo omnes æqualiter à Deo ex hac vita, subtrahi debent.

Obiectio.

Deut. 25. 3.

Ro. 5. 12.

Respondendum est pœnam, duobus modis consequi culpam, primò sicut à iudice constitutam, quo sensu debet esse æqualis omnibus illis, qui sunt in eadem culpa: Alio modo, pœna sequi potest culpam, tanquam defectus, qui ex tali causa, per accidens consequitur, sicut si aliquis excœcatus sua culpa, cadat in via, talis pœna non proportionatur culpæ, nec ab homine nec à iudice infertur, quia non potest omnibus fortuitis casibus occurrere, eosque cognoscere. At pœna, peccato primi hominis respondens fuit iustitiæ originalis priuatio, & diuini illius beneficij, quo rectitudo & integritas humanæ naturæ, conseruabatur, ita vt mens humana Deo subijceretur, & vires inferiores animæ rationali: Sed defectus talis beneficij subtractionem consequens, est mors, & aliæ pœnalitates equaliter spectantes ad omnes, propter originale peccatum: Quia autem Deus est præscius omnium futurorum euentuum, ex dispensatione Diuinę prouidentiæ fit, vt diuersimodè intereant homines. *Responsio* *Pœna sequitur culpam duobus modis.* *Peccati originalis pœna.*

Vel in pœnam peccati proprij, vel parentũ: Vel in vtilitatem aliorum, vel ipsorummet qui moriuntur, Sap. 4. *Placita erat Deo anima illius, propterea festinauit educere illam, ne malitia mutaret intellectum eius.* Quidam etiam diutiùs viuunt Dei beneficio, expectans eos ad pœnitentiam, & in augmentum meritorum, aut salutem aliorum, Ioan. 17. Christus patrem rogat pro discipulis: *Nõ rogo vt tollas eos de mũ-* *Sap. 4. 14.* *Ioan. 17. 15.*

Peccator cõtradicit creatori. *do, sed vt serues eos à malo.* Porrò omnis peccator, ob culpam Deo factori suo contradicit & aduersatur, ideòque finaliter ei non subijcitur per pœnitentiam, detrudatur in gehennam ignis, necesse est. Propterea dicitur Esay 45. *Væ qui contradicit factori suo.* De eo, Iob. 27. hæc habet: *Tollet enim ventus vrens.* Iste ventus est mors subitò veniens, & ad æterni incendij adustionem perducens.

Esa. 45.9.

Iob. 27. 21.

Tertiò, in themate assumpto negatur circunstantia temporis, cùm dicitur, *neque diem neque horam* Matth. 25. 13. Si fugerit seruus aliquis in aliquem locum secretum, quem tamẽ nouerit Dominus à seruo grauiter offensus, ad illum statim lictores mittet, qui eum apprehendant & in carcerem rapiant: homo peccãs mortaliter recedit à Deo rexcipitur à mũdo, vbi in suis diuitijs, honoribus, delitijs, & opibus sperat se tutò & securè victurum: Sed subita morte & inopinata tanquam fur, Deus venit, & in infernum rapit. Matth. 24. *Veniet Dominus serui illius, in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis ibi erit fletus, & stridor dentium.* Quibus verbis tria facit.

Similitudo.

Mors inopinata.

Matth. 24. 50.

Primò, comminatur vindictam, quia veniet Dominus.

Secundò, describit culpam, quæ est contẽptus considerationis diei mortis vel iudicij, ex negligentia præparationis, ideò subdit in die, qua non sperat, & hora qua ignorat.

Tertiò, determinat pœnam, quia diuidet eũ.

Nota, si seruus esset aliquid Domino furatus, suspicareturque eum in suam domum venturum, vt illud perquireret, fur auferret è domo furtum, & in aliam vt occultaretur deferret. Peccatum in domo nostræ residet conscientiæ, per pœnitentiam & confessionem in aure Confessoris debemus abscondere, ne apud nos inueniatur, & ad inferni patibulum rapiamur à Deo, Luc. 12. *Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus eius, inuenerit ita facientem.* Sed nonnulli Rachel imitantur, quæ, vt est Genes. 31. Veniente Patre ad perquirēdum idola, quæ furata fuerat, abscondit ea, & sedit super illa, ne pater reperiret. Sic morte accedente quidā sacerdoti furta, rapinas, vsuras occultant, vel alia peccata, nec volunt confiteri, sicque sedent super illa, quia per pœnitentiam resurgere nolunt: hi licet Sacerdotem decipere videantur, nusquam tamen Deum fallere possunt, quia omnia sunt nuda & aperta oculis eius, propterea in iudicio generali omnibus illa manifestabit & aperiet, 1. Cor. 4. *Veniet Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Boni & Sancti aliter se gerunt, semper enim sunt parati, quacunque hora Deus venerit, ideoque beata vita fruentur, Luc. 12. *Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia, beati sunt serui illi &c.*

Similitudo *Pœnitentia* *Luc. 12.43.* *Gen. 31.35* *Impœnitentia.* *1. Cor. 4 5.* *Luc. 12. 38.*

Vbi animaduertes tres vigilias significare tres ætates hominis principales: Quarum prima est ætas accretionis: Secunda est ætas virilis: Tertia est ætas decretionis siue declinatio-

Vigiliæ tres ætates significant.

nis, quę ſenilis nominatur. In quacunque igitur ætate, die, & hora, mors eueniat hominibus, ſi Dominus eos inuenerit vigilantes, id eſt, paratos, ſaluabuntur.

Memoria diei mortis. Secundò, in auctoritate allata ex 24. 50. Matth. Deſcribit culpam eius, qui diem mortis conſiderare & ſe præparare negligit, vnde ex inſperato venit. 1. ad Theſſal 5. *Cùm dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus*, & Eſa. 30. *Subitò dum non ſperatur, veniet contritio eius*. Et hoc accidit ex ignorantia, & ſtultitia hominis. Matth. 24. *De die illa nemo ſcit*, ſcilicet determinatè, quod etiam intelligitur de die mortis, ex Auguſtino, quia qualis quiſque in die mortis egreſſus fuerit, tale tunc iudicium habebit, in ſæcula æterna. Gen. 27. *Ait Iſaac filio Eſau, vides quòd ſenuerim, & ignorē diem mortis meę.* Ex hac ignorātia ſequitur præparationis contemptus, ſed malè, imò quantò magis ignoratur, tantò magis deberet eſſe ſuſpecta, & cum maiori ſollicitudine & timore ſe præparare ad eam, ex ſententia D. Gregorij, qui propterea ait Deum voluiſſe diem illam à nobis ignorari, vt eſſet nobis ſuſpecta, & perpetuò ad illam nos pararemus: Contrarium agimus eo quòd quotidie differēdam putemus: Quia in re nos ſæpiſſime fallimur, dum enim longiùs abeſſe quis putat, ſæpe eum imparatum arripit. Matth. 24. *Sicut fuit in die Noe, ita erit aduentus filij hominis. Nam ante diluuium homines erant comedentes & bibentes, & nuptui tradentes, vſque adeum diem in quo Noe*

1. ad Theſſa. 5. 3. *Eſa. 30. 13.* *Matth. 24. 36.* *Gen. 27. 2.* *Ignorantia diei mortis.* *Matth. 24. 27.*

arcam est ingressus, nec cognouerunt donec veniret diluuium, à quo omnes obruti fuerunt.

Ita ergo quia venit mors die, qua non speratur sed ignoratur, semper debemus esse parati, secundùm illud Matth. 24. *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Et tunc si fuerimus parati, cum eo intrabimus ad nuptias, sicut dicitur de Virginibus prudentibus, per quas animæ iustorum significantur, quæ cum Christo deliciis Paradisi fruuntur.

Præparatio ad mortem.

Matth. 24. 50.

Tertiò, in auctoritate citata tangitur, triplex pœna: Prima, separatio à consortio bonorum: Secunda, applicatio ad consortium malorum: Tertia, afflictio terrenorum suppliciorum.

Pœna triplex malorũ qui moriũtur.

Primò ergo dicit, quòd diuidet eum, scilicet, à consortio bonorum; quia quandiu zizania sunt in agro, cum tritico sunt permixta, at verò separata, purum triticum in horreo reponitur. Sic in mundo viuentes boni, simul mixti sunt cum malis, sed post mortem separantur, Psal. 54. *Diuisi sunt ab ira vultus eius*, vel diuidet eum, quia animam dabit dæmonibus, corpus vermibus, & diuitias hęredibus, vel aliis. Luc. 15. *Diuisit illis substantiam.*

Ps. 54. 23.

Luc. 15. 12.

Secunda pœna, erit applicatio ad consortiũ malorum, quia partem eius ponet cum hypocritis, qui boni apparent, licet re vera mali sunt: Tales sunt mali Christiani, in quantùm Christi fidem profitentur, & orationes fundũt, quatenus improbè viuunt, mali sunt re vera,

Hypocrisis ideòque duplici afficientur pœna, hoc est, priuabuntur omnibus bonis, & replebuntur omnibus malis, Matth. 23. *Væ vobis hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, &c.* & Ps. 62. *Partes vulpium erunt*, quæ sunt animalia fraudulenta, & hypocritas repræsentant.

Matth. 23. 27.

Ps. 62. 9.

Tertia pœna erit afflictio duplex: Vna ex ardente calore, quæ designatur ex fletu.

Inferni pœnæ duæ

Alia ex intollerabili frigore, quod significatur stridore dentium, Iob. 24. *Transibunt ab aquis niuium, ad calorem nimium.* Vel stridebunt dentibus præ ira & furore interiori, sicut Iudæi aduersus D. Stephanum stridebant dentibus suis in eum. Acto. 7. Sed flebũt pro tormento exteriori Esa. 24, Amarè flebũt. Sancti verò exultabunt in gloria. Ad quã nos perducat Iesus Christus Dei filius benedictus, qui viuit & regnat cum Deo Patre Omnipotente, & spiritu sancto in sæcula sæculorum.

Iob. 24. 19.

Act. 7. 54.

AMEN.

DE REMISSIONE PECCATORVM ANTE MORtem impetranda.

THEMA.

Remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam & amplius non ero. *Psal. 38. 18*
Ps. 38.

QVemadmodum homo naturaliter bonũ appetit, ita malum fugit: Quod quidem duplex est, culpæ & pœnę. Malum culpæ multò est deterius & detestabilius, quia hominem malum efficit, non autem pœna. Hinc dicebat D. Dionysius cap. 4. lib. de diuinis nominibus, puniri non esse malum, sed fieri pœna dignum: Deinde quia Deus est author pœnæ, non culpæ: Postremò quia pœnam infert, ad culpam vitandam: At peccatum separat hominem à Deo, vt est mortale, neque tolli potest, nisi ipse qui offensus est, illud remittat in hac vita solùm. Quia vt ait D. Damascenus, quod fuit Angelis casus, hoc est hominibus mors, propterea hanc remissionem Dauid petebat à Deo, ante mortem, dicens. *Malum culpæ & malũ pœnæ.*

Remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero Ps. 38. 18.

Quibus verbis tria præstat propheta.

Primò, postulat beneficium Diuinæ pietatis.

Secundò, optat remedium ignitæ cupiditatis.

Tertiò, formidat iudicium diuinæ æquitatis.

Circa primum obseruandum est, secundũ ordinem iuris, offensam non debere remitti, nisi emendata fuerit, vnde D. Aug. ad Macedonium, *non remittitur* (inquit) *peccatum, nisi restituatur ablatum:* Quia videlicet offensa iniustæ ablationis, emendatur per æqualitatem satisfactionis, & restitutionis. Emendatur autẽ peccatum per pœnitentiam veram, & integram confessionem, quæ necessaria est, vel in facto, vel in proposito, licet enim quis, aliquando per contritionem obtineat peccatorũ remissionem, tenetur tamen habere votum &

Ps. 31. 6. propositum confitendi, sine quo, non fieret remissio, hoc ostendit Dauid Psal. 31. *Dixi in corde, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino*: id est habui propositum confitendi, *propterea*, ô Deus, *remisisti impietatem peccati mei.*

Contritione remittitur peccatum. Sed quæres, si virtute contritionis, sit ante confessionem remissum peccatum, quid cõfert confessio exteriùs facta? Respondendum est, valere primò ad hoc, vt si fuerit contritio minus sufficiens, per confessionem suppleri: Deinde pœnæ temporali satisfieri per exu-

beſcentiam confeſſionis, obedientiam qua pœnitens ſe poteſtati clauium ſubiicit,& ſatisfactionem, quam in confeſſione iniungit ſacerdos:Sicque peccator,accedente confeſſione pleniorem remiſſionem obtinet, hinc dicitur. 1. Ioan, 1.*Si confiteamur peccata noſtra,fidelis eſt & iuſtus Deus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Quibus verbis tria facit D. Ioannes. *1.Ioan.1.9.*

Primò, præſupponit neceſſitatis remediũ.
Secundò, inducit ſecuritatis præconium.
Tertiò, concludit pietatis beneficium.

Remedium ergo peccatori neceſſarium ad ſalutem, eſt pœnitentiæ ſacramentum, id eſt, confeſſio, & ideo dicit,ſi confiteamur peccata noſtra. Rationem dat Boet.lib.conſol.Philoſ. *Si operam medicantis expectas, oportet quod vulnus tuum detegas.* Natura id docet, & etiam animalia bruta, ſicut patet in vita D. Hieronimi de leone quodam,qui monaſterium ingrediens, pedem læſum ſpinâ oſtendit, quam B. Hieronimus extrahi fecit, lauari & curari,vnde poſtea ab eo nuſquam diſceſſit: Ergo neceſſaria eſt confeſſio ad impetrandam peccatorũ remiſſionem. Ro.10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Si apoſtema ab exteriore ſe prodat, indicium eſt ſanitatis, Si ad interiora humorem retrahat, ſignum eſt mortis: Sic peccatum interiùs abſconditum, cauſat mortem æternam, manifeſtatum verò per confeſſionem curat animã. Auguſt.*ſi verè confeſſus fueris, ſaluaberis*, Prouerb. 28. *Pro. 28 13.*

Pœnitentia neceſſaria. *Confeſſio.* *Ro. 10. 10.* *Similitudo.*

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam cõsequetur.

Secundò, ponit securitatis præconium, quia Deus est fidelis in suis promissis. Inde securitas pœnitentis, cui veniam promittit, Ezech. 18. *Cùm auerterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit iudicium, & iustitiam, & ipse animam suam viuificabit.* Sed sicut ipse est fidelis in seruando promissa pœnitentibus, sic etiã iustus est in inferendis suppliciis malè viuentibus & impœnitentibus Deut. 32. *Deus fidelis & absque vlla iniquitate, iustus & rectus.* Est primò fidelis, id est verax in seruandis promissis: Deus enim multis, multa promittit: Veniam pœnitentibus, Hier. 18. *Repente loquor aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam & disperdam illud: Si pœnitẽtiam egerit gens illa à malo suo, propter quod locutus sum aduersus eam, Agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Loquitur Deus more hominum, qui quando pœnitent, reuocant & non comminationem adimplént: cominatio igitur Dei, non semper adimpletur, bene tamen promissio: Eo quòd Deus sit multò propensior ad misericordiam, quàm ad vindictam: Nec inde sequitur falsam esse eiusmodi prophetiam, quia tunc Deus reuelat prophetæ solùm illud, quod debetur secundùm demerita, peccatoribus: Aliquãdo tamen quæ euentura sunt non reuelat, hoc est

Fidelis Deus

Ezech. 18. 21 24.

Deut. 32. 4.

Hier. 18. 7.

Cõminatio Dei non sẽper adimpletur.

conuersionem, & merita, secundùm quę debet fieri mutatio comminationis Dei. Quæ cùm fit aduersus gentem aliquam, intelligenda est ex demeritis, quæ id exigunt, quod Deus minatur: Vnde semper comminatio vera est, nusquam falsa: dicitur autem Deus pœnitere per metaphoram, in quantum ad modum pœnitentis se habet, prout scilicet mutat sententiam, etsi non mutet consilium. *Promissio Dei semper adimpletur.* Item promittit Deus, innocentibus supernã gloriam, Psal. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius*: Respondet. *Innocens manibus, & mundo corde*: Item perseuerantibus, salutem æternam. Matth. 10. 22. *Qui perseueraverit vsque in finem saluus erit*: Item elemosynam facientibus, cœlestium diuitiarum abundantiam, Matth. 19. *Da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo.* Hæc omnia & alia Deus fidelissimè exequitur, & confert. Vnde Psal. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, quia vt ait glosa, quæcunque promittit, fideliter reddit: Non autem homines qui sæpè nec promissa reddunt, nec Deo vota exoluunt, Prouerb. 10. *Virum autem fidelem, quis inueniet?* Hoc dicit potissimùm de eo, qui in Baptismo promissum præstitum non seruat, quod fuit renunciare Diabolo & pompis eius. Secundò, dicitur Deus esse absque vlla iniquitate in iudicando, frequenter iudicium humanum est iniquum, quia iudices personarum acceptionem habent.

Ps. 23. 3.

Matth. 19. 21.

Ps. 144. 4.

Acceptio personarum

ideoque dicuntur iniqui, Luc. 18. *Audite quid*
Luc. 18. 11. *iudex iniquitatis, dicit*: hoc est inæqualitatis,
Pro. 18. 21. quia inter partes non seruatur iustitiæ æqualitas. Prouerb. 18. *Accipere personam viri in iudicio non est bonum, vt declines à veritate iudicij.*

Similitudo. Ratio est, quia idem in hac re contingit, atque in iudicio sensuum, in quibus si sit media proportio inter sensibile & sensum, rectum sequitur iudicium de sensibilibus, vt quandiu lingua nõ est aliquo humore infecta, bene iudicat de sapore, & quod amarum est, iudicat amarum, quod dulce, dulce: Si verò phlegmate aut altero sapore imbuatur, quasi contracta ad contrarium non benè iudicabit de obiecto suo. Sic iudex debet esse medius inter litigantes, neque ad alterutram partem declinare, vt secundùm æquum & iustum iudicet. Si verò declinauerit, motus misericordiâ aut
Iudicium peruersum. amicitiâ, quasi obliqua regula peruersum dat iudicium: hinc Philosophus cẽset iudicem nõ esse ad iram aut timorem prouocandum, ne regula iudicii fiat distorta, & inæqualis. Quod
Ro. 2. 11. de Deo non est dicendum, *eo quòd non sit personarum acceptio apud eum*: Rom. 2. propterea in eius iudicio nulla vnquã reperitur iniquitas, Ps. 91. 15. *Quoniam rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.* Non habebit igitur diues, in iudicio Dei, plus fauoris quàm pauper, neque aduocati aut procuratores locum obtinebunt, sed Solus Christus iudex vnumquemque secundùm merita iudicabit, Ps.
Psal. 95 13. 95. *Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in*

veritate ſua.

Tertiò Deus dicitur eſſe iuſtus, ſcilicet in retribuendo: In foro mundi frequenter accidit malum bonis, & bonum malis, iuxta Eccleſiaſtem cap. 8. *Sunt iuſti quibus mala proueniunt, quaſi opera egerint impiorum, & ſunt impij qui ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorũ facta habeant*: Quod Deus permittit, ſed non ſine ratione: Primò quidẽ, vt eis conducant ad purgationem animarum. Nam ſicut ait D. Bernard. *Quod lima ferro, quod fornax auro, quod flagellum grano, hoc facit tribulatio viro iuſto.* Quia videlicet eũ purgat à peccatis, ab amore huius ſeculi, & rerum caducarum cupiditate vana. Confert etiam ad eorum eruditionem afflictio, Auguſt. 3. de Trinitate: *Oportet hîc erudiri flagellis, vt ſuperna & cœleſtia cognoſcamus.* Et ad tentationum expulſionem, Greg. 23. Moral. *Si ſancti quieti in trãquillitate perſiſterent, tentationes aduerſus ferre nõ valentes proſtrati mentis vulneribus iacerent, ſic ergo medicina interiùs curat, vnde exteriùs ſauciat.* Igitur quòd hîc iuſti affliguntur, eſt ex magna Dei diſpenſatione: Quòd autem hîc mali proſperitate gaudeant, eſt ex miſericordia Dei & benignitate, vt oſtendat patientiam ſuam, & ad pœnitentiam eos alliciat: Ideoque acerbiùs torquebuntur, ſi Dei patientia abutantur. Vnde D. Greg. ait, lib. 6. Moralium. *Eò atrociùs in tormentis obruetur, quò in peccatis eleuatur, quia qui honoratur in via, in præuentione damnabitur.* Hîc igitur eſt tempus miſericordiæ, poſt mortem erit tempus iuſtitiæ. Pſal. 74. *Cum acce-*

Iuſtus Deus

Eccleſiaſt. 8. 14.

Tribulatio.

Afflictio.

Pſ. 74. 2.

pero tempus, ergo iustitias iudicabo. Dicit iusti-
Matth. 25. 46. tias, quia vna erit præmium bonis, altera supplicium malis, Matth. 25. *Ibunt mali in supplicium æternum, boni verò in vitam æternam:* Propterea dicitur, Psal. 10.8. *Iustus Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.*

Quartò Dominus erit rectus, in exigenda ratione. Legimus, in arca manna & virgam fuisse. Manna habebat dulcedinem, & virga rectitudinem. Ita Deus est benignus per misericordiam, & rectus per iustitiam, Psal. 24.9. *Dulcis & rectus Dominus.*

1 Ioa. 1. 9. Tertiò in auctorltate citata ex 1. Ioa. 1. concluditur pietatis beneficium: Vbi notandum, tribus modis fieri peccata, corde, ore, & opere: sic tres esse partes pœnitentiæ, quibus peccata & iniquitates nostræ expiātur, C,ontritio, per quam peccata remittuntur, Confessio, per quam peccata deteguntur, & Satisfactio, per quam peccata ad pœnam non imputātur. Vnª de Psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates,* scilicet per contritionem, *& quorum tecta sunt peccata, per confessionem: Beatus, vir cui non imputauit Dominus peccatum.*

Peccatū fit corde, ore, & opere.

Pœnitentiæ partes tres.

Psal. 31. 1.

Ps. 33. 18.

Secundò, in proposito themate expetit ignitæ concupiscentiæ remedium, cùm dicit, *vt refrigérer*, scilicet, ab æstu vitiorum, quibus concupiscentia inflammatur cuius ardorem, ros diuinæ gratiæ refrigerabit Eccl. 18. *Nonne ardorem refrigerabit ros.* In quibus verbis possumus notare tria.

Eccl. 18. 16.

Primò, culpæ insatiabilitatem, in ardore.

dore.

Secundò, animæ suauitatem, in refrigeratione.

Tertiò, gratiæ vtilitatem, in rore.

De ardore autem scias, sicut carne incalescente ardore febrili, sequitur aliquando insatiabilis sitis, sic anima calefacta vitiorum ardore, sequitur appetitus insatiabilis, Prou. 13. *Venter impiorum insatiabilis.* Id contigit auaro ratione pecuniarum, & etiam superbo in honoribus appetendis, item luxurioso, cuius libido nusquam est contenta, nec satiatur carnis delectationibus. Narrat Iuuenalis Satyra. 6. de Messalina vxore imperatoris Claudij, quæ tantæ erat libidinis impurissimæ, vt nedum in prostibulis clam malè ageret, sed etiam publicè omnibus se exponeret, non satiata sed lassata recedens, inquit Poëta. Itaque sicut ignis appositione lignorum augetur, sic appetitus vitiorum actibus malis vehementer crescit, Eccles. 23. *Anima calida velut ignis ardens.* Porrò sicut remoto igne, vel extincto aër circumstans refrigeratur: Sic extincto peccato per pœnitentiam, refrigeratur anima: Et quando aliquis cibum stomacho contrarium comedit, cruciatur, æstuat & angustias grauissimas patitur, donec euomuerit, ita cũ peccatum sit cibus noxius & contrarius cõscientiæ, quamdiu in ea remanet, eã excruciat, premit, exæstuat, donec expulsum fuerit per pœniten-

Prou. 13. 26.

Appetitus humanus insatiabilis.

Eccl. 23. 22.

Pœnitentia.

tiam, tunc enim cessat ardor concupiscentiæ, & anima refrigeratur. Eccl. 31. *Surge de medio,*
Eccl. 31. 24. *& euome illud, & refrigerabit te,* de medio scilicet conscientiæ, per contritionem, & euome per confessionem, & refrigerabit te, propter peccati remissionem, & concupiscentiæ tranquillitatem.

De rore autem gratię est notandum, quòd
Gratia. licet in nobis non extinguat totaliter ardorem fomitis, tamen multùm restringit & mitigat ipsum. Eccles. 43. *Ros obuians ab ardore venien-*
Eccl. 43. 24. *ti, humilem efficiet eum.* Valet enim ros iste cõtra tentationum, & tribulationum ardorem. Quod figuratur Daniel. 3. In pueris missis in
Daniel. 3. 50 fornacem Babylonicam, *vbi Angelus fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem,* & sicut flamma fuit impedita ne eos læderet, sic habẽtibus refrigerium roris diuinę gratiæ, ignis tribulationis nocere non potest. Ille est ros, qui in terra carnis nostræ, germinare fecit lilium munditiæ & castitatis, Oseæ 14. *Ero quasi ros, & Israel germinabit sicut lilium.*

Ose. 14. 6. Tertiò, in themate ostendit Propheta,
Psal. 38. 18. se diuinæ æquitatis iudicium reformidare, cũ dicit, *Priusquam abeam, & amplius non ero.* Vbi
Iudicium Dei. tangit duo terribilia.

Primò, separationem ab hoc sæculo, per mortem.

Secundò, separationem à Deo, per æternam damnationem.

Circa primũ notandum est, nihil esse acer-

bius homini, ipsa separatione animæ à corpore & mundo, quæ fit per mortem, potissimùm illi, qui res huius vitæ maximo affectu & ardore diligit. Vsurpare potest illa verba, Ezec. 3. *Abij amarus in indignatione spiritus mei.* Eccles. 41.3. *ô mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in diuitijs suis.* Quemadmodum qui longam confecturus est peregrinationem nec breui reuersurus, si omnia quæ illi sunt necessaria videlicet multas pecunias & alia eiusmodi habeat, lætus & securus itineri se committit: Sin minùs tristis & inuitus abit, sciens se multa perpessurum incommoda. Sic qui decedens ex hac vita vt abeat in longinquam regionem, à qua non est reuersurus ampliùs, multas sibi debet parare pecunias, hoc est multa bonarum actionum merita, quæ in futura vita recipientur & admittentur: Quibus si careat, abibit miser & inops qui nec à Deo nec ab Angelis bonis lætanter excipietur: imò à malis in hospitium inferni detrudetur. Prouerb. 7. *Abijt via longißima, sacculum pecuniæ, secum tulit, in die plena lunæ reuersurus.* In quibus verbis tria considerare possumus.

Mors amara diuiti.

Ezech. 3. 14.

Similitudo.

Prou. 7. 19.

Primò distantiam terminorum.

Secundò, abundantiam meritorum.

Tertiò, resurrectionem futurā mortuorū.

Circa primum animaduerte, eum qui moritur dici, in longissimam regionem abire, quia magna est distantia inter viuos & mortuos. Quæ dupliciter consideratur: Secundùm locum, & secundū statum: Locus bonorum finalis, est

Mortui à viuis multū distant.

cœlum ſupremum & Empyreum, quòd maximo interuallo diſtat à terra. *Diſtantia inter viuos & mortuos.* Nam vt ait Alfraganus 15. cap. libri ſui. A terra vſque ad cœlum ſtellatum, numerant ducenta millia & triginta ſex milliaria. Inde verò vſque ad cœlum Empyreum ignotum eſt, cùm *Eccl. 1 2.* nobis ſit inuiſibile. Eccleſ. 1. *Altitudinem cæli quis dimenſus eſt?* Probabile tamen eſt eam eſſe maximam, cùm ſupra cœlum ſtellatum etiam à Doctoribus agnoſcatur cœlum aqueum. Ideo in figura dictum eſt Eliæ 3. *3. Reg. 19. 7.* Reg. 19. *Grandis tibi reſtat via.* Si autem qui excedit è vita, in infernum rapiatur, etiam diſtantia localis eſt magna, cùm dicatur eſſe in centro terræ, vel circa illud, quòd diſtat à ſuperficie, ex eodem Alfragano ferè ſex millibus & quingentis milliaribus.

Peccati pondus. Sed valde mirabile, quòd quamuis ſit tanta diſtantia, tam magnum eſt pondus peccati, vt peccatores in puncto, eò deſcendant. Iob. 12. *In puncto ad inferna deſcendunt*: Attenditur etiam diſtantia ratione ſtatus, quia huius vitæ ſtatus eſt temporalis & mortalitatis, futuræ verò eſt æternitatis: Inter quos nulla ferè eſt comparatio, vnde non eſt mirum ſi ille qui abit ex hoc mundo, dicatur *Luc. 19. 12.* in longinquam regionem proficiſci. Luc. 19. Habemus huius rei figurã, *homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam.* Hic homo eſt noſtra anima, quæ ab Apoſtolo, dicitur homo interior, qui nobilitatem habet, cùm ſit de genere Dei, abit in regionem longinquam,

cùm moritur, & aliam vitam petit longissimè ab hac distantem.

Secundò, in auctoritate præfata Prou. 7. notatur abundantia meritorum cùm dicitur, *Sacculum pecuniæ secum tulit*: Sacculus iste, est meritorum congregatio, quæ ex bonis operibus colligit, & præcipuè ex eleemosynis, Eccles. 29. *Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso.* De Auaro verò & vsurario qui non solùm sua denegauit pauperibus, sed potiùs de pauperum labore pecunias exegit & suas diuitias congregauit dicitur illud Act. 8. 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* *Prou. 7. 19.* *Merita.* *Eccl. 29. 16.*

Tertiò, notatur in prædicta auctoritate resurrectio mortuorum, cùm dicitur in die plenæ Lunæ reuersurus. Luna est Ecclesia, quæ tunc erit plena, quando completus erit numerus electorum, tunc enim erit, *Quasi luna plena in diebus suis*, Eccl. 50. 6. Et in diebus Lunæ plenæ, erit dies resurrectionis, ad iudicium: Tunc enim dies pleni inuenientur in eis, & tunc quilibet suum corpus resumet videlicet nunquam amplius moriturum, Daniel. 13. 49. *Reuertimini ad iudicium.* *Resurrectio mortuorū.* *Eccl. 50. 6.*

In vltima parte Thematis ex 38. Psal. ostendit Propheta, se diem in separatione à Deo, reformidare damnationem æternam, cùm dicit, *Et ampliùs non ero.* Ait Glos. cū Deo videlicet. Nam licet damnati subsistāt in esse naturæ, illud tamen est cum tanta miseria, vt meliùs *Psal. 38. 18.* *Damnati.*

sit illis, non esse, quàm esse. Vnde quia carent
Psal.139 11. Deo, dicuntur non subsistere Psal. 139. *In ignẽ deÿcies eos, & in miserÿs non subsistent*. Prou. *Verte impios & non erunt*, scilicet cum Sanctis in cœlo. Apoc 12. 8. *Non est inuentus locus eorum amplius in cœlo:* Nec etiam cum viuentibus hîc in mundo Psal. 36. *Vidi impium superexaltatum*
Psal. 36. 37. *& eleuatum, sicut Cedros Libani: Et transiui, & ecce non erat, quæsiui eum, & non est inuentus locus eius*, scilicet cum hominibus in mundo, sed cũ dæmonibus in inferno, in æternum exclusus à cœlesti beatitudine. Ad quam nos perducat Christus Dei filius, qui sine fine viuit & regnat. AMEN.

DE MISERA CONDITIONE HOMINIS VIVENTIS & morientis.

THEMA.

Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ
Iob.30.19. *& cineri* Iob. 30.

Natura triplex à Deo condita.

DEus in mundi creatione, triplicem condidit naturam: primã purè spiritualem, videlicet, Angelicam: secundam purè corpoream, qualis est natura elementorum, & multorum aliorum: Tertiam cõpositam, ex spiri-

tuali & corporali, quæ eſt humana, compoſita ex anima & corpore: Ex parte igitur ſpiritualis naturæ, habet nobilitatem quādam, ex parte verò materiæ, id eſt corporis, ignobilis dicitur. Id præfiguratum eſt, in ſtatua, quam ſomniando vidit Nabugodonozor, Daniel 2. Quæ in ſuperiori parte erat aurea, in inferiori lutea: Sic ratione mentis, habet homo auri nobilitatem, ratione corporis, vilitatem luti. Vnde beatus Iob miſeriam & vilitatem hominis in perſona ſuipſius tripliciter deſcribit, ſcilicet, quantùm ad principium; ad medium, & terminum. *Daniel. 2. 31* *Vilitas hominis.*

Primum, accipitur à prima corporis formatione.

Medium, in vitæ duratione.

Tertium, attenditur in vitæ duratione.

Circa primum obſeruandum eſt, omne quod generatur ex aliqua materia, ſequitur naturam & proprietates materiæ, vnde quod natum eſt ex carne, caro eſt, & qui de terra eſt, de terra loquitur, & quod factū eſt de luto, luto comparatur. Iob. 10. 9. *Memento, quòd ſicut lutum feceris me.* Quod dicitur ex parte corporis, quia lutum coinquinat: Nam pes vel veſtis adhærendo luto immunditiam contrahit: Sic anima ex vnione ad corpus, inficitur originali peccato: Similiter dum pes adhæret luto animæ & ſequitur deſideria carnis, vita hominis immunda & vilis eſt. De quo ait Sapiens, cap. 15. Sap. *Vilior luto vita eius.* Quòd potiſſimùm intelligi debet, de vita hominis libidinoſi, quia *Homo lutū. Cur?* *Sap. 15. 10.*

licet lutum dicatur vile & impurum, tamen non ingerit aspectui hominum pudorem & horrorem, sicut impuritas impudici & luxuriosi, ideoque latibulum quærit. Item lutum aggrauat, quia graue est ex se. Fit enim ex mixtione aquæ & terræ, qúæ grauiora sunt elementa. At Sap. 9. dicitur, *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*: Et quantò plus anima voluptatibus corporis delectatur, tantò maiori sarcina vitiorum, & peccatorum grauatur & deprimitur. Vnde Abacuh. 2. 6. *Vsquóque aggrauatur contra se densum lutum?* Item lutum debilitat, quia vas quod ex luto fit, propter ipsius luti mollitiem, est debile & fragile: Sic corpus humanum, quia admodum passibile est, & frangibile per mortem, ideò significatur per illud vas luteum, de quo Hierem. 18. *Dissipatum est vas, quod ipse faciebat ex luto.* Quibus verbis tria figuraliter tangit, de vase humani corporis.

Luxuriosus lutum.

Sap. 9. 15.

Abac. 2. 6.

Hier. 18. 4.

Primò, ipsius fragilitatem, ex mortis violentia.

Secundò, ipsius vtilitatem, ex virtutis continentia.

Tertiò, ipsius vilitatem, ex primordiali materia.

Obserua hominem esse omni vase fictili fragiliorem, quia vas fictile nisi percutiatur aut cadat, non frangetur: Sed vas humani corporis, per seipsum & in breui corrumpi-

Homo vas fragile.

tur, & conſumitur. In hoc tamen, corpus humanum vaſi luteo comparatur: quia vas fictile duobus modis frangi ſolet. Primò, caſu, vt ſi cadat: Ita vas corporis noſtri ex impulſu tentationis, & diaboli, & ex caſu primi hominis in peccatum confringitur, & diſſipatur per corporis & animæ diſſolutionem. Rom. 8. dicitur, *Corpus propter peccatum mortuum eſt*, Iob. 4. *Catuli Leonis diſsipati ſunt*; Primus homo fuit vt Leo, de quo Pſal. 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas inſuper & pecora campi.* Leo habetur vt Rex beſtiarum, cuius catuli, ſunt omnes homines ab eo deſcendentes, quia ex eius peccato omnes diſſipantur per mortem.

Vas fictile corpus hominis duobus modis frangitur.

Rom. 8. 10.

Iob. 4. 11.

Pſal. 8. 7.

Secundò, vas fictile frangitur alicuius percuſſionis ictu, ita eſt de corpore quod ſæpe moritur aliqua leui percuſſione, ſiue hominis, ſiue Dei, vt eſt morbus aut afflictio, quæ licet videatur caſualis & fortuita, eſt tamen præuiſa & ordinata à Deo. Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Hoc intelligitur de malo pœnæ, quod varijs modis à Deo infligitur ad conterendum vas corporis noſtri, ideo Eſay. 24. 1. *Ecce Dominus diſsipauit terram*, id eſt, corpus hominis de terra formatum.

Fragilitas hominis.

Amos 3. 6.

Confringuntur etiam aliquando vaſa, ex colliſione vnius ad alterum: fit idē in homine, quando vnus percutit & interficit alterum. Luc. 9. 39. *Elidit & diſsipat eum*: Monet Sapiens ne pauper quidquam habeat

commune aut discuriēdum cum diuite & potente, quia tandem opprimetur & confringetur ab eo, sicut cacabus debilis & paruus, si collideret cum olla magna & feti, statim frangeretur ab ea. Eccl. 13. *Ditiori te ne sis socius.* Quid communicabit cacabus ad ollam, quādo sese colliserint, cacabus confringetur.

Eccl. 13. 2.

Corpus humanum vas fictile.

Secundò, agitur Hier. 18. 4. de corporis vtilitate, quæ innuitur similitudine vasis, cùm dicitur (Vas) licet enim sit vas fictile, continet tamen Thesaurum pretiosum virtutis continentiæ, seu virginitatis. Si aliquis seruet liquorem pretiosum in vase fictili, illud diligenter custodit, ne fortè frangatur, & liquor effundatur: Nullum balsamum est Deo pretiosius virtute continentiæ, quia non est digna ponderatio animæ continentis. Et 2. Cor. 4. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*, id est, corporibus fragilibus, ideò omnis diligentia adhibenda est, vt custodiantur, ne per incontinentiam corrumpantur, & liquor virginitatis effundatur. Vas mundum semper vtile, vt in eo aliquid recondatur: Ita corpus mundum & sanctificatum per continentiam & mundiciam, ad omne opus bonum est vtile. Et hoc est quod Paulus ait, 2. ad Timo. 2. 21. *Si quis emundauerit se ab his*, Scilicet, peccatis, *erit vas in honorem sanctificatum, & vtile ad omne opus bonum.*

Virginitas.

2. Cor. 4. 7.

Continētia.

Hier. 18. 4.

Tertiò, agitur auctoritate citata ex 18. cap. Hierem. de corporis humani vilitate, quam ostendit materia, de qua fuit formatum, quia

de luto, licet enim corpus hominis, ſit ex quatuor elementis compoſitum: & apparet virtus ignis in cordis & ſtomachi calore, & virtus aëris in reſpiratione, & eſt virtus aquæ in corporis humiditate: tamen magis apparet terræ proprietas, ſcilicet, ariditas in oſſibus, grauitas in membris omnibus, & craſſities in corporis eius denſitate. Abundat igitur lutum, & cætera elementa ſuperat, in corporis humani conſtitutione. Eſt parum ignis, vt homo parùm inflammaretur igne iræ, auaritiæ, & carnalis concupiſcentiæ, & tamen contrariū accidit. 1. Ioan. 5. 19. *Totus mundus in maligno poſitus eſt*: Parùm eſt aëris, vt homo elationem fugere doceretur: parùm aquæ, ne leuis, inſtabilis, & mollis eſſet. Iob. 24. *Leuis eſt ſuper, faciem aquæ.* Eſt autem multùm luti in corpore humano, quia terra eſt elementum frigidum, firmum & infimum, vt homo frigiditati iracundiæ, auaritiæ & incontinentiæ potiùs ſtudeat, quàm ardori: timoremque ſuperbiæ, & leuitatem inconſtantię fugiat. Licet ergo homo ſimilitudinē Dei habeat, ex parte animæ, ex parte tamen corporis ad ſui eruditionem & humiliationem, habet ſimilitudinem luti. Dicat igitur illud Eſa. 64. *Nunc Domine Pater noſter es tu, Nos verò lutum.*

Lutum in homine ſuperat alia elementa.

Iob. 24. 18.

Eſa. 64. 8.

SECVNDÒ, in Themate aſſumpto Iob. 30. 19, Notatur miſeria vitæ humanæ, in vitæ duratione, cū dicitur, *Aſsimilatus ſum fauillæ.* Nam fauilla (ſicut ait Iſidorus) eſt cinis modicus, ex extinctione ſcintillantis materiæ de-

Vita humana miſeria.

relictus: Vnde sicut talis materia modica est, & à vento citò tollitur, & à vento & turbine rapitur & dissipatur, ita modica est vita hominis & citò à morte tollitur. Vnde Iob. 21. *Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turbo dispergit.*

Fauilla quid.
Iob.21.18.

Vita humanæ fragilitas duplex.

In quibus quidem verbis, iuxta expositionem Sancti Tho. notatur duplex humanę vitæ fragilitas. Vna quantùm ad vitam corporalem, quæ non potest aduersitatibus resistere, sicut nec paleæ possũt resistere vento, propter sui leuitatē. Ideò dicit, erũt sicut paleæ ante faciē vēti. Et hoc accidit propter duo: Aliquãdo propter aduersitatũ magnitudinē, quæ nõnũquã tã violētes sũt, vt extinguãt hominē. Io.27 *Tollet cũ vētus vrēs*, id est afflictio vehemens, eũ ducet ad mortē. Aliquando ex mala corporis dispositione, quia nõ eã patiēter ferunt, & ad iracundiã, impatientiã, & desperationē præcipitãt. Iob.4.5. *Venit super te plaga, & defecisti*: Hîc nota, paleã, id est, malorũ vitã, vt quædã est sicca, humore deuotionis carere & etiã vi ignitæ charitatis, atq. õni põdere virtutis: hîc concutitur vento afflictionis, & in inferno inextinguibili igne exuritur Matt.3.12. *Congregabit triticũ*, id est, bonos, *in horreũ suũ, paleas autē*, id est, malos, *cõburet*, igne perpetuo. Secũdò, fragilitas humanę vitę spectatur penes vitã spiritualē, quæ ita est debilis & infirma, vt nõ possit tentationibus resistere, sicut nec fauilla turbini. Vnde ait, *Et tanquam fauilla, quam turbo disper-*

Iob.27.21.

Matt.3.12.

gat, Iob.21. Vbi primò obſerua ſpiritualis vitę hominis debilitatem in fauilla, & diuiſionem in diſperſione. Quantū ad primum, nos videmus, quòd inter ōnes fauillas, illa quæ eſt ſtupæ aduſtæ eſt admodū debilis & vilis, quia nec vento reſiſtere poteſt, nec ad vſū alicuius operis valet, & hęc eſt fortitudo hominis circa ſpiritualia: homo enim ex ſe, ſine gratiæ diuinæ auxilio, nullo modo eſt potēs ad reſiſtendum malo, nec ad vllū bonum ſufficiens: Et licet aliquando videatur bene agere, erit quidem apparenter bonum apud homines, apud Deum nihil, cùm non mereatur, & ſic erit ſicut ſcintilla ignis, quæ ſplendendo apparet, & apparēdo deficit. Eſa. 1. *Erit fortitudo veſtra ſicut fauilla ſtupæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla.*

Iob.21.18.

Deuotio hominis debilis.

Gratia neceſſaria.

Eſa.1.31.

Notandum, quòd fauilla vitæ corporalis multùm humiliat homines ſpirituales, ſiue feruentes ſint, ſiue de nouo pœnitentes, Quia fauilla inhærens carboni ignito, fulgorem eius occultat, calorem attenuat, & ardorem diminuit. Tanquam carbo ignitus, eſt feruens ſpiritus, qui tamen ex fauillæ cinere, id eſt, ex vitæ corporalis reſolutione, ſub corporis humilitate occultatur: Sicut ſpiritus feruens Apoſtoli Pauli, qui relucebat in eius ſcriptura, non oſtendebatur in corporali eius præſentia. Vnde ait ipſe 2. Cor. 10. 10. *Graues ſunt, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis.* Item attenuatur ex carnis contrarietate, quia

Fauilla vitæ corporalis.

ex pugna carnis aduersus spiritum, feruor spiritus remittitur Iob. 17. *Spiritus meus attenuabitur*: Ad Gal. 5.17. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Item minuitur ex carnis corruptibilitate, & ista minoratio fit tripliciter.

Iob. 17. 1.

Primò, in contemplatione, Sap. 9. *Infirmi & exigui temporis, & minor ad intellectum.* Secundò in dilectione, ibidem, *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam*, scilicet, vt non possit per amorem ad superna eleuari. Tertiò, in operatione, *quia spiritus promptus est, caro autem infirma est*, Matth. 26. His multùm humiliatur homo etiam feruens, dum se fauillam esse cogitat, quia fauilla dum est ignita, sursum rapitur vento, extincta proprio pondere ad ima deprimitur. Sic anima hominis hîc calore charitatis inflammata, & flatu spiritus sancti sursum rapta, cœlestia appetit, relicta verò naturæ suæ, proprio pondere & corporis mole aggrauata semper ad ima descendit, Esa. 29. *Erit sicut fauilla pertransiens*, scilicet, de feruore in teporem. Homo verò qui ad pœnitentiam conuertitur, ex duobus præcipuè timet & humiliatur. Scilicet ex consideratione propriæ fragilitatis, qua fauilla designatur, & mortis, quæ repræsentatur in cinere, in quem corpus per mortem resoluitur. Vnde Iob. 42. 6. *Ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere, hoc est, in corpore meo, quod est fragile vt fauilla & resolubile in cinerem.*

Sap. 9. 5. 15.
Fauilla humiliat hominem.
Matt. 26. 41
Esa. 29. 5.

Secundò, consideranda est, vitæ humanæ

expugnatio, cùm dicit, *quòd turbo diſpergit,* Iob. 21. 18. A turbine enim fauilla percutitur, quando vita humana, diabolica tentatione impugnatur. De hoc turbine, dicitur Ezech. 1. *Ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna & ignis inuoluens.* In hac figura Prophetica innuitur triplex tentatio. Prima pertinet ad vitium Superbiæ, cùm dicitur, *Ventus turbinis venit ab Aquilone,* Greg. ventus eſt tentatio mentis, videlicet, ſuperbia, cuius eſt cor eleuare, vnde aſſimilatur vento, quia ſicut ventus eleuat corpora leuia, ita etiam ſuperbia extollit corda vanitate referta Iob. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur.* Sed nota eos, qui vento flante aſcendunt, eo quieſcente corruere, vt ſunt ſuperbi Iob. 30. *Eleuaſti me, & quaſi ſuperponens, eliſiſti me valde.* Sed quia ſuperbia non ſolùm mentem eleuat, ſed etiam perturbat, ideo tentatio ſuperbiæ ventus turbinis appellatur, Nam vt turbo aërem obſcurat, ita ſuperbia mentem, Iob. 3. *Noctem illam tenebroſam, turbo poſsideat:* Quod fit, quando ſuperbia occupat mentem, & dicitur tenebroſus turbo, quia oculum mentis obſcurat, & turbo, quia turbat ſuperbientis animum, reddit etiam illum amarum & inquietum, Pſal. 45. 3. *Conturbati ſunt montes,* id eſt ſuperbi. *Veniebat ille turbo ab Aquilone.* Ezech. 1. 4. Quia ſuperbia à diabolo eſt, Eſa. 14. ille ſuperbiens dixit, *Sedebo in monte altiſsimi teſtamenti, in latere Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium,*

Turbo tentationem ſignificat.

Ezech. 1. 4.

Tentatio ſignificata per turbinẽ.

Superbia ventus ſeu turbo.

Iob. 30. 22.

Iob. 3. 6.

Eſa. 14. 13.

& similis ero altissimo. Hinc ait Hugo à Sancto Victore: *Superbia in cœlo nata est, sed velut immemor qua via inde ceciderit illuc postea redire non potuit.*

Luxuria nubes magna. Secunda tentatio pertinet ad vitium luxuriæ, & ista dicitur nubes magna; nubes quia rationem offuscat: Nam sicut nubes densa offuscat aërem, lumen solis intercipiendo, sic concupiscentia carnis, offuscat lumen rationis obumbrando. Vnde Gregor. Nazians. dicit, quòd caro est velut nubes crassa & densa, quæ se animæ obijciens, diuina & cœlestia contemplari non sinit Ezec. 32. *Solem* id est, lumen rationis, *nube tegam.* Quæ quidem nubes, dicitur magna.

Caro nubes crassa & magna.

Ezech. 32. 7

Primò, ratione generalitatis, quia omni homini inest pugna carnis. Grego. *In hoc mundo, cum nostris tentationibus nascimur, & caro aliquando nobis auctrix est in bono opere, aliquando seductrix in malo.* Item est magna, ratione continuitatis, Hiero. in Epist. Quocunque pergamus nobiscum inimicum, id est carnem portamus, & ideo eius pugna perpetua est: Difficultate etiam, vnde August. in quodã sermone ait, *Inter omnia certamina Christianorum, duriora sunt prælia castitatis.* Nam ibi continua pugna, & tota victoria.

Auaritia. Tertia tentatio, est auaritiæ, & ista dicitur ignis, propter insatiabilem cupiditatem hominis, Prouerb. *Ignis nunquam dicit, sufficit*, sed inuoluens, quia auari inuoluunt se multis

multis curis, negotiis, & peccatis, Iob. 6. 18. *Inuolutæ sunt semitæ gressuum.*

Tertiò in fine auctoritatis ex Iob. 21. ostẽditur humanæ mentis diuisio, cùm dicit, *quem turbo dispergit*: Nam tentatio diuersis vitiis hominem tentat, & dispergit mentem in varia peccata & vitia. Et in hoc Diabolus est similis Euilmerodach, de quo legitur in historia Babylonica, quòd mortuo patre timens ne resurgeret & regnum ei auferret, cor patris in multas partes diuisit, & diuersis vulturibus tradidit, dicebat enim Patrem non posse resurgere donec in vnum omnes vultures conuenirent: Sic Diabolus timens ne peccator per pœnitentiam resurgat, & regnum cœlorũ acquirat, cor humanum diuidit diuersis vulturibus, id est vitiis, Abac. 3. *Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me.* Sceptra Diaboli sũt peccata, quibus in hominibus dominatur. Bellatores eius sunt prauæ suggestiones, quorum caput est Diaboli malitia: Et si veniunt ad dispergendum cor hominis, tanquam turbo cũ inuolutione & impetu. Sed tamen Deus illis maledicit, quando per auxilium gratiæ suæ, ab eis hominem defendit & eripit. Per turbinem tentationum, dispergitur etiam mens hominis per diuersas cogitationes vanas, curiosas, & inutiles, quas suggestiones sequuntur. Ait enim Ambros. in hexamer. quòd cancer quando videt ostream apertam ad rorẽ suscipiendum, immittit lapillos paruos, sicque deuorat

Iob. 21. 18.

Tentatio est velut turbo.

Diabolus pœnitentiã impedit.

Abac. 3. 14.

Turbo tentationum quid efficiat

suggestiones à Diabolo. carnem ostreæ interiorem. Ita Diabolus dum videt cor hominis apertum vanis cogitationibus, immittit lapillum suggestionis, & bonū interius euacuat. A carne autem impellitur mens ad cogitationes libidinosas, quib⁹ si quis immoretur, confestim sequitur delectatio, consensus, & peccatum. A Diabolo autem impellitur mens ad cogitationes malitiosas, vt quādo in innocentiam molitur fraudes. Verū à Deo impellitur ad cogitationes bonas & gratiosas, vt quando quis cogitat, qua ratione Deo placêre poterit & proximo: Hæc varietas cogitationum figurata est in statua, quam fabricauit Nabugodonosor, Dan. 2. cuius caput erat ex auro, pectus & brachia ex argento, vēter ex ære, tibiæ ex ferro, pedes de luto: Tunc enim mens est aurea, vel argentea, quando habet cogitationes bonas, & gratiosas, scilicet, quando fulget coram Deo, per contemplationem, & coram proximo, per conuersationem: Est verò quasi ænea, quando habet cogitationes curiosas, æs enim sonorum est: ferrea tunc est, si habet illas malitiosas, per quas cœteros opprimat. At verò est lutea, si cogitationes sūt immundæ, carnis, & pecuniarum. Has mentis dispersiones significauit Oseas. *Dispergentur excelsa Idoli*: id est cogitationes cordis humani, quæ à diuersis tentationibus diuersimodè disperguntur.

Dan. 2. 32.

Nabugodonosoris statua.

Iob. 30. 19.

Tertiò in Themate Iob. 30. Describitur misera hominis conditio, quantùm ad terminum vitæ, propter corporis resolutionem, Ideò dicit, Et *cineri*, scilicet, *aßimilatus sum.* Ex fine

Finis causa iudicij.

de rebus iudicium facimus: sicut medicina, cuius finis est sanitas, iudicatur bona vel mala, quatenus prodest sanitati vel obest, & arbor ex fructu bono, dicitur bona: Vnde quia vita hominis, vili & abiecto fine terminatur, hoc est, ad resolutionem cineris, vilis & contemptibilis iudicanda est, Iob. *Homo in cinerem reuertetur.* In quibus quidem verbis, tangitur duplex causa vilitatis vitæ humanæ

Prima est, ex eo quod dicitur homo: homo enim denominatur ab humo, id est, ab humida terra, de qua primò corpus eius formatum est, Gen. 2. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ*: Cùm enim terra sit vilissimum & infinium elemētum, patet ex vilissimo principio, hominem esse productum, ita vt nullus possit de sua origine gloriari, Eccl. 17. *Omnes homines terra & cinis.*

Vilitas vitæ humanæ.

Gen. 2. 7.

Eccl. 17. 31.

Secunda causa contemptibilitatis hominis, est humilitas termini, quia in cinerē reuertetur. Quædam sunt, quæ licet habeant vile principium, tamen nobilem habent terminum, vt aurum, generatur enim ex vili materia, scilicet sulphure & argento viuo, secundùm Philosophum: Sed tamen generatio ista terminatur ad aurū metallum nobilissimum. At corpus humanū, est ex terrestri materia vili principio, & redit in cinerem vilem terminum & humilē. Vnde Ecl. 10. *Quid superbis terra & cinis?*

Eccl. 10. 10.

Hîc nota, quòd licet homo sit terra & cinis, & formatus de limo terræ, Gen. 2. 7. tamen per donum gratiæ homines tantùm gratiam

Gratiæ effectus. mereri possunt, vt Angelis adæquentur. Hinc ait D. Greg. super Ezech. *Sunt nonnulli qui parua capiunt, sed tamen hæc annunciare fratribus non desistunt: Isti enim in Angelorum numerum currunt.* Quidam simplices & illiterati, verbo & exemplo, quantùm possunt alios ædificant: Si assumuntur ad ordines Angelorum. Quidã magna intelligunt, & alios docent & admonẽt, isti assumuntur in ordinem Archangelorum, Greg. *Sunt* (inquit) *qui secretorum cœlestium sũmæ & capere praualent, & nuntiare, hi cum Archangelis.* Nonnulli per vitæ perfectionem, aliorũ merita transcendunt, hi in ordine Principatuum. Similiter qui bene aliis imperarũt. At qui expellunt de corporibus & animabus aliorum, Dæmones & peccata, virtute orationis, & vi potestatis à Christo acceptæ, ad ordines Potestatum assumuntur. Qui autem miracula faciunt, ad ordines Virtutum. Greg. *Sunt qui mira faciunt signa & potenter operantur, hi cum virtutibus.* Quidam vitiis suis dominantur, & hi cum Dominationibus, & hi velut Dii inter homines vocantur. Vnde ad Moysẽ dicitur, *Ecce constitui te Dominum Pharaonis.*

Quidam sunt valde spirituales, & ideo de
1. Cor. 2. 15. aliis iudicare possunt. 1. Cor. 2. *Spiritualis homo omnia diiudicat, & ipse à nemine iudicatur*: Isti assumuntur ad ordinem Thronorum, Grego. *Sunt* (inquit) *in quibus velut in throno suo Dominus præsidens aliorum facta examinat, per quos dum sancta Ecclesia regitur, plerumque de quibusdam actibus suis infirmis omnes electi iudicantur, & hi*

cum thronis. Alii Dei & proximi charitate flagrant, & hi cum Cherubinis. Grego. Sunt, qui Dei & proximi charitate amplius cæteris pleni ſunt, & hi meritorum ſuorum ſortem inter Cherubin numerũ acceperũt, quia Cherubin plenitudo ſcientiæ dicitur. Et iuxta Paulum, *plenitudo legis electio*. Quidam ſunt igne amoris conuerſi, & in ſolo Dei deſiderio anhelantes. Iſti aſſumũtur ad ordinem Seraphin. Gregor. *Sunt* (inquit) *qui ſupernæ contemplationis amore accenſi in ſolo conditoris ſui deſiderio anhelant, nihil in hoc mundo iam cupiunt, ſolo æternitatis amore paſcuntur, terrena quæque abijciunt, cuncta temporalia mente tranſcendunt, amant & ardent, atque in ipſa ſuo amore requieſcunt, amando ardent, loquendo accendunt, & quoſcunque verbo tangunt, ardere protinus in Dei amore faciunt, quo iſti niſi intra Seraphin numerum ſortem ſuæ vocationis acceperunt*, hæc ille

Item notandum eſt hominem in puluerem duobus modis reuerti: Primò corporaliter, quando per mortem in puluerem reuertitur ſeu reſoluitur. Cuius conſideratione, humiliabat ſe Abraham coram Domino dicens. Gen. 18. *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis?* Secundò, ſpiritualiter, quando homo ſuperbus ad humilitatem pœnitentiæ conuertitur. Vnde mos fuit apud Antiquos in ſignum doloris & pœnitentiæ ſuper caput cinerem ſpargere, Pſal. 147. *Nebulam ſicut cinerem ſpargit*, id eſt, caliginem ſuperbiæ, ad humilitatem pœnitentiæ conuertit, & hoc cinere abluun-

Gen. 18. 27.

Pſ. 147. 5.

tur sordes peccatorum. Porrò sub frigido cinere, ignis extinguitur, & sub calido conseruatur: Sic ignis spiritualis amoris, ex torpore & negligentia pœnitentiæ extinguitur: Sed inferiore pœnitentiæ conseruatur & nutritur, & pro tali cinere dabitur corona gloriæ, Esa. 61. *Dare meis coronam pro cinere*, id est, pro humilitate pœnitentiæ dignitatē æternæ gloriæ. Ad quam nos perducat Iesus Christus Dei filius, qui sine fine viuit & regnat.

Esa.61.3.

AMEN.

DE VILI CONDITIONE HOMINIS IN VITA, ET post mortem.

THEMA.

Gen.3.19. *Puluis es, & in puluerem reuertēris*, Gen. 3.

Cognitio sui ipsius.

PLato definiens Philosophiam, dixit sui ipsius cognitionem esse: hinc D. Bernard. Stude (inquit) teipsum cognoscere, quia talis cognitio multò est melior & præstantior ea, quæ est syderum, stellarum, & omnium animalium: Ignauia tamen patet multorum, qui ea contempta, cætera diligentissimè inquirūt. Vt igitur quid sit homo, & quid futurus sit,

doceat Deus optimus maximus dixit primo nostro parenti: *Cinis es & in cinerem reuerteris.* In quibus verbis, vilem & miseram conditionem hominis, dupliciter describit. *Hominis cōditio vilis & misera.*

Primò, quantùm ad defectum præsentem.

Secundò, quantùm ad exitum sequentem. *Homo puluis & figmentum.*

Circa primum, notandum est, hominem dici puluerem, quia sicut puluis facilè mouetur, eleuatur, & dispergitur: Ita homo vento mortis aduersitatis, tentationis, prosperitatis, facilè mouetur, eleuatur, & dispergitur. Vnde Psal. 34. *Fiant tanquam puluis, ante faciem venti.* *Psal. 34. 6.* Qua facilitate à Deo considerata facilis nostri miseretur, Psal. 102. *Misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, & recordatus est, quoniam puluis sumus, homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri sic efflorebit: Quoniam spiritus pertransibit in illo & non subsistet, & non cognoscet ampliùs locum suum.* *Ps. 101. 13.* Quibus verbis tria aguntur.

Primò, narratur effectus diuinæ pietatis.

Secundò, allegatur prospectus humanæ fragilitatis.

Tertiò, explicatur defectus variæ calamitatis hominis.

De primo, dico timentibus Deum per pœnitentiam ex misericordia Dei remitti peccata omnia actualia: Nam originale remittitur per baptismū. Porrò licet in omni opere Dei reluceat iustitia & misericordia, magis tamen misericordia propter quatuor. Primò propter perfectionem, nam sicut forma est nobilior, *Misericordia Dei magis relucet quā iustitia*

quàm materia, ita anima corpore. In naturalibus etiam illa pars cõpositi quæ locum formæ tenet, est nobilior & principalior altera, vt patet de Sole qui in generationibus se habet vt pater, terra verò tenet locum materiæ, vt mater.

Nunc autem Deus est nobilissimum agens: homo verò habet rationem materiæ & subiecti: Et hinc homini conuenit Diuina iustitia, vt ei secundùm proportionem tribuat naturalia. Deus autem tenet locum formæ, scilicet misericordiæ: Vnde sicut Sol est principalior agens in generatione, sic misericordia in diuina operatione, eo quòd attenditur penes Deũ incoatiuè, Diuina verò iustitia penes hominem terminatiuè, vnde Iacob. 2. *Misericordia*
Iaco. 2. 13. *superexaltat iudicio*, id est, præeminet in iudicio, quia licet Deus sit æquè iustus & pius, tamen magis relucet in iudicio, quia licet Deus sit æquè iustus & pius, tamen magis relucet in iudicio suo misericordia, quàm iustitia, quia est velut agens potentior per misericordiam, quã sit homo patiens ad suscipiendam iustitiam, vnde clamat Psalmista, Psal. 144. *Miserationes super omnia opera eius.* Non est mirũ, quia quod
Ps. 144. 9. est proximum alicui, excedit alia minùs propria & accidentia, vt magis conuenit homini esse rationalem, quàm risus capacem. Similiter licet Deus sit iustus & misericors, & multas alias habeat proprietates, tamen super opera sua vtitur misericordia: Hinc ita rogat Ecclesia *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.*

Secundò propter miraculosam Dei operationem: Licet enim in miraculis Dei omnipotentia, magis tamen misericordia relucet, quia Deus mouetur ad ea perpetranda. Ille enim nostræ salutis cupidissimus, viros optimos noui & veteris testamenti præposuit, qui Doctrina & exemplo nos docerent, & miracula ad vitæ & doctrinæ confirmationem facerent. Vt videre est, quando Deus eduxit populum Israeliticum de seruitute Pharaonis, Nam vt ille Moysi crederet, manus eius polluitur & sanatur: Vt eius vitam & mores imitaretur, resplenduit facies eius, sicut Sol: Vt Pharao populum dimitteret, mittit Moysem cum decem plagis grauissimis: Vt doceret viā rectam ad terram promissionis, datur columna ignis: Ne affligatur æstu nimioque calore, datur columna nubis, Exo. 13. Vt non pereat fame, datur manna de cœlo, Exod. 16. 4. Vt delectetur carnibus, *pluit super eos, sicut puluerē carnes*. Ne aquis deficientibus siti affligatur, educitur aqua de petra. Exo. 17. 6. Ne capiatur ab hostibus, mare diuiditur, Exo 14. 28. Ægyptus submergitur. Ne vestimenta ei deessent, quadraginta annis non sunt vetustate attrita, Deuter. 29. 5. Vt exiret desertum, Iordanis diuiditur, Iof. 15. Vt terram promissionis intraret & possideret, triginta duos Reges debellauit, Iof. 12. 1. Tandem sicut miracula multa fecit Deus, vt populum Hebræum de Ægypto educeret: Sic vt genus humanū ad regnū cœleste perduceret, multò plura & præ-

Misericordia Dei magis relucet in miraculis quàm Dei potentia.

Exo. 13. 21

Miracula ex Dei misericordia.

Iof. 13. 2.

stantiora miracula in nouo testamento peregit: in creaturis intellectualibus, dæmonia expellendo: In cœlestibus nascens noctem illuminando, moriens diem obscurando: In ventis, mare sedando: in terra, mortuos suscitando, Spiritum Sanctum in specie ignis mittendo: In creaturis rationalibus infirmos sanando, ignaros docendo, impios conuertẽdo. In quibus omnibus miraculis, licet nobis eius manifestetur omnipotentia, principalior tamen est eius misericordia, qua motus fuit, ad eiusmodi facienda miracula, scilicet, vt nos ab hac misera vita ad fœlicissimam perduceret.

Fides ex misericordia Dei.

Tertiò, propter communicationem virtutum. Primò vt fideles essemus Deo. *Sine fide enim Deo placêre non possumus, Hebr.* 11. Dedit fidem quasi fontem. Nam omnes fidei aquam biberunt, & eam reposuit in patribus veteris & noui testamenti: quibus velut conductum sapientiam contulit, quæ nos doceat arcana Dei: At vt illius capaces efficeremur, vasa tribuit ad bibendum, Dum eis dedit sermonem scientiæ, id est cognitionem creaturarum, per quam tanquam per visibilia, nos ad cognitionem inuisibilium duceremur: quę quidem vt aliis communicaretur, datum est donum linguarum, & sermo interpretationum. Quã doctrinæ aquam vt omnes alacri animo exciperent, velut à Deo infusam, dedit eis testimonia Diuina, scilicet, Prophetiam, qua prædicebant futura, discretionem spirituum,

Heb. 11. 1

qua occulta cordium pronuntiabant, gratiã curationum, qua morbos insanabiles curabãt gratiam miraculorum, qua mira operabantur, mortuos suscitando, & de cœlo signa faciendo.

Et hæc omnia Deus per suam omnipotentiam operatus est, non aliunde tamen motus, quàm ex sua misericordia, quæ vnicuique dedit manifestationem spiritus ad vtilitatem miserorum, 1. Cor. 12. Sicque diuina misericordia magis ad confidentiam & consolationem, quàm iustitia ad timorem & supplicium manifestata. *1. Cor. 12. 7.*

Quartò, propter conuersionem magis relucet misericordia diuina. Grego. in quædam collecta, ita Deum precatur, & post eum Ecclesia. Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas, quia videlicet, dùm peccata remittit, ostendit potentiam, dum hominem remouet à miseria culpæ, & ipsum promouet ad fœlicitatem, misericordiam declarat. Porrò in remissione peccatorum Deus quatuor præstat homini. Primò mundat animam à peccato denigratã, Thren. 4. *Denigrata est super carbones facies eorũ*, sic decor animæ reformatur: Secundò remittit pœnam, reatum gehennæ à regno Dei excludendo, sicque hominem dignum efficit vita æterna: Tertiò infudit gratiam iustificantem, per quam homo multò plura & excellẽtiora operatur, quàm per virtutes naturales, quæ sunt finitæ efficacitatis: Quartò confert

Conuersio ex misericordia Dei

Threno 4. 8.

In remissione peccatorũ Deus quatuor præstat.

vitam beatam, promissis Dei in hac vita certissimam, in futura perpetuam, à nulloque Angelo vel homine auferendam, hęc omnia à Deo postulabat Dauid dicens Ps. 50. 1. *Miserere mei Deus secundùm magnã misericordiam tuã: Et secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius laua me*, propter infusionem gratiæ. Subdit, *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam*, quod intelligitur de promissione vitæ æternæ, Luc. 1. *Misericordia eius, à progenie in progenies timentibus eum.*

Ps. 102. 13. Secundò in auctoritate citata superiùs, ex Psal. 102. prospectus humanæ infirmitatis ostẽditur his verbis, *quoniam ipse cognouit figmentum nostrum*, id est, infirmitatem nostram, quasi dicat, nouit quod lapsum sit, quomodo reficiendum, adoptandum, locupletandum. Nouit illud esse infirmum, & debile. Vas vacuũ, modico impulsu mouetur & cadit: homo vacuus præsentia & gratia Dei, citò mouetur & cadit, sed non ille qui est Deo & gratia plenus. Est figmentum fragile, quia citò frangitur, ita homo paruo vulnere moritur: Sap. 15. *Fragilia vasa finxit.*

Homo figmentum.

Figmentum est homo. Circa illud figmentum nostrum, quidam hæretici malè opinati sunt, vt Manichæi, qui Deum, hoc non fecisse asseruerunt, sed Diabolum: fabulantur enim luciferum eiectum e cœlo duo corpora in terra fabricasse, & illius precibus, in ea duos Angelos misisse, in quibus dormierunt, & cœlestis patriæ obiecti, his inclusi remanserunt. Isti vt dicunt sunt A-

dam & Eua, à quibus duobus omnes alij homines descenderunt.

Haeretici qui Deum ignorantem fecerunt.

Alij dixerunt Deum nostra corpora non cognoscere, Quòd Deus sit immaterialis & incorporeus: At spiritus (inquiunt) non potest nisi spiritualia intelligere & cognoscere. Verũ hi duo errores à scriptura damnantur, Esa. 29. *Peruersa est haec vestra cogitatio, quasi lutum contra figulum suum cogitet, & dicat opus factori suo, non fecisti me, & figmentum dicat fictori suo, non intelligis.* Vnde contra primum errorem dicitur, Esa. 64.8. *Nunc Domine Pater noster es tu, nos verò lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Contra secundum errorem dicitur in auctoritate, Psal. 102. 14. *Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum*, & Ps. 32. *Qui finxit sigillatim corda eorum:* Si corda, ergo etiam corpora. *Qui intelligit omnia opera eorum*: Haec sunt contra eos, qui agunt nefandissima, ac si Deus eos non videret, Psal. 93. 7. *Dixit non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob?* Contra quos subdit, *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite: Qui plantauit aurem non audiet; &c. Et qui corripit gentes non arguet?* Qui igitur Deum tantùm cognoscere similia & vicina opinantur, eos redarguit Hier. 23. His verbis, *Putasne è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe? Omnia cognosco, si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum?* Deus igitur licet purissimus & simplicissimus sit intellectus in natura, omnia tamen cognoscit etiam particularia & corporalia, quia vt

Esa. 29. 16.

Ps 32. 15.

Scientia Dei ad omnia.

Hier. 23. 23.

ait D. Dionysius, perfectiones quæ in his inferioribus sparsæ sunt & diffusæ, in Deo vnitæ & simplicissimæ existunt, vt proinde omnia per simplicem suum intellectum cognoscat, Cùm ipse omniū rerum sit causa efficiens, artifex, & exemplar, non solùm quantùm ad formam, sed etiam quantùm ad materiam, & particulares naturas: Et licet Deo sit dissimilis materia, quatenus tamen habet esse, quādam diuini esse tenet similitudinem, ideo Ps.

Ps. 38. 13. 138. 4. Propheta dicebat. *Tu cognouisti omnia nouissima & antiqua, tu formasti me, &c.*

Obliuio non est in Deo.

Tertiò, in auctoritate citata, describitur defectus variæ calamitatis humanæ, cùm subditur, *& recordatus est, quoniam puluis sumus, &c.* Deus hîc non dicitur recordari, quasi in eo possit esse obliuio: eius enim scire est æternum & inuariabile: Sed loquitur more hominum, qui quando alicuius miseriæ & infirmitatis recordantur, afflicti compatiuntur, & miserentur: vnde Deus dicitur nostræ calamitatis recordari, quando eius miseretur: prop-

Ps. 77. 44. terea dixit Dauid Ps. 77. *Recordatus est, quia caro sunt*, idest infirmi & fragiles. *Et quoniam puluis sumus.* Psal. 102. 13. Quibus verbis iunuuntur quatuor, quæ ad humanam miseriam pertinent.

Primum, spectat ad nostram ariditatem.
Secundum, ad nostram fragilitatem.
Tertium ad nostram vanitatem.
Quartum ad nostram mortalitatem.

Circa primùm, puluis sumus non ratione

solùm corporis, sed etiam animæ, nam vt ait Glos. Nos qui eramus figmentum Dei, facti sumus puluis ariditate peccati. Puluis est terra leuis sine pondere, arida sine humore, & sterilis sine fructus productione: Sicque anima cùm peccato efficitur leuis siue pondere virtutis, & ideo à quolibet vento tẽtationis mouetur, Psal. 1. *Impij tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*, id est, à firmitate iustitiæ. Item est arida sine humore compunctionis. Numer. *Anima nostra arida est*, parùm sollicita de contritione & confessione, Psal. 29. *Nunquid confitebitur tibi puluis*? Item est sterilis & sine fructu operis meritorij, & ideo à regno cælesti excluditur. Leuit 14. *Vniuersum puluerem proiicient extra vrbem in locum immundum* Id est Deus proijciet extra Paradisum, in locum immundum inferni, & ibi dabitur serpenti inferiorum videlicet Diabolo, in cibum: Esa 65 *Serpenti puluis panis eius, quia pascetur de pœnis illius.*

Homo pulnis cur?

Ps. 1. 4.

Puluis est homo.

Leuit. 14. 15

Esa. 65. 25.

Secundò ostendit humanam fragilitatem, quia homo sicut fœnum: fœnum enim nascẽdo habet virorem, crescendo decorem, & vltimò florem, sed tandem desiccatus solis ardore, redigitur in puluerem. Item præcisum est, & siccum nutrimentum animalium. Sic homo nascendo habet virorem vitę, crescendo decorem formæ, & post augmentum quãdoque florem fortunæ & temporalis gloriæ, sed solis ardore, id est, grauis alicuius infirmitatis aut tribulationis feruore desiccatus &

Homo fœnũ cur?

Fœnum homo cur?

aduſtus, redigitur in puluerem, vi mortis vel infimę deiectionis. Eſt etiam corpus hominis deſiccatum, per priuationem huius vitæ præſentis & in ſepulchro clauſum, efficitur nutrimentum animalium, hoc eſt, vermium. Hinc Verſus cuiuſdam.

Poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor & horror.

Eſa..40. 7. Sic in non hominem, vertitur omnis homo.

Et quia hæc conueniunt homini, ratione carnis, dicitur Eſa. 40. *Omnis caro fœnum*, fœnum quantò altiùs ſtat, nimiſque profundas agit radices, tantò minus creſcit, & citius areſcit, ſicut patet de fœno, quod naſcitur ſuper tecta. Sic homo quantò eſt in altiori ſtatu, ſi radices cordis non profundentur in humilitate, parùm proficit, & citò deficit Pſ. 128. *Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit.* Fœnum tectorùm eſt vita eorum, qui ad dignitates & magiſtratus euecti ſunt, qui citò exareſcunt, & in nihilum quodammodo rediguntur.

Pſ. 128. 5.

Homo flos agri.

Pſ. 102. 3. Tertiò, oſtendit Dauid humanæ gloriæ vanitatē, cū dicit, *Dies eius tanquam flos agri, ſic efflorebit:* Dies enim hominis eſt proſperitas & gloria mundi huius, quæ verè dicitur, ſicut flos agri, quia flos agri delectat ſenſum, ornat, & ſtatim deficit, & ideo meritò repræſentat ea, in quib⁹ cōſiſtit proſperitas, & mūdanorū gloria: Cōſiſtit enim in delectatione voluptatum quæ ad ſensū pertinet, ideoque repræſentatur in floribus, qui ſua pulchritudine visū recreāt,

ſuo-

suoque odore gustum delectant. Dicũtur flores, quasi fluores, quòd deliciæ huius mundi fluant, pro quibus multi sæpe multa patiuntur, vt videre est in diuite Epulone. Luc 16. 19. & Psal. 89. ait Dauid, *Floreat, & transeat.* *Flos dicitur homo.* *Psal. 89. 6.*

Secundò, consistit gloria mundi in possessione diuitiarũ, quæ significantur floribus, sũt enim ad ornamentum mundi, sicut pauperes ad ornamẽtũ cœli. Matt. 5. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnũ cœlorũ.* Pauperes etiã contemnuntur in mundo sicut diuites in cœlo, Iob 14. 2. *Quasi flos egreditur & conteritur.* *Paupertas cœlorum ornamentũ.*

Itẽ consistit gloria mundi in sublimitate dignitatum, quæ assimilantur floribus, citò decidentibus ex alto, & deficientibus: quod fit per mortem & infortunium. Naum. *Flos Libani elanguit.* Libanus enim erat altitudo Cedrorum, & significat celsitudinem dominorum, quorũ flos, id est, gloria citò languescit, & deficit. Iac. 1. 11. *Flos eius decedit.* Et Esay. 28. 1. *Erit flos decidẽs, gloria exultationis eius.* *Gloria mũdi.* *Iac. 1. 11.*

Quartò, ostendit Propheta Dauid citatâ superiùs humanam mortalitatem, cùm dicit, *quoniam Spiritus pertransibit in illo &c.* Vbi breuiter docemur, mortem tribus bonis hominem spoliare. Primò vitali spiratione. Anima enim dicitur spiritus, quia vitam corpori tribuit & Spirat. Ioann. 6. 63. *Spiritus est qui viuificat*, quo sublato, vita deperditur Ps. 103. 30. *Auferes spiritũ eorũ, & deficiẽt.* Graue esset & molestũ, si expelleretur Dominus propria domo, deinde solo adæquaretur *Ps. 101. 13.* *Mors spoliat.* *Ioan. 6. 63.*

ita enim omnibus bonis in illa existentibus priuaretur. Sic nihil molestius animæ, quàm domo corporis exire, ita vt omnibus diuitijs, quas antea in eo possidebat, relinquere cogatur, vt sunt potentiæ, organa, actus, habitus, virtutes intellectuales, sensitiuæ, motiuæ &c. Quæ omnes adueniente morte, pereunt. Vnde dicitur, Psal. 145. *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Sic etiam recedente Spiritu Sancto, ab anima per peccatum, amittitur vita gratiæ, & omnes virtutes gratuitæ, operationesque meritoriæ. Propterea Dauid precabatur dicens Psal. 50. 12. *Spiritum sanctum tuum, ne auferas à me.*

Psal. 145. 3.

Mors spiritualis.

Secundò, mors aufert homini naturalem conseruationem: Nam sicut tamdiu lumen in aëre conseruatur, quamdiu Sol est præsens. Sic tamdiu conseruatur vita, quamdiu Spiritus conseruatur in corpore: quod ab animo separatum, hominis corpus ampliùs dici non potest.

Sanctorum corpora cur honoramus.

Obijcies, ergo corpora sanctorum defunctorum, ampliùs eorum dici non possunt, quare ergo adoramus ea? Dicendum, quòd licet ita sit, secundùm naturam, tamen propter spem resurrectionis futuræ, quam vera fides prædicat, nos adoramus ea, non solùm quia ipsorum fuerunt, sed etiam, quia ipsorum erunt, Iob. 19. *In nouissimo die, de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum &c.* Sic ergo secundùm ordinem naturæ

Iob. 19. 25.

patet, quòd separata anima à corpore ampliùs homo non subsistit, & ipsum corpus, per diuersos corruptionis gradus, tandem post somnum mortis, in puluerem reuertitur. Iob. 7. *Ecce nunc in puluere dormio et si mane me quæsieris, non subsistam.* Iob. 7. 20.

Tertiò, mors aufert hominis corporalem habitationem, Ideoque dicit, *Et non cognoscet ampliùs locum suum.* Quidam ita interpretantur hunc locum, vt existiment animam defuncti, ignorare omnia quæ egit, dum vitam degeret in hac vita: Quod verum est, si loquamur de cognitione naturali, & de his quæ de cætero hîc aguntur: Nam anima separata cognoscit singularia per species, non acceptas à rebus ipsis, & est coniuncta conuersationi substantiarum spiritualium, quæ à materia sunt separatę, vnde sequitur ea ignorare naturæ viribus quæ apud nos fiunt, sicut & nos hîc non cognoscimus, quæ apud Sanctos & beatos aguntur, nisi fide & supernaturali cognitione. Hinc D. August. ait, *Quòd animæ defunctorum ibi sunt, vbi ea quę hîc fiunt, scire non possunt*: Vnde de defuncto dici illud poterit. Psal. 73. *Nos non cognoscet ampliùs.* Propterea de Abrahamo ait Propheta Esayas cap. 63. 16. *Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos.* Iob. 14. 21. De diuite mortuo & damnato. *Siue nobiles fuerint, siue ignobiles non intelliget, & tamen anima eius super semetipsam lugebit.* Secundùm hoc dici poterit de Spiritu hominis defuncti illud Psal. 73. 10. *Nos non cognoscet ampliùs.* Possunt tamen eius-

Cognitio animæ separata à corpore.

Psal. 73. 10.

modi animæ aliquando scire ea, quæ in his inferioribus aguntur, non per seipsas, sed per Angelos, aut per Dei reuelationem. De animabus verò sanctorum, quæ diuina fruuntur visione, credendum est, secundùm D. Gregor. nihil eorum quæ hîc aguntur ignorare cognitione non naturali, sed gloriæ: Sunt enim Angelis bonis æquales, de quibus etiam affirmat D. Aug. eos non nescire quæ fiunt in hoc mundo: Non tristantur tamen de nostris malis, nec rebus viuentium se ingerunt, quia eorum status, est omnium bonorum aggregatione perfectus.

Animæ sanctorum cognoscunt ea quæ hic aguntur.

Possunt præterea illa verba (non cognoscet ampliùs locum suum) explicari, de vita hac temporali: Quod est contra quosdam hæreticos, qui dixerunt animas defunctorum, esse ad eandem vitam, & loca eadem reuersuras, contra quos ait Psal. *Vadens & non rediens*: Et Sap. 2. 1. *Non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis*. Hoc de lege ordinaria intelligitur, nam ex priuilegio & virtute diuina Lazarus & & nonnulli alij fuerunt resuscitati. Propterea de homine defuncto dicitur illud Psal. 36. *Transiui & ecce non erat, quæsiui eum & non est inuentus locus eius*. scilicet, de cætero in hac vita.

Psal. 36. 38.

SECVNDÒ, describitur in Themate proposito miseria humana, quantùm ad statum post mortem, cùm dicitur, *Et in puluerem reuertetur*. Vbi notandum, æquè generale esse, in puluerem reuerti, atque mori: Non-

Gen. 3. 19.
In puluerē resolutio omnibus cōmunis.

nulli tamen asserũt quosdam excipi & à morte, & ab ea resolutione, eos videlicet, qui in iudicio viui reperientur: rapientur enim (inquiunt) & transferentur in immortalitatem viuentes. Alij meliùs opinantur, eos videlicet morituros, & per ignem iudicij redigendos in cineres, vt postea eorum corpora resuscitentur, repurgentur, & reformentur: Vnde de omnibus verum illud est, quod dixit Iob 10. 9. *Memento quòd sicut lutum feceris me, & in pulueremreduces me.* Nullus igitur excipitur à morte, licet à resolutione in cineres quidã excipiãtur vt Christus, de quo fuerat scriptũ: *Nõ dabis sanctũ tuũ, videre corruptionẽ*: Ps. 15. Hoc idẽ asserit D. Aug. de beata virgine. Et alii de Ioãne Euangelista, & alijs quibusdã. Porrò id discriminis licet notare, inter bonos & malos: Quidã mali in prosperitate ad mortẽ vsq. perseuerant, Boni verò in aduersitate, qui tamẽ postea in morte & resolutione corporis in cineres venientur, Iob. 21. 23. *Iste moritur robustus & diues, viscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur: Alius autẽ moritur in amaritudine animæ, & absque vllis opibus, & tamẽ simul in puluere dormiẽt.* Similiter etiã cõueniẽt in resurrectione, nõ autẽ in glorificatione & immutatione, quia mali resurgẽt ad animarũ & corporũ dãnationẽ, boni verò cũ animæ & corporis glorificatione, sicut dicitur Matth. 25. *Mali ibunt in suplicium æternum, iusti autẽ in vitam æternam.* Ad quam nos perducat Iesus Christus Dei filius. AMEN.

Iob. 10. 9.

Corpus Christi non fuit in pulueres resolutum.

Psal. 15. 10.

Matt. 25. 46

DE VIGILANTIA VIVENTIS, ET NVDITATE morientis.

THEMA.

Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet & videant turpitudinem eius.
Apocal. 16. 15.

Apoc. 16.15.

Nuditas erubescenda.

OMnibus commune est hominibus, propter nuditatem corporis sui, coram alijs erubescere & pudore affici: qui non aliunde prouenit, quàm ex peccato primorum nostrorum parentum, qui in statu innocentiæ, etiam mei non erubuerunt: Quod cùm ita sit, multò magis de animæ nuditate erubescendum videtur, cùm vestibus gratiæ & virtutum non est induta. Ratio est, quia nuditas corporis, potest esse sine culpa, vt in paupere cui desunt vestimenta. Matth. 25. *Nudus eram, & cooperuistis me*: Vel in eo, qui à latronibus vestimētis spoliatus est, Iob. 24. 7. *Nudos dimittunt homines, indumentum tollentes; quibus non est operimentum, in die frigoris.* At nuditas animæ, quæ est priuatio gratiæ & virtutum, semper includit culpam vel originalē, vel actualem, quam natura sua sequitur pudor, & erubescentia, sicut

Matt. 25.36.

patet ex Philosopho 2. lib. Ethic. qui ait, homines non solùm vitia, sed etiam vitiorũ similitudinem & figuram erubescere. Hinc homines virtutis amantes, ab ipsis vitijs non tantũ abstinent, sed præterea ab ijs quæ speciẽ mali prę se ferunt: Ergo magis nuditas animæ, quàm corporis erubescenda est: hæc enim in conspectu hominum solùm apparet, illa verò coram Deo, & Angelis, ad quorum consortiũ nullus sine gratiæ indumento admittitur, nullusque eo vestitus excluditur. Bene igitur ait Sanctus Ioannes Apo. 16. 15. *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua &c.* Quibus verbis tria continentur. *Nuditas animæ.*

Primò, docetur præmium gloriosum.

Secundò, suadetur studium fructuosum.

Tertiò, præcauetur opprobrium ignominiosum.

Præmium beatorum, est beatitudo & summum bonum in quo ratio omnis boni continetur. Ait enim Boëtius, *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus*: Ad quam nullo modo perueniri potest, nisi per remotionem omnis mali, nam naturaliter vnum contrarium non assequimur, nec ad perfectionem illius peruenire possumus nisi per remotionem alterius contrarij, sicut res efficitur frigida, per remotionem caloris, & illud est albius, quod est nigro minus permixtum: igitur omne malum est remouendum, vt ad perfectionem boni pertingamus, & beatitudine cœlesti fruamur. Hoc docet Psalmista. Psal. 1. *Beatitudo præmium iustorum.* *Psal. 1. 1.*

Beatus vir qui non abijt in Consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in Cathedra pestilentium non sedit. Triplicis culpæ negatio exprimitur his verbis, quarum prima diabolo, secunda mundo, tertia carni appropriatur. Omne enim quod est in mundo, aut est cõcupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorũ, aut superbia vitæ.

Negatio culpæ triplex.

Superbia.

Prima igitur negatio, est non abire in Concilio impiorum, quæ excludit peccatum elationis & superbiæ, quod dæmonibus tribuitur, ipsi enim sunt impij, quorum peccatum fuit consilium, post creationem a Deo recedere. Esa. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris: Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo; In cælum ascendam & similis ero altissimo.* Et Gen. 2. 5. *Eritis sicut Dij.* Qui igitur superbia extollitur in concilio impiorum ambulat, & à Deo & bono consilio recedit, & hoc est maxima stultitia, & dementia, quia bono consiliario necessaria est prudentia & beneuolentia, quibus sublatis stultissimus est. Atqui Christus est nobis amicissimus & prudentissimus, ab eo igitur consilium humilitatis discamus. Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*: Diabolus autem est hostis noster maximus, fatuus ac demens, imò stultissimus, quia ibi stare nesciuit, vnde nusquam alius, vt ipse, cecidit. Si ergo nobis superbiam consulat, spernatur eius consilium, & Christi consilio adhæreamus. Tob. 4.

Esa. 14. 12.

Humilitatis consilium.

Matt. 11. 29.

Consilium Christi sequendum.

Tob. 4. 19.

Consilium semper à Sapiente perquire, & omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.

Secunda negatio, quæ est, non stare in via peccatorum, excludit peccatum cupiditatis & auaritiæ, quod mundo appropriatur: Est enim mundus via peccatorum, quia quādiu in ipso sumus, nos peregrinamur, nec vitare peccatum totaliter possumus, caueat tamen quilibet, ne in eo stet: Currentes in via arenosa velociter, supportantur, stantes verò absorbet & deuorat arena, sicut mundus ipse. Vnde dici potest terra deuorans habitatores. Num. 13. Gen. 19. *Non stes in omni regione circa eam, sed in monte saluum te fac.* *Auaritia.* *Mundus.* *Num. 13. 33* *Gen. 19. 17.*

Tertia negatio est, non sedere in Cathedra pestilentiæ, qua excludit lasciuiam & impudicitiam, quæ carni tribuitur. Caro enim locus est animæ, in qua residet & recreatur, ideo conuenienter significatur per Cathedram: dicitur pestilentiæ, quia secundùm Isidorum. 4. Lib. Etymol. Pestilentia est morbus quidam contagiosus, qui dum vnum apprehendit, celeriter transit ad plures. Dicitur enim quasi postulentia, à pastu. Idem de carnis infectione asserimus: ipsa enim in primo parente incoata, ad posteros celerrimè deriuata est, quæ à pastu cibi vetiti originem sumpsit. Videtur igitur Deus primo nostro parenti illud Exod. 9. dixisse, *Percutiam te & populum tuum peste.* *Luxuria.* *Caro pestilentia.* *Exo. 9. 3. 15.*

Non solùm ergo caro est pestilens, quia infecit posteros, sed propter Spiritū quē corrumpit & contaminat, ait Chrysost. *Nulla res sic extinguit virtutem, sicut corporalis voluptas.* Et D. Aug. *Nullam pernitiosiorem patior hostem, quā corpus in quo habito: Est enim quasi Leo subuersor in domo mea, vndique me pestifero morsu lacerando, consumens.* Remedium verò aduersus hanc pestem, est vt corpus exsiccetur laboribus, ieiunijs & vigilijs: Ait enim Auicenna, aëri pestifero obuiandum esse exsiccando corpus. Eccles. 9. *Attende tibi à pestifero, fabricat enim tibi mala.*

Eccl. 9. 9.

Apoc. 16. 15. *Vigilia necessaria.*

SECVNDÒ, in Themate proposito. Apo. 16. 15. suadetur studium fructuosum, scilicet, vigilandi & custodiēdi: Circa primū obserua eos, qui sunt alicuius ciuitatis portarū custodes, vigilare diligentissimè ne hostes ingrediātur: Dominus noster Iesus Christus profectus est in regionem longinquam, cuique nostrum, sui custodiam tradidit, ideò quilibet vigilare debet, vt quando Dominus venerit, reddat rationem suæ custodiæ, Mar. 13. *Christus Ianitori præcipit vt vigilet: Vigilate ergo, nescitis enim quādo Dominus veniet.* In quibus verbis quatuor animaduertere debemus.

Marc. 13. 35.

Primò, commissam custodiam.

Secundò, iniunctam obedientiam.

Tertiò, sollicitam diligentiam.

Quartò, suspectam ignorantiam.

Ratio est ianitor hominis.

Circa primum, dico istum ianitorem, nostram esse rationem, cui incumbit regere & custodi-

re totum hominem: quando enim arx capta est, facillimè aperiuntur portæ: Ita quando per incuriam cor occupatur, omnes corporis ingressus minimo negotio aperiuntur, vt hostes ingrediantur: os ad mala verba proferēda: oculi ad malè respiciendum, aures ad malè audiendum, manus ad malè operandum, & sic de alijs. Iob. 30. *Quasi rupto muro, & aperta ianua irruerunt super me*: Sicut inimici intrantes castellum, ianitoris negligentiâ, illud destruūt, incendunt, & polluunt, sic hominem, peccata, Psal. 73. *Exciderunt ianuas eius in idipsum, in securi & acie deiecerunt eam*: Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, polluerunt tēplum nominis tui. Et 2. Paral. 28. 24. *Clausit Achas ianuas templi Domini.* Quando aliquis pulsat, fores solet inquiri quisnam sit: Sic quādo tentatio pulsat, debet attendere homo, & diligenter animaduertere, sit ne bona an mala: Si mala, confestim repellere & claudere ianuā, id est, consensum. 2. Paral. 35. 25. *Ianitores portas singulas ita obseruabant, vt nec in puncto discederent à ministerio.*

Iob. 30. 14.

Psal. 73. 6.

Vigilantia.

Secundò in auctoritate citata ex Marc. 13. notatur obedientia iniuncta, quia præcipit vt vigilet. Videmus tēpore pacis homines quietè & securè dormire, nec armis indigêre, sed potiùs indulgent gaudijs & recreationibus: Tēpore verò belli, è contrario necesse est vigilare, & cum armis semper incedere: sic homines in statu peccati, pacem habentes cum diabolo, voluptatibus & dissolutionibus incum-

Marc. 13. 35.

Obedientia.

bunt, in fœcibus peccatorum suorum sine vlla contradictione dormiunt. Pij verò seruientes Deo aduersus insidias diaboli semper vigilent necesse est. Ideo in figura dicitur 1. Machab.
1 Machab. 12. 63. 12. *Audiuit Ionathas, quoniam regressi sunt Principes Demetrij, cum exercitu multo, volentes eum remouere à negotio regni.* Ionathas, id est, colũba veniens, est vir bonus: Demetrius interpretatur vir persequens, diabolum significat, qui semper diuersis peccatis hominẽ persequitur. Exijt ab Hierusalẽ, id est à pace diaboli: Et occurrit ei in Amathitę regione, id est, indignatione. *Et præcepit Ionathas suis vigilare & esse in armis paratos tota nocte, & præposuit custodes castrorũ*: quia nõ debet esse in homine aliqua pars quę nõ caueat à peccato. Et audierũt aduersarij, quia paratus est Ionathas cum suis in bello & timuerunt.

Mar. 13. 35. Vigilantia. Tertiò, in auctoritate adducta ex cap. 13. D. Mar. ad sollicitã diligentiam inducit dicẽs. *Vigilate ergo.* Familia quæ Dominum domus expectat aliquò profectum, lumen domi habere & vigilare solet, vt quacunque hora veniat ad aperiendum ostium paratos inueniat aliquos. Sic Dominus noster Iesus Christus in regionem longinquam iuit, ignorantes nos quando sit rediturus, ideo parati esse debemus cũ lumine gratiæ, ne nos iacẽtes & securè dormientes in somno & tenebris peccati, reperiat. Vnde Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti &*
Luc. 12. 35. 37. *lucernæ ardentes in manibus vestris. Et vos similes hominibus expectantibus Dominũ suũ, quando re-*

uertatur à nuptijs. Ad nuptias iuit Christus in Ascensione, vt cùm venerit Dominus ad iudicium, & pulsauerit per mortem propinquã confestim aperiant ei. *Beati sunt serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes, & si venerit in secunda, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.* Vbi loquitur de vita hominis ad modum vigiliarum noctis; quia vita hominis, nõ est nisi nox, respectu vitæ futuræ. Sunt enim quatuor vigiliæ in vita hominis, id est, quatuor ætates, in quibus vigilandũ est, pueritia siue adolescẽtia, iuuenilis ætas, senectus, & decrepita ætas, in quibus iudex patiẽtissimus nos expectat, ideò in quacunq. vigilia istarũ homo inuentus fuerit bene vigilasse, beati serui illi.

Vita hominis nox

Vigiliæ quatuor sunt, in vita hominis.

Mar. 13. 35.

Quartò in auctor. incitat ex Mar. 13. Notat ignorantiã suspectam, *Nescitis* (inquit) *quando &c.* Et ideo vigilandum. Propterea Dominus voluit tempus mortis occultari, vt omni hora mors ipsa esset nobis suspecta, & sic parati essemus. Vnde Seneca, *sic viue* (ait) *quasi cras moriturus, quilibet enim dies vitæ nostræ ordinandus est, velut vltimus.* D. Bern.

Mortis dies cur occultus.

Est commune mori, mors nulli parcit honori.
Debilis & fortis, veniunt ad limina mortis.

Et ideo debet homo sẽper timere. Hinc D. Hiero. *Siue comedam, siue bibam,* siue aliud quid faciã, in auribus meis semper intonare videtur illa vox, *Surgite mortui, venite ad iudiciũ.* Ideo dicitur Matt. 24. *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Et Matt. 26. 10. *Et quæ paratæ erant intrauerunt ad nuptias.*

Matt. 24. 44

Apoc.16.15. Sequitur in secunda parte Thematis propositi, *Et custodit vestimenta sua*, vbi docet hominem esse debere cautum, in custodiendo. Triplex obserua animę vestimentum diligenter custodiendum, Generale, Nuptiale, & Ministeriale: Generale, quo omnes animę induũtur, est corpus: Et hoc à luto seruandum est ne inquinetur. Apoc. 34. *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua.* Subditur de pręmio. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* De cuius vestimenti custodia, admonet D. Paulus 1. ad Timo. 5. *Teipsum castum custodi.* Vestimentum verò nuptiale & festiuum, est charitas: qui sine ipso non vestitus inuentus fuerit, excludetur à nuptijs agni, siue cœlestis gloriæ, Quando videlicet tota electorum Ecclesia sponsa Christi sine macula, ad nuptias sponsi traducetur. Hoc figuratur in nuptijs, de quibus Matth.22. Vbi Rex qui fecit nuptias filio suo, vidit hominem non vestitum veste nuptiali, id est, non habentẽ charitatem, quæ operit multitudinem peccatorũ, ait illi, *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Quæres quomodo qui non habet charitatem, intrat ad nuptias. Respondeo per fidem, quæ sola non sufficit, propterea exuendum est peccatum, & inducenda charitas. Hester 4. *Non erat licitum indutum sacco, aulam regis intrare*: Vestem igitur pulchram & honorificam amoris Dei & proximi, induere debemus, vt palatiũ regis cœlestis ingrediamur, Prouerb. *Omnes domestici eius, vestiti sunt du-*

Vestimentũ animæ triplex.

1. Ad Timo. 5. 22.

Animæ vestimentum nuptiale, charitas.

Matt.22.11.

Charitas vestimentũ nuptiale.

Hest.4.2.

plicibus. Qui hoc non præstiterit eijcietur foras, Ait enim Dominus nuptiarum, *Ligatis manibus & pedibus, proijcite eum in tenebras exteriores, ibi enim erit fletus & stridor dentium.* Hoc autem vestimentum charitatis præcipuè custodiendum est, à sensibus auaritiæ, ne laceretur, quia scilicet amor mundi & diuitiarũ, qui per spinas intelligitur, diuinũ amorem dissipat. 1. Ioan. 2. *Si quis diligit mundum non est charitas Dei in eo.* Nam sicut amor alienæ mulieris, dissipat amorem coniugalem, ita amor auaritiæ dissipat amorem spiritualem, scilicet charitatis. Prouerb. 7. *dic Sapientiæ, soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea & aliena.* Nam si sapienter Deum amaueris, & prudenter proximum dilexeris: Custodiêris à muliere extranea, id est, à rapina vel vsura, quæ ab amore Dei deturbat, & aliena bona concupiscere & rapere suadet. *Hæc est charitas Dei vt mandata eius custodiamus.* 1. Ioan. 5.

1 Ioan. 2. 15.

Amor mundi dissipat charitatem.

Diuitiæ spinæ.

Charitas Dei.

1. Ioan. 5 3.

Vestimentum autem ministeriale, est illud, quo vestiuntur omnes Ministri & serui Dei, est meritum bonorum operum, ex varijs virtutum actionibus promanans. Hoc vestimentum præcipuè custodiendum est, ne à vermibus corrodatur, vermis enim vestimentum rodens, est tinea, Iob. 13. *Quasi vestimentum, quod comeditur à tinea.* August. in regula, indumenta ne amemus habere duo sub vno cubili, ne à tinea lædantur. Hæc tinea de vestimento

Meritum bonorum operum.

Iob 13. 28.

Superbia est tinea. nascens, est superbia, vel inanis gloria, quæ ex bonis operibus oritur. Eccl. *De vestimẽtis procedit tinea,* Et tamen ipsa bona destruit, & eorum *Prou.25.21.* meritum prodit. Prou. 25. *Tinea nocet vestimento & vermis ligno,* id est, Superbia & vana gloria operibus bonis. Homo diligentissimè suum bonum cõseruat: Sic meritum bonorum operum suorũ conseruare debet, ne à superbia *1.Timo.1.14.* surripiatur. 1. Timo. 1. *Bonum depositum custodi.*

Apoc.16.15. TERTIÒ, in Themate proposito ex Apoc. præcauetur opprobrium ignominiosum, cùm dicitur, *Ne nudus ambulet*, id est, ad Dei iudicium eat, quia non est minoris opprobrij, imò maioris, ambulare animam nudam, & vestibus bonorum operum & virtutis expoliatam coram Deo, quàm corporaliter *Nuditas ex peccato.* incedere nudum coram hominibus. Hęc verò nuditas & opprobriũ ex peccatis oritur, quibus veste gratiæ, & glorię, imò etiã naturę, hoc *Apoc.17.16.* est, corpore, per mortẽ spoliatur, vnde Apoc. 17 *Desolatã facient illã,* sc. peccatoris animã, *Et carnes eius manducabũt,* sc. vermes, *& ipsũ igni cremabunt,* sc. dæmones. Erit anima desolata, contra *Desolatio animæ.* consolationẽ dignitatũ & honorũ, manducabunt vermes carnes eius, contra fruitionem delitiarum & ciborum, igne cremabuntur, propter libidinem carnalium voluptatum. Erit ergo anima primùm desolata, & omnibus destituta solatijs. Quam subitam desolationem admiratur Propheta. *Quomodo facti sunt in desolatione, subitò defecerunt.*

Secundò, erit nuda, id est, priuata omni

fulcimento possessionum & diuitiarum. Vbi obserua quãdam esse nuditatem ignominiosam, sicut illa quæ est sublatis vestimẽtis. Hæc in anima fit ex peccato, quia tollit virtutum ornamenta: Vnde ait Ezechiel, *animæ peccare volenti*. Cap. 16. *Derelinquet te nudam, plenamque ignominia*. Quædam verò est nuditas periculosa, sicut nuditas armorum, qui enim destituitur armis iustitiæ, facillimè ab hoste læditur, scilicet vulneribus tentationis, quæ tamen sanari possunt, si citò medicamẽtum pœnitentiæ adhibeatur 2. Macchab. 11. *Plures vulnerati, nudi euaserunt*.

Nuditas multiplex.

Ezech. 16. 38

2 *Machab.* 11. 12.

Quædam etiam est nuditas angusta & odiosa, vt est paupertatis coactæ, non voluntariæ. Hinc ait Philosophus, *quòd paupertas est odibile bonum*. Qui si omnibus tẽporalibus priuati rapiantur in infernum, erit odibile malũ. Iob. 14. *Homo cùm mortuus fuerit, & nudatus & consumptus vbi quæso est?* id est separatus à viuorum consortiis, denudatus terrenis diuitiis, & consumptus in substãtia carnis, vbi quæso est? Si ergo in morte nõ fuerimus inuẽti nudi culpæ nuditate, sed vestiti vestimento gratiæ, introducemur in habitationem cœli, vbi vestiemur vestimentis gloriæ, 2. Cor. 5. *Scimus quoniã si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur &c.* Sequitur. *Nam & in hoc tabernaculo ingemiscimus habitationem nostrã quæ de cœlo est, superindui cupientes, si tamen vestiti non nudi inueniamur*. Ad quam cœlestis gloriæ habitationẽ perducat nos Deus AMEN.

Paupertas.

Iob 14. 10.

2. *Cor.* 5. 1.

DISTINCTIO QVARTA, IN QVA AGITVR DE CONDITIONIBUS hominis iam mortui, & eius miserijs cogitandis.

Cuius sunt decem conciones.

Prima est, de anihilatione mortui per mortem.
Secunda, de vilitate hominis mortui.
Tertia, de bonis quibus priuati sunt mortui.
Quarta, de loco æternitatis ad quē homo vadit.
Quinta, de gratia & cura mortuis impēdenda.
Sexta, de retributione bonorū operū post mortem.
Septima, de anniuersario vel translatione diu ante mortui.
Octaua, de oblationibus faciēdis in anniuersario.
Nona, de orationibus pro mortuis faciendis in die animarum.
Decima, de misericordia quam petunt defuncti in anniuersario facienda.

Concio prima distinct. 4.

DE ANIHILATIONE MORTVI PER MORTEM.

Psal. 72. 21. THEMA.

Ad nihilum redactus sum, & nescini, Ps. 72.

QVi multis abundat opibus, & ad honores & Magiſtratus euectus, poſtea deijcitur, hiſque omnibus priuatur, is ad nihilum redactus dicitur. Nobis erit exemplo Iob. qui ſpoliatus filiis & diuitijs multis, dicebat cap. 16. *Ad nihilum redacti ſunt, omnes artus mei*: & ſubditur. *Ego ille quondam opulentus repente contritus ſum.* Quia igitur homo mortuus, omnibus bonis tam corporis, quàm fortunæ, ſpoliatus eſt, dicitur ad nihilum redactus. Quibus verbis conqueritur de duplici defectu.

Diuites quomodo ad nihilum redigi dicũtur.

Iob. 16. 7.

Primò, de priuatione generali.

Secundò, de offuſcatione mentali.

Quemadmodum videmus ſpinas ligone primo euelli, & euulſas igne comburi, & anihilari: Sic hominem per mortem dicimus ab hoc mundo eradicari, vel animam è terra ſua, id eſt, à corpore: Deinde propter peccatum, mitti in ignem æternum, tuncque dicitur homo defunctus quodammodo anihilari ſecundùm corpus, Quia corpus recedit à vero ſuo eſſe, quod eſt eſſe humanum. Item anima in gehenna exiſtens, eſſe vero & proprio eſt priuata, quod eſt eſſe beatum: Sicque reſpectu viuentium vel beatorum peccatores damnati in nihilum redacti dicuntur. 2. Reg. 23. *Præuaricatores autem quaſi ſpinæ euellentur vniuerſi, qui non tolluntur manibus: Et ſi quis tangere eas voluerit armabitur ferro, & ligno lanceato*

Similitudo.

Peccatores ad nihilum redigi dicãtur

2. Reg. 23. 6

igneque succensę conburentur vsque ad nihilum. In quibus verbis de peccatoribus docet quatuor.

Primò, transgressionem culpæ.

Secundò, destructionem naturę.

Tertiò, defensionem malitiæ.

Quartò, comminationem gehennæ.

Circa primum, obserua eum qui accusat, secundùm leges ciuiles, præuaricatorē appellari, si in accusatione fraudem adhibeat. Potest enim in accusatione committi triplex peccatum.

Peccatum triplex in accusatione

Primum, si sit falsa, & ex malitia, & calūnia procedit: Nam si ex leuitate, eò quòd quis nimis citò crediderit, est peccatum temeritatis: Nemo enim debet ad accusationem accedere, nisi de re omnino certa, & cognita, in quo ignorantia facti locum non habet. Si verò procedit accusatio ex iusto terrore: tunc iudex non debet proferre eum calūniatum fuisse: Neque etiam si ex leuitate animi, debet imponere pœnam Talionis.

Tergiuersatio accusatio vitiosa.

Secundum peccatum, est tergiuersatio, vt quando ab accusatione aliquis totaliter desistit, quod fit dupliciter. Si in ipso accusationis processu accusator cognouerit falsum esse illud de quo accusauit, & sic pari consensu, se absoluunt actor & reus. Alio modo, si princeps ad quem pertinet boni communis cura, quod per accusationem impeditur, accusationem aboleuit.

Præuaricatio.

Tertium, est præuaricatio, quando videlicet, quis adhibet fraudem malitiosè, peccati

punitionem impediendo, quia præuaricator, quasi varicator eſt, qui aduerſam partem iuuat cauſa deperdita, vel crimen aduerſarij occultando: Non tamen quicunque abſcondit vera crimina, præuaricatur, ſed ſolùm qui fraudulenter abſcondit, ea de quibus accuſationem proponit, colludens cum eo, & proprias probationes diſſimulando, & falſas accuſationes admittendo, de his Eſa. 46. *Redite præuaricatores ad cor.* In ſcriptura tamen omnes legum Dei transgreſſores, præuaricatores appellantur. Quæ ſi iuſtæ ſunt, hi mortaliter peccant: Vnde Sancti potius eligunt mori, quàm illas tranſgredi, ſicut 2. Maccac. 7. *Vbi vnus ex illis ſeptem fratribus dixit Tyranno, quid vis ſcire ex nobis? Parati ſumus magis mori, quàm patrias Dei leges præuaricari.* Et ſignanter dicit Dei patrias leges, quia leges patriæ ſiue ciuiles, ſiue communes, ſiue propriæ, & municipales, nõ obligant in conſciẽtia niſi ſint iuſtæ, id eſt, Dei leges quia tunc à Sapientia Diuina ortum ſuũ habent, Prouer. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt*

Eſa. 46. 8.

2. Machab. 7. 2.

Lex iuſta obligat in cõſcientia.

Vocantur etiã præuaricatores illi, qui poſt pœnitentiam peccatorum recidiunt in peccata: Et ratio eſt, quia tales, quæ priùs deſtruxerunt, reædificant: Vnde dicitur ad Galat. 2. *Præuaricatorem me conſtituo.*

Præuaricator quis.

ad Gal. 2. 18

Secundò in auctoritate citata ex 2. Reg. 23. tangitur deſtructio naturæ ſeu vitæ, cùm dicitur *quaſi ſpinæ euellentur, quæ non tolluntur manibus*, quaſi dicat, quia præuaricatores & pec-

catores neque manu Dei benefacientis, neque manu Dei flagellantis permiserunt se euelli à peccatis, in quibus radicem cordis infixam habebant, saltem non à morte destrui. Hinc

Psal. 51. 5. dices aduersus peccatorem illud, Psal. 51. *Deus destruet te in finem euellet te, & emigrabit te, de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.*

Peccatores similes spinis. Assimilantur autem peccatores spinis, quia sicut sub floribus pūgunt, ita sub floribus prosperitatis eorum conscientia pungitur, curis, sollicitudinibus, timore, & dolore etiam affliguntur.

Item quia in peccatoribus exardescit ignis auaritiæ, concupiscentiæ, & iracundiæ in hoc sæculo, Psal. 118. *Exarserunt sicut ignis in spinis: Et in futuro exardescet in eis ignis gehennæ.* Esay.

Spinæ peccatores significant. 33. 12. *Spinæ congregatæ igni comburentur.* Quemadmodum rusticus veniens ad sepem plenam vepribus & spinis, eas non tollit manu, sed gladio scindit, furca sua cōgregat, & igne succendit. Sic peccator plenus diuitiarum spinis, quas illicitè acquisiuit, vel per violentiam rapuit, licet manu hominis non succidatur, furca tamen Diuinæ iustitię per mortem ad pœnā ignis mittitur, Iob. 34. 20. *Auferent violentū, absque manu,* id est peccatorem absque humana percussione.

2 Reg. 23. 6. Tertium malum quod ostenditur in auctoritate adducta, esse in peccatoribus, est defensio malitiæ suæ, cùm dicitur, *Si quis tangere eas*

Correctio. *voluerit. &c.* Quasi dicat, si quis voluerit eas spinas tangere, & diuites improbos ac poten-

tes corrigere, non poterit, quia non ſuſtinebunt, ſed reſiſtent dicentes, *Noli me tangere.* Deus tamen erit corrector armatus ferro, id eſt, fortitudine, Sap. 5. *Accipiet armaturam zelus illius*: Et etiam lancea, id eſt rectitudine iuſtæ ſententiæ. Nam lignum lanceæ habet rectitudinem, & ferrum eius fortitudinem. Et hæc duo ſunt neceſſaria ad corrigendum potentes & diuites, ſcilicet rectitudo iuſtitiæ, & fortitudo potentiæ. Sap. 5. 19. *Induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, ſumet ſcutum inexpugnabile, æquitatem: Acuet autem iram diram in lanceam, & pugnabit cum illo.*

Sap 5.18.

Deus corrector iuſtiſſimus & potentiſſimus.

2.Reg.23.6.

Vel poſſet prædicta auctoritas tantùm exponi de peccatoribus, quia ſi quis eos tangere, id eſt, corrigere voluerit, tunc peccator non ſuſtinet correctionem, ſed armatur ferro obſtinatę defenſionis, quia non vult culpam ſuam confiteri, ſed defendit eam obſtinato animo. Armatur etiam ligno lanceato, id eſt, lingua percutiente vitam & famam corripientis. 1. Reg. 19. 10. *Niſus eſt Saul lancea percutere Dauid.*

Quartum malũ quod de peccatoribus docetur, eſt comminatio gehennæ, quia igne ſuccenſæ (inquit) comburentur, ſcilicet, in inferno: Licet in inferno non ſit ſola pœna ignis ſed multiplex alia, Iob. 24. *Tranſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* Et Pſal. 10. 7. *Ignis ſulphur & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Nam in igne ardor, in ſulphure fœtor, in ſpiritu procellæ inceſſabilis tortor Diabo-

2.Reg.23.6.

Inferni pœna multiplices.

Ignis omnẽ pœnam inferni significat.

lus accipi poteſt. In propoſita tamen auctoritate 2. Reg. 23. 6. fit ſolùm mentio de pœna ignis, quia cùm ignis ſit maximè actiuus & affligens, nomine ignis omnis vehemens afflictio, ſeu pœna damnatorum deſignatur. Quod autem dicit de ſpinis, id eſt, de peccatoribus, non eſt contrarium ei, quod dicitur, Iob. 20. 26. *Deuorabit eos ignis, quia non ſuccenditur.* Et etiam D. Greg. affirmat illum ignem eſſe inextinguibilem, qui ardore non caret, & ſuccenſione non indiget, quia non ſuccenditur, eo modo quo ignis qui eſt apud nos, nam lignis nutritur, & ab homine ſuccenditur, quia eſt ab arte & per vim in alienam materiam introductus. Ignis verò inferni, nõ indiget lignis vt conſeruetur, quia vel eſt in propria materia exiſtens, vel in aliena non per vim, ſed per naturam à principio intrinſeco, quam Deus inſtituit. Et hoc eſt quod affirmat Eſayas cap. 30. *Flatus Domini quaſi torrens ſulphuris ſuccendens eam.*

Iob. 20.

Ignis inferni nõ indiget materia vt conſeruetur.

Eſa. 30. 33.

Quod autẽ adducitur in auctoritate 2. Reg. 23. 6. *Comburentur vſque ad nihilum.* Non eſt ita intelligendum, quaſi per combuſtionem, redigantur in non eſſe ſimpliciter, licet Deus id efficere poſſit. Conuenientius tamen eſt iuſtitię Dei, vt damnatum ſemper ad pœnam, in eſſe reſeruet. Ratio eſt, quia ſemper Dei iuſtitia, habeat aliquid miſericordiæ admixtum, non ſolum in remuneratione bonorum, quos ſupra condignum remunerat, ſed etiam in punitione malorum, quos infra condignũ

Iuſtitia Dei ſemper cum miſericordia.

 Pſ.102. 10

punit. Vnde Pſal. 102. Dicitur, *Non ſecundùm peccata noſtra facias nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.* Si autem damnati redigerentur in nihilum, tunc iuſtitia Dei nõ haberet aliquid miſericordiæ admixtum, quia nihil remaneret de eis, cui poſſet miſericordiam exercêre, & ſic eſſet furor iuſtitiæ ſine mitigatione miſericordiæ. Propterea dicitur, *Hier.10.24* Hier 10. *Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.* q.d. Si corriperes me in ſolo furore iuſtitiæ, iudicium tuum miſericordiam tuam excluderet, & ad nihilum redigeres me.

Damnati dicuntur redigi ad nihilum cur.

Dicuntur ergo damnati in gehennæ combuſtione, ad nihilum redigi. Primò quidem, quia nihil eſt, quod eis prodeſſe poſſit: Item quia de bonis amabilibus & appetibilibꝰ eis nihil remanſit. Nam in mundo ſubſiſtentes, re vera & actu temporalia bona poſſidebant, & in ſpe futura: At in gehenna exiſtentes omnibus priuati ſunt, & bonis ſupernis, quibus fruuntur beati, & bonis internis, vt gratia & virtutibus quibus abundant iuſti, & etiam externis, quibus abundant viui. Nihil ergo boni, in eis remanet, niſi tantũ eſſe naturæ, quod ita eſt miſerum, vt potius deteſtentur vt malum, quàm diligant vt bonum. Vnde ſecundùm probatos authores, potiùs vellent non eſſe, quàm in tanta miſeria eſſe. Ad nihilum ergo bonorum redacti ſunt, quia omni bono priuati ſunt, Eſa. 30.28. *Spiritus eius velut torrens inundans, vſque ad medium colli, ad perdendas*

Ps. 72. 21. *gentes in nihilum.*

Secundò in themate proposito, Ps. 72. agitur de offuscatione mentis, cùm dicitur, *&* *nesciui.* Maxima enim mentis offuscatio est, non videre peccata sua, vnde glosa exponit, *nesciui,* scilicet, peccatum meum. Ista est periculosa ignorantia, quia sicut ille qui nescit se esse infirmum, non quærit medicinę remedium, & ideò tendit ad mortem: ita qui ignorat suum peccatum, nihili facit pœnitentiæ remedium, & sic vergit ad mortem æternam. Hinc sapienter ait Seneca, *quòd initium salutis est notitia peccati, quoniam qui peccare se nescit, corrigi non vult.* Et idcirco de his Psal. 81. *Nescierũt neque intellexerunt, qui in tenebris ambulant.*

Cæcitas mētis.

Ps. 81. 5.

Quibus verbis docetur triplex ignorantia quæ in peccatoribus reperitur.

Ignorantia triplex in peccatorib⁹

Prima est, quę ex affectu auaritiæ causatur.

Secunda, ex superbiæ contemptu.

Tertia, ex concupiscentię dominatu.

Circa primum, obserua diuites auaros tanto ardore ad opes & diuitias ferri, vt mala & damna quæ interiùs patiuntur, non animaduertant. De quo est figura, Ios. 8. 14. in viris vrbis Hay, *qui egressi ad quærendum Israel exteri⁹, perdiderunt vrbem interiùs.* Sic nusquam cogitant apud se, quomodo propter ista bona exteriora perdunt bona interiora, & in tenebrosam incidunt ignorantiam. Mirabilis enim ignorantia esset, si aliquis in miseria summa existens, se fœlicissimum esse, si pauper, se locupletem, crederet. Sic accidit diuiti Apoc. 3.

Ios. 8. 14.

Dicis diues sum, & locupletatus & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & pauper, & cæcus, & nudus. Apoc.3.17.

Quod breuiter sic exponitur, tu dicis, id est, videris posse dicere, diues sum scilicet in possessionibus, & locupletatus etiam in rebus mobilibus, & nullius egeo, quantùm ad corpus, quia omnis est mihi sufficientia ad vitam: & nescis, quòd quantùm ad animam tu es miser, propter infirmitatem culpæ, & miserabilis, propter reatum pœnæ, & pauper, quia priuatus virtutibus: Et cæcus, sc. per ignorantiam & malitiam offuscatus, & nudus à bonis operibus.

Secunda ignorantia est in peccatoribus ex contemptu superbiæ: & ideo dicit non intellexerunt, id est, nec scire curauerunt, Iob. 21. *Dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus:* Et sic eorum ignorantia affectata est, siue voluntaria. Hæc potest esse directè vel indirectè voluntaria, vel etiam per accidēs. Directè quidem, quando aliquis directè vult ignorare, quod ad salutē scire tenetur, Psal. 35. *Noluit intelligere, vt bene ageret.* Hæc grauissima est, quia ex maximo peccandi affectu procedere videtur, nec excusat à peccato, sed potius auget. Psal.35.3.

Item potest esse ignorantia voluntaria indirectè, vt cùm aliquis non adhibet studium, curam, & diligentiam ad ea cognoscenda quę scire tenetur, & hæc ignorantia est negligentiæ. Vnde ignorantia iuris ad negligentiam re-

putatur: sicut si aliquis ignoraret furtum & adulterium esse prohibitum à Deo. Vel etiam in aliquo casu: Sicut qui emitteret sagittam in aliquo loco, vbi solent homines transire, de hac ignorantia, ait Hierem. cap. 10. *Non quæsierunt, propterea non intellexerunt.* Vnde talis i-
Hierem. 10. 21. gnorantia, non excusat actum sequentem à toto, sed à tanto, in quantùm ex eo minùs est voluntarius, quàm si scienter, talē actum aliquis eligeret, absque omni ignorantia. Est etiam ignorantia voluntaria per accidens, quando aliquis vult directè, vel indirectè aliquid, ad quod sequitur ipsum ignorare. Directè quidem, sicut patet in ebrio, qui vult superfluè potare, per quod priuatur vsu rationis,
Esa. 28. 7. Esa. 28. *Hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt: Sacerdos & Propheta nescierũt*
Ebrietas. *præ ebrietate, absorpti sunt à vino, &c.* Porrò si aliquis per ebrietatem faceret homicidium, vel aliquod aliud malum, mereretur duplicem malèdictionem, quia duo committit peccata, minus tamen peccat in homicidio, quàm si nõ ebrius occideret. Indirectè verò est ignorantia per accidens, cùm aliquis negligit repellere insurgentes motus passionum, qui postea crescentes ligant rationis vsum in particulari secundùm quod omnis malus est ignorans, Esa 42. 25. *Combussit eum in circuitu, & non cognouit, succendit eum & non intellexit.* Talibus igitur ignorantiis excæcati peccatores non cognoscunt mala, vndique sibi instantia.
Iudic. 20. 35. Cuius figura habetur Iudi. 20. In filiis Benia-

min, de quibus dicitur, *Non intellexerunt, quòd ex omni parte, illis instaret interitus.*

Tertiò quoque ignorantia est in peccatoribus ex concupiscentiæ dominatu, & propter hanc dicuntur in tenebris ambulare. Ille enim qui ambulat in tenebris & habet viam lubricam, frequenter cadit. Sic ille cui caro dominatur, ambulat in tenebris, quia passio, illa offuscat lumen rationis, sicut nebula densa lumen Solis. Vnde August. in lib. confess. *Exhalabant* (inquit) *nebulæ de limosa concupiscentia carnis, & scatebra pubertatis, & offuscabant & obnubilabant cor meum, ita vt non discerneretur serenitas dilectionis à caligine libidinis.* Item habent lubricum carnis, & super hoc Diabolus impellit eum tentationibus suis, & ideò non mirum si frequenter in peccatum incidit, Psal. 34. *Fiant viæ eorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos.* Dicitur verò Diabolus Angelus Domini, non solùm, quia à Domino fuit creatus, non quidem malus, sed bonus: Sed etiam, quia nihil potest facere contra nos, nisi permittente Deo, & iustè concedente. Ab his ergo tenebris, Dominus nos eripiat, & perducat ad lucem ęternæ claritatis. Qui viuit & regnat in sæcula sæculorum.

Caro.

Psal. 34 7.

AMEN.

DE VILITATE HOMINIS MORTVI.

THEMA.

Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Psal. 21.

Psal. 21.6.

Hominis dignitas.

Gen. 1. 27.

DEus ab initio hominem tribus donis exornauit, primò ratione: creauit enim illum animal rationale: Secundò honore, quia insigniuit eum sua imagine, Gen. 1. *Creauit hominem Deus ad imaginem, & similitudinem suam.* Tertiò prælatione, quia præfecit ipsum aliis creaturis. Genes. 1. *Vt præsit piscibus maris & volatilibus cœli.* Creauit ergo eum cum facultate rationis, cum nobilitate suæ imaginis, & cum dignitate dominationis. Sed heu ostenditur in verbis in Themate propositis, quòd propter ipsius peccatum omnia in cõtrarium vertuntur. Quoniam rationalis homo, vertitur in brutum, vnde dicitur, Ego sum vermis & non homo: honor nobilitatis imaginis, cõmutatur in opprobrium, dignitas prælationis in abiectionis contemptum: propterea subdit Propheta, *opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Sed si sumantur verba illa, in persona hominis mortui, his continentur tria, quæ

per mortem contingunt.

Primum eſt, quia transformatur ex corruptibilitate corporali.

Secundum eſt, quia priuatur nobilitate naturali.

Tertium eſt, quia repudiatur à communitate ſociali.

Videmus corpus humanum poſt mortem in putredinis corruptionem reſolui, & ex putredine vermes generari, ideoque dicere homo poteſt: Vermis ſum futurus, quia in vermem reſoluẽdus, mutatio admirabilis de homine in vermem: in generatione hominis eſt proceſſus, ab ignobiliori ad nobilius eſſe, quia embrio ſicut dicit Philoſophus, prius viuit vita plantæ, deinde vita animalis, deinde vita hominis. Sed in morte à nobiliori proceditur, ad ignobilius, quia priùs reſoluitur in cadauer exanime, deinde in cadauer putridum, poſtremò in vermes & nutrimentum vermiũ, Iob. 25. 6. *Homo putrẽdo, & filius hominis vermi.* Ex primo autem iſtorum, tollitur triplex gloriatio: Dicitur enim homo putredo, tum quia eſt ſecundùm corpus ex putredine generatus, tum etiam quia eſt in putredinem reſoluendus. Conſueuit autem homo aliquando gloriari de originis nobilitate, ſicut dicitur. Oſe. 9. *Gloria eorum à partu, & ab vtero & à cõceptu.* Sed Dominus ad hanc gloriam tollendam, dedit partum hominis, cum apertionis dolore, & vterum cum corruptionis fœtore, & conceptum ex humoris putredine, & cum

Hominis in vermes reſolutio.

Iob. 25. 6.

Hominis gloriatio quibus tollitur.

Oſe. 9 11.

Gloriatio.

libidinis pudore: Ergo generatio veræ nobilitatis non dicitur sumi à carnis generatione, quia à quocunque parente homo sit natus, sẽper genitus est ex putredine. Vnde vera nobilitas hominis non attẽditur ex origine carnis, sed ex origine virtutis, hinc Philosophus in 2. lib. Rhetor. ait nobiles eos esse, qui ex genere claro, digno, & honesto sunt progeniti.

Nobilitas hominis, Quod si, qui natus ex eo est, degenerat, & sit vitiosus, non potest sese iactitare de nobilitate generis, nisi cum ignominia, quia degenerat à nobilitate parentum. Ergo gloriari de carnis origine, est gloriari de putredine. Iob. 27. *Putredini dixi Pater meus es, & mater mea, &c.* Si glorietur homo de carnis pulchritudine, illud etiam est inane, quia cùm corpus hominis sit plenum putredine, simile est sepulchro dealbato, quod exteriùs apparet hominibus speciosum, & intus plenum est spurcitia & cadaueris putredine. Refert Boëtius Aristotelem dixisse, si lynceis oculis homines vterentur, nonne illud pulcherrimum Alcibiadis corpus, introspectis visceribus fœtidissimum videretur? Simile est corpus hominis, etiã pulcherrimum cumulo sterquilinij, niue cooperto, quia extra habet niuis cãdorem, & subter sterquilinij fœtorem: Ergo gloriari de pulchritudine carnis, est gloriari de coopertura putredinis, Prouerb. 31. *Fallax gratia & vana est pulchritudo:* quæ ex modica infirmitate putrescit. Iob. 7. 5. *Induta est caro mea putredine.*

Iob. 17. 14.

Pulchritudo vana est.

Prou. 31. 30

Quidam gloriantur de sepulturæ solemnitate,

Quidã gloriantur de ſepulturæ ſolemnitate, delectantur ſepulchris ſumptuoſis, iubent fieri ſolemnia funeralia. At quid iſta proſunt? Certè corpori nihil, niſi quòd in altiori loco ſepeliatur: Narrat Valerius Maximus Theodorum Cyrenæum, iuſſum à Rege Lyſimaco crucifigi, dixiſſe: Hæc crux purpuratis tuis terribilis eſt, mea nihil intereſt, an humi an in ſublimi putreſcam. Vbique igitur oportet corpus noſtrum putreſcat, & à vermibus corrodatur, Iob. 13. *Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea.* *Sepultura ſolemnitas.* *Iob.13.28.*

Quantũ verò ad animã, ſi ſepulturã ſũptuoſam quis procurauerit, propter hominum gloriam, dico eam obeſſe, potiùs enim debet eſſe cauſa humiliationis & deiectionis, quã elationis & ſuperbię: quod patet, quia licet multi amicum deducant vſque ad ſepulchrum, nullus tamen in ipſo ſepulchro vellet cum eo ſepeliri, Eſa.14. 19. dicitur morienti, *Quaſi cadauer putridum, non habebis conſortium.*

Secundò, conſideranda eſt loco citato generatio vilis, quę eſt ex corruptione, *quia filius hominis vermis*: Quod poteſt intelligi tã de verme corporali, quã de verme ſpirituali: Quia enim corruptio vnius, eſt generatio alterius, ſicut in homine fit duplex corruptio, ita & duplex generatio. Fit enim in anima corruptio ſpiritualis per peccatum Pſal. 13. 2. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt, in ſtudijs ſuis*: de qua corruptione oritur vermis ſpiritualis, *Iob.25.6.* *Generatio hominis.* *Pſal.13.* *Corruptio ſpiritualis.*

Vermis conscientiæ. scilicet, conscientiæ remorsus: dicitur vermis, in quantum oritur ex putredine peccati, & animã affligit: Sicut vermis corporalis ex corruptione ortus affligit, pungendo: Et iste vermis in dãnatis erit immortalis Esa. 66. *Vermis eorum non moritur.* Secundò, in homine fit corruptio corporalis, vt cùm post mortem, corpus putrescit, ita vt vermes ex eo generentur, & pascantur. Esa. 14. *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Ergo qui corpus suum delitijs nutrit, bonam escam vermibus præparat.

Esa. 66. 24.

Esa. 14. 11.

Ps. 21. 6. SECVNDÒ, ostenditur in themate assũpto, hominem priuari nobilitate naturali, cùm dicit in persona defuncti, *& non homo* (Suple) sum: Quia homo dicit, quid compositum ex anima rationali & corpore: Vnde propriè loquendo anima sola non est homo, sed pars hominis: & multò magis corpus, quod est pars minùs principalis, & de hoc principaliter dicitur, non homo, scilicet de corpore mortuo.

Mors spiritualis. Porrò notandum est, duobus modis aliquẽ dici, ab humano esse, deficere, scilicet, per mortem spiritualem & corporalem: Per mortem spiritualem culpæ siue peccati, deficit ab humana dignitate, qua perdita, assimilatur bestijs, & dicitur quasi nõ esse vt homo. Sed per mortẽ naturalẽ dicitur nõ esse homo, quia deficit ab humana integritate, & principali dignitate hominis, quæ in ratione consistit, per quã ab alijs animalibus differt: Sed sicut ait B. Bern. *Quid bestialius homine rationẽ habente, & nõ*

ratione vitæ. Vnde Philoſophus lib. 1. Metaph. Inter hominem & cætera animalia, hanc differentiam conſtituit: quòd alia memoria & imaginatione viuant, homines verò arte & ratione. Qui igitur ſecundùm eam non viuit, inter beſtias eſt reponendus. Pſal. 48. *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* In quibus verbis poſſumus conſiderare tria. *Pſal. 48. 21.*

Primò quidem, hominis dignitatem.

Secundò, eius cœcitatem.

Tertiò, eius vilitatem.

Circa primum, dico Deum hominē maximo honore affeciſſe, quando eum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauit, & omnis creaturæ Dominum conſtituit. Eſt enim in homine Imago totius Trinitatis, quæ attenditur ſecūdùm actus intellectus & voluntatis, prout ex notitia rei, quam habemus, quæ repræſentat Patrem, cogitando interiùs concipimus verbum, perſonam Filij repræſentans, & ex hoc in amorem prorumpimus, in quo perſona Spiritus ſancti repræſentatur: Quæ tria ſunt in vna mentis eſſentia, quia vna eſt, & eadem eſſentia trium perſonarum. Non poterat Deus exemplar pulchrius, nobilius, & excellentius ad creandum hominem ſibi proponere, quàm ſeipſum. Præterea Deus hominem cæteris omnibus animantibus præeſſe voluit, ideoque dixit ſanctiſſima Trinitas Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli*: Pro quo

Hominis dignitas.

Imago hominis, in quo cōſiſtit.

Gen. 1. 26.

honore, peccatores Deo iniuriam rependũt, & beneficium dominationis sibi cõcessæ parui faciunt. Primò quidem, quia imaginem Dei in se fœdare non verentur. Per peccatum superbiæ, luxuriæ & auaritiæ, quæ est triplex imago Dei imagini contraria: Nam superbia opponitur patris potentiæ: Luxuria filij sapiẽtiæ: Auaritię Sancti Spiritus bonitati: Propterea dicitur Rom. 1. *Mutauerunt gloriam incorruptibilem Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & serpentum*: Nam in volucribus quæ altè volant intelliguntur superbi: in quadrupedibus luxuriosi, propter corpus ex quatuor elementis compositum, in quo exercetur luxuria. Per serpentes verò terræ inhęrentes, & de puluere terrę viuentes, significantur auari, terrenorum cupiditate occupati. Legimus Theodosium Imperatorem, ob iniuriam imagini vxoris illatam, & fœdatam, multos occidisse: Igitur multò magis, qui Dei imaginem violãt & inficiunt digni sunt morte.

Imago Dei inquinata per peccatũ.

Rom. 1. 13.

In eo autem quod præposuit hominem piscibus volatilibus & bestijs, ostenditur quale debeat esse dominium rationis in homine: quia debet præesse piscibus, id est, passionibus concupiscibilis appetitus, vt sunt amor, gaudium delectatio &c.

Dominium rationis in homine.

Item volatilibus, id est, passionibus irascibilis appetitus, vt sunt ira, timor, audacia & alia huiusmodi. Item bestijs, id est, exterioribus sensibus, quos habemus communes cum

bestijs. Hoc modo homines pro honore & beneficio accepto à Deo, iniuriã Deo inferũt: de eo, Ec. *Pro honore & beneficio reddũt illi cõtumeliã.* *Eccl.39.*

Secundò, in auctor. allegata ostenditur hominis cœcitas, quia non intellexit glosa, suam dignitatẽ, quæ appareat in quibusdã proprietatibus, quas Deus dedit homini super omnia animalia, vt est, intelligere, & speculari res spiritales, quòd est, quasi pane Angelorum vesci, Psal.77. *Panem Angelorum manducauit homo.* Si igitur homo solùm occupetur circa sensibilia, dignitatem suam non intelligit, quia prætermisso cibo Angelorum, cibo bestiali vtitur. *Ps. 48. 11.* *Cæcitas hominis.* *Ps.77.29.*

Maximè autem facit ad hominis dignitatẽ, si per intellectum eleuetur ad rerũ diuinarum contemplationem: Quia licet de rebus diuinis pauca homo cognoscere possit, sicut ait Aristo. lib. de partibus animalium, id ipsum tamen quod capere possumus, delectabilius multò est, quàm hæc omnia inferiora. Vnde Greg. ait, *Quando aliquid æternum mente capimus, iam extra mundum esse videmur*: Cuius rei delectatione, sancti ita aliquando rapiuntur, vt sintne in corpore, an extra, vix sciant, iuxta illud Apostoli 2. Cor. 12. *Scio hominem, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum.* *2.Cor.12.3*

Quando ergo aliquis, Dei spreta contemplatione, tantummodo in rebus materialibus animũ & affectũ occupat, dignitatẽ suã ignorat, & animã suã in vanũ accepisse videtur, vnde

Sap. 13.1. Sap. 13. *Vani ſunt omnes homines, in quibus non eſt ſcientia Dei*: Nam ex ijs quæ videntur bona, nō potuerunt intelligere eum, qui eſt, aut quis eorum artifex.

Dignitas hominis. Item dignitas hominis in eo maximè ſpectatur, quòd ſit particeps diſciplinæ propter rationis vſum: Vnde qui ſcientias contemnit, nec filios ad illas capeſcendas hortatur, non *Literarū ignorantia.* meminit Senecæ dicti, Ait enim, *Otium ſine literis mortem eſſe & viui hominis ſepulturam*. De *Pſal. 81.5.* ignaris è contrario dicitur Pſal. 81. *Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.*

Hominis dignitas. Confert etiam ad hominis excellentiam, quòd ſit animal ōnis generis amicitiæ capax, qua maximè homines in omni afflictione cōſolātur, hinc Lib. 8. Ethicorum, ait Ariſtoteles, *Amicitia propria hominis.* *ſine amicis nullus eligeret viuere, etiam ſi omnia alia bona poſsideret*: Et in hoc etiam differt homo à brutis, quòd careant omni amicitia, licet in eis ſit amor alicuius complacentiæ, propter connutritionem vel concupiſcentiam, ſed non eſt in eis amicitiæ delectatio, ſecundùm electionem. Ille ergo qui non poteſt ſibi amicos comparare, vel quia nimia iracundia, cupiditate, aut ſuſpicione agitatur, ſuæ ignarus eſt dignitatis, vt qui turpes & inhoneſtas amicitias colit, Vnde Tullius lib. de amicitia: *Hæc primà lex in amicitia ſanciatur, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati.* *Ezech. 22. 26.* Ezech. 22. *Inter pollutum & mundum non intellexerunt.*

Ad hominis nobilitatem etiam facit, quòd

coniugij sit capax, legibusque bene ordinatis honestas faciat nuptias: Qui igitur sese fœdissima fornicatione inficiunt, & maculant, contempto matrimonio, aut eo contracto, in pessima adulteria sese præcipitāt, miserrimi sunt, & bestijs comparantur. Hinc Psal. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Quod quidem Angelus exponens, Tob. 6. ait in eos, qui coniugia ita suscipiunt, vt Deum à se & à sua mente excludant, maximam potestatem dęmonium habere.

Coniugium proprium hominis.

Psal. 31. 11.

Tertiò. possumus considerare in auctoritate superiùs citata, hominis vilitatem, cū dicitur, *Comparatus est*, Supple, non ex natura à Deo data, sed ex culpa contracta, *Iumentis insipientibus &c.* Cùm homo sit medius inter Deum & bestias, ille degenerat ab humana dignitate, si rectam non sequatur in suis actionibus rationem, sed passiones inordinatas, Vnde cùm non fiat Deo similis, necesse est, vt in bestias redigatur, & illis assimiletur, iuxta passiones diuersas, quibus mouetur: Sicque per cōcupiscētiam fit porcus, per fallaciam vulpes, per rapinā Leo, & sic de alijs, quòd Plato ait, secundam animarum incorporationem. Eccles. 3. *Dixi in corde meo, de filijs hominum vt probaret eos Dominus, & ostenderet esse similes bestijs.*

Psal. 48. 12.

Vilitas hominis.

Eccl. 3. 18.

TERTIVM malū quod contingit ex morte, est quia homo mortuus reijcitur à communitate sociali, vnde dicit in Themate, in persona defuncti, *Opprobrium hominum* sc. sum & *abiectio plebis.* Corpus hominis mortui efficitur

Psal. 21. 6.

Homo, opprobriū est.

putridum, & ratione putredinis, est in opprobrium. Hinc affirmat D. August. *Putredinem & vermem, esse opprobrium humanæ conditionis*

Ps. 30. 14. Psal. 30. *Factus sum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis: Qui videbant me foras, fugerunt à me, obliuioni datus sum, tanquam mortuus à corde.* Vbi attende mirabiles mutationes, nam ille qui erat viuus, & honoratus, post mortem efficitur opprobriũ putredinis. Ille, cuius familiaritas dum viueret præstabat securitatem, cùm est mortuus, incutit timorem etiam notis suis: Dum viuebat cum maxima oblectatione, conspiciebatur ab his, qui eundem mortuum horrent intueri & videre. Qui erat celebris, apud homines fama & honore, defunctus obliuioni traditur.

Vel possũt præcitata verba, exponi de conditione flebili cuiuslibet peccatoris, Deo oblati in iudicio vltimo, & generali: Tũc enim quilibet peccator dicere poterit, *Factus sum opprobrium.* Quibus quidem verbis ostendit.

Primò, conditionem suam esse vituperabilem, propter maledictum.

Secundò, formidabilẽ propter tormẽtum.

Tertiò, detestabilem propter delictum.

Quartò, miserabilem propter despectum.

Opprobriũ homo est. Docet igitur primo loco conditionẽ suam vituperabilem, cùm dicit, *Factus sum opprobrium.* Ait Papias crimen esse vel maledictum: Vtroque modo opprobrium sustinebunt impij in iudicio, eo quòd omnia peccata omnibus erunt manifesta. Dicetur etiam illis, *Discedite*

à me maledicti in ignem æternum. Matth. 25. *Matt.25.41.*
& Psal. 77. *Percussit inimicos eorum in posteriora, opprobrium sempiternum dedit eis.* *Psal.77.72.* Priora namque Christi beneficia fuerunt gratiæ & misericordiæ, quã exhibuit in primo Aduentu: Sed posteriora erunt iudicia iustitiæ, quæ faciet in secundo Aduentu, & tunc gladio suæ sententiæ percutiet inimicos, & dabit eis opprobrium maledictionis æternæ.

Secundò, erit eorum conditio formidabilis propter tormentum, quia ibunt in ignem æternum, Et ideo dicitur, *timor notis meis.* Psal. 30. 14. Nam omnibus erit nota illorum damnatio, tam bonis quàm malis, & sic scient quantùm fuerit semper timenda, Apo. 18. *Longè stabunt propter timorem tormentorum*, id est, propter timenda tormenta. *Hominis cõditio formidabilis.* *Apo.18.10.*

Tertiò, ostenditur eorum conditio esse detestabilis propter delictum, Cùm dicitur, *Qui videbant me foras, fugerunt à me*: Quemadmodum in hoc sæculo, Sancti videntes peccatores malè agentes, ab eis recedunt, eorumque peccata detestantur, ita in iudicio, cùm perspicient eorum tormenta. Hierem. 5. 6. *Fugite de medio Babylonis*, id est, à participatione vitę hominis impij & scelerati. *Vt saluet vnusquisque animam suam: Nolite tacere super iniquitatem eius, quoniam tempus vltionis eius est Domino, & vicissitudinem ipse retribuet ei.* *Ps. 30. 14.* *Hier.51.6.* *Peccatores fugiendi.*

Quartò, docetur peccatoris damnandi cõ-

Conditio peccatoris miserabilis. ditio esse miserabilis propter despectum, ita enim à Deo & sanctis omnibus despicietur, vt perpetuæ obliuioni tradendus videatur, ideoque dicit, *Obliuioni datus sum à corde*, id est, Dei & Sanctorum. Os. 1. *Non addam vltra misereri Domini Israel, sed obliuione obliuiscar eorum.* Iob. 24. 20. *Obliuiscatur illius misericordia.* *Os. 1. 6.*

Sed iterũ corpus ratione fœtoris abijcitur ab hominum cõsortio, ne suo fœtore inficiat, propterea dicitur, *Abiectio plebis*, Sup. sum, propterea abscondunt illud in sepulchro, ne amplius videatur tanquam quid inutile & abominabile. Competit ergo & illud Ionæ 2. 5. *Abiectus sum à conspectu oculorum*: Verùm talis abiectio nihil obest ijs qui in cœlo reconduntur: in ijs enim Deus habitat per gloriam, quibus dicit Deus Leuit. 26. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea*: Quòd fiet in cœlo, in gloria paradisi. Ad quam nos Deus Iesus Christus perducat. *Leuit. 26. 11.*

AMEN.

DE BONIS, QVIBVS PRIVATI SVNT MORTVI.

THEMA.

Mortui nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem, quia obliuioni, tradita est memoria eorum. Eccles. 9. Eccl. 9. 5.

NIhil est, quod homini magis contemptibilia reddat bona huius vitæ, quàm mortis profunda & assidua contemplatio, ita docet D. Hier. *Facilè omnia contemnit* (inquit) *qui semper cogitat se moriturum.* Ratio in promptu est, quò enim rei alicuius defectus, magis apparet, eò magis contemnitur res illa: At id mors præstat, cùm per illam omnia auferãtur: Sunt enim qui multùm insumunt laboris, pro vita sustentanda, & conseruanda, Alij pro sciẽtia addiscenda, quidam pro cumulandis pecunijs, nonnulli pro fama extendenda: At his omnibus, homines per mortem priuãtur: Quod ostendit Ecclesiastes verbis in Themate citatis: vita, *quia mortui*: Scientia, *quia nihil nouerũt amplius*: Mercede seu lucro, *quia non habent vltra mercedem*: Et fama seu memoria, *quia obliuioni tradita est memoria eorum*. Tanguntur ergo quatuor bona quibus homines morte priuantur. *Memoria mortis.*

Primò, priuantur actu vitæ.
Secundò, vsu scientiæ.
Tertiò, augmento pecuniæ.
Quartò, affectu amicitiæ.

Bona quatuor quibus mors priuat. Tempore veris & æstatis, arbores & plantæ vita viuunt delectabili & decora, quia frõdibus vestiuntur, floribus adornantur, & fructibus sapidissimis adimplentur. Verũ Hyberno tẽpore, õnibus prædictis spoliatæ, quasi mortuæ vidẽtur: Sic homines in hac vita frondibus diuitiarũ, & fructibus bonorũ adornati vita gratiosa & iucundissima viuere vidẽtur: Quibus omnibus morte spoliati, cadauer exanime remanet, & eorum vita est soli Deo nota. Vnde de eis dici meritò posset id quod ait D. Paul, *Ad Colo. 3. 3.* ad Colo. 3. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* In quibus verbis secundùm quandam allegoriam sumptis, agitur de tribus.

Primò, de hominum corruptibilitate.
Secundò, de animarum immortalitate.
Tertiò, de sanctorum fœlicitate.

Circa primũ, nota eos mortuos appellari, qui *Vita triplex* vita priuantur. Est autem triplex vita, naturæ, *Mors triplex* gratiæ, & glorię. Quidam ergo dicuntur mortui, quia priuantur vita naturę, quã priuationem nullus hominũ euadere potest: quia quãdiu homo viuit, ad eã semper tendit: Sicut nauta licet dormiat, tamẽ semper progreditur: *Mortis admonitiones.* Ita est de homine, ptopterea puer recẽs natus, vocẽ doloris emittit, quasi iam incipiat calces mortis sentire. Mors enim quẽlibet admonet

quotidie vt corã se cõpareat, vt iudicium recipiat. Quid enim canities in capite, pallor in facie, turbatio oculorũ, amissio dentiũ, nisi mortis admonitiones? Eccl. 14. *Benefac tecũ, & Deo dignas oblationes offer, Memor esto quoniã mors non tardat.* Ipsa enim nec propter Papã, nec propter Regẽ, differet vnã diẽ, vnde nemini parcet. Ideoque Iudæi arguentes Christum, dixerunt, Ioan. 8. *Abraham mortuus est, & Prophetæ mortui sunt, & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum.* Verũ Christus nõ loquebatur de morte corporali, sed spirituali, idque non intelligebant.

Eccl. 14. 11.
Mors nemini parcit.
Ioan. 8 51.

Quidã verò dicuntur mortui, quia sunt priuati vita gratię, propter culpã. Quæ mors aliquã analogiã habet cũ morte naturæ, quæ ex diuersis morbis causatur Hier. 16. *Mortibus ægrotãtiũ morientur.* Sunt enim diuersa peccata, quasi diuersæ ægritudines, quibus spiritualiter homines moriuntur. Sunt etiã diuersi sæpe dolores in vtero, quibus affligimur, ita diuersæ culpæ in cõsciẽtia, quib⁹ ipsa torquetur. Quod figuratur 2. Paral. 21. 15. Vbi dictũ est Iorã, qui multa mala fecerat, nec secutus fuerat Deũ sicut Iosaphat. *Tu ægrotabis pessimo dolore vteri.* Is est, qui peccati veneno inficitur: Vnde sequitur languore agitatum vita caruisse, eo quòd vitã gratiæ amittit, qui peccat. Propterea mortuus est infirmitate pessima, hoc est morte culpæ. Et 2. Paral. cap. 16. *Ægrotauit Asa dolore pedũ vehementissimo.* Asa interpretatur extollens, id est, peccator, is ægrotat dolore pedum, id est,

Mors spiritualis.
Hier. 16. 4.
Peccata animæ ægritudines.
2 Paral. 16. 12.

affectionum, nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum per pœnitentiam, & mortuus est non solùm in corpore, sed etiam in anima.

Mors spiritualis. Quidam verò dicuntur mortui, quia sunt priuati vita gloriæ, sicut damnati. Quæ mors habet vmbræ similitudinem: Vmbra enim non est id, cuius est vmbra, sed tantùm eius similitudo: Ita mors corporalis non est mors inferni, sed illi assimilatur, in eo quòd nulla pœna est maior ea: Dissimilitudo verò spectatur in eo, quòd corpus nihil pœnæ, doloris, seu læsionis sentit, at in morte gehennæ non ita est, sentient enim damnati post iudicium, dolores inferni, etiam quoad corpus, post cuius interitum viuunt in anima, sed tamen mortui sunt. Psal. 54. 16. *Veniat mors super illos & descẽdant in infernum viuentes, Vnde mors depascet eos,* Herba enim pascitur, & iterum crescit vt pascatur: Sic quantumcunque puniantur, adhuc viuent, vt semper puniantur. Apo. 9. *Desiderabunt mortem & mors fugiet ab eis.*

Damnati moriuntur & viuunt.

Apo. 9. 6.

Immortalitas animæ. Secundò, in auctoritate allegata ad Coloss. 3. 3. agitur de animarum immortalitate, cùm dicitur, *Vita vestra*, id est, animarum vestrarum, *abscondita est*, Sup. à vobis hîc viuentibus. Iob 28. 21. *Abscondita est ab oculis omniũ viuentium.* Hoc autem facit Deus, vt maius sit meritum fidei nostræ, dum credimus quod nõ videmus, scilicet, vitam & statum animarum post mortem, quia beati sunt, qui non viderũt & crediderunt Psal. 30. 26. *Absconde eos à facie tua.* In hoc abscondito, animæ sanctorum, ma-

Mors abscõdita. Cur?

xima dulcedine perfruuntur. De qua Psal. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*: Sic ergo quamuis sint mortui, Deo tamen viuunt, quia Deus nõ est mortuorum, sed viuentium. Anima enim hominis incorruptibilis est, habẽs imaginem incorruptibilis Dei. Patet etiam immortalitas animæ secundùm Augustinũ, eo quòd susceptibilis sit incorruptibilis veritatis. Ait enim Aristoteles lib. 6. Ethic. Quidquid recipitur in alio, per modum recipientis recipitur: Cùm igitur incorruptibilis veritas recipiatur in intellectu, necesse est intellectus sit incorruptibilis, & ex consequenti ipsa anima. Ps. 118. *Da mihi intellectum & viuam.* Et iterũ, *Anima mea illi viuet*, id est, Deo.

Psal. 30. 24.

Animæ immortalitas.

Tertiò, agitur in auctor. prædicta, de Sãctorũ fœlicitate, quæ est In Christo cũ Deo, *quia si sunt hęredes Dei, cohæredes autẽ Christi*, sicut Apostolus dicit, Rom. 8. 17. Habẽt enim beati simul cũ Christo, vitã æternã in visione diuinitatis, id est, in cognitione beatissimæ trinitatis, & vnitatis beatissimę essentiæ secundùm illud Ioã. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscãt te solũ verũ Deum, & quẽ misisti Iesũ Christũ.* Christus ergo in quantũ Deus est, simul cũ Patre & Spiritu Sancto, beatificãs est eos in sui cognitione: sed in quantũ homo est, simul beatificatus cũ eis, in Dei visione: Et sic patet, quasi quædã allegorica expositio prædictæ auctor. Apostoli. Sed literalis expositio est, *mortui enim estis*, (Sup.) peccato per baptismũ, vel per pœnitẽ-

Ad Colo. 3. 3.

Beatitudo.

Ioan. 17. 3.

Ad Colo. 3. 3.

tiam. *Vita veſtra*, Sup. Futura æterna & immortalis, *abſcondita eſt vobis nunc*, *quæ eſt cū Chriſto*, quia iam immortalis vitæ reſurrectio, quā vos habetis cū Chriſto inculpata vobis in Chriſto capite; & ſic *in Deo*, id eſt, virtute Dei.

Eccl. 9. 5. *Scientia mortui priuati ſunt.*

Secūdò, in Themate aſſumpto, oſtēditur ſecundum bonum, quo mortui ſunt priuati: ſc. profectu ſcientiæ, vnde ait, *Nihil nouerunt amplius*, Sup. poſt mortem. Quod quidā intellexerunt de ſcientia prius acquiſita. Quibus etiā fauere videtur illud Apoſtoli 1. Cor. 13. *Siue ſcientia deſtruetur.* Et ita iuxta eorū ſentētiā, intellectus qui eſt pars animæ deſtrueretur, & ab ea ſepararetur, quod falsū eſt: Remanēte ergo intellectu, qui eſt incorruptibilis cum anima, habitus etiā ſciētiæ, qui eſt in eo acquiſitus, remaneat neceſſe eſt. Vnde Hier. ait *Diſcamus in terris, quorū ſcientia nobis perſeueret in cœlis.* Locus autē Apoſtoli 1. Cor. 13. 8. nō intelligitur quantùm ad habitum ſcientiæ, qui eſt in intellectu, ſed quantùm ad modum ſciendi, qui nunc eſt, quia neque per ſenſum acquiremus ſcientiam, ſicut nunc facimus, nec actus intelligendi erit per conuerſionem ad phātaſmata, ſicut nunc eſt. Et ideò quidam alij expoſuerūt prædictum locum, *nihil nouerunt amplius*, id eſt, nihil actu recordabuntur amplius eorum, quæ hìc ſciuerunt, id eſt, quòd nullo modo vtentur ſciētia hìc acquiſita. Verùm id quod apud Lucā cap. 16. dicitur de diuidite Epulone illis aduerſatur. *Recordare quòd recepiſti bona in vita tua.* Ergo anima ſeparata poterit recordari eorum, quæ

1. Cor. 13. 8.

Luc. 16. 25. *Scientia in animabus mortuis.*

quæ hîc sciuit, & poterit vti scientia priùs acquisita, & intelligere quod prius intellexit: Non tamen eodem modo, hoc est, per conuersionem ad phantasmata, sed per modum conuenientem animæ separatæ, quia modus operandi sequitur modum essendi. Et ideo dicunt Doctores quòd anima separata tribus modis intelligit. *Vno modo per scientiã infusam*, siue per species, quas Deus infundit, in ipsa separatione animæ à corpore, quarum tunc anima fit particeps, sicut & aliæ substantiæ separatę: Et quia talis infusio specierum, pertinet ad conditionem naturæ animæ separatæ, & anima non subtrahitur etiam malis & damnatis, licet subtrahantur dona gratuita, ideo non solùm animæ puerorum, quæ sunt in limbo, sed etiam animæ damnatorum, tali infusione priuantur. Et ideo per talem influxum, multa scire & intelligere possunt etiam singularia, non tamen omnia, ad quæ quodammodo determinantur, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem aut diuinam ordinationem.

Sciendi modus in animabus defunctorum.

Secundò intelligit anima separata per sciẽtiam hîc acquisitam, siue per species in corpore acquisitas: Sed quia tales species prout sunt in intellectu repræsentant solùm naturam communem, non possunt per illas cognosci singularia, nec directè, nec per conuersionem ad phantasmata, quę ibi non sunt: Potest tamen huiusmodi naturalia applicare ad singularia, quorum notitiam per aliam cognitionẽ

habent.

Tertio modo, intelligunt animæ separatæ in quantum vident Angelos vel Dæmones, species rerum in eis intuendo, sed hoc non est in arbitrio ipsius animæ, sed est in arbitrio ipsius Angeli vel Dæmonis, qui suam intelligentiam aperiendo, dicitur loqui animæ, vel claudendo eam, dicitur tacere.

Fuerunt alij, qui prædictum verbum Thematis, aliter exposuerunt, scilicet, quòd mortui nihil nouerunt amplius, id est, de cætero
Ps. 73. 10. eorum quæ fiunt in hac vita, Psal. 73. *Nos non cognoscet amplius*, quod quidem verum est secundùm naturalem cognitionem, de his quæ hîc aguntur, vnde Iob. ait: *Siue nobiles fuerunt filij eius, siue ignobiles non intelligent.* August. in lib. de cura pro mortuis agenda, negat mortuos scire, quæ hîc aguntur viuentibus. Glosa
Esa. 63. 16. super illud, Esa. 63. *Abraham nesciuit nos*, explicat quantùm ad naturalem cognitionē tantùm. Non autem secundùm cognitionem beatificam, qua fruuntur sancti: Quia qui intus Dei claritatem vident, nullo modo credendú est, aliquid exteriùs ignorare. Ergo præsentia omnia, quæ hîc aguntur cognoscunt: Sunt enim Angelis æquales: de quibus etiam Augustinus dicit, *quòd ea, quæ apud viuos aguntur non ignorant.*

Possunt etiam scire mortui, quæ hîc fiunt, siue per Angelos, siue per Dæmones, vel etiā spiritu Dei reuelante, sicut asserit idem. D. August. in eodem lib. Glosa verò de profectu,

ſcientiæ explicat, *Nihil nouerunt amplius*, id eſt, non proficiunt ampliùs: Quod ſi ita eſt, ſequitur quòd mortui nihil poſſunt intelligere eorum, quæ prius non intellexerunt, quia ſic iã proficerent in cognitione. Sed hoc falſum eſt, quia conſtat eos cogníturos inferni pœnas, quas modo impij ignorant. Ergo melius erit ſecundùm D. Thomam illa verba interpretari de profectu meriti: Vnde debet intelligi quòd mortui nihil proficiunt in cognoſcẽdo, ita vt ex hoc, ſint maioris meriti, vel præmij, vel quòd eis excellentior cognitio debeatur.

Meritò autem damnati hanc iram Dei merentur, vt priuati ſint omni vtili notitia, eo quòd creatorem Deum ignorare & eius præcepta contemnere voluerunt. Pſal. 78. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouêrunt.*

Tertium bonum, quo priuati ſunt mortui eſt augmentum pecuniæ ſiuẽ diuitiarum, vnde dicitur Eccleſiaſt. 9. 5. in Themate: *Non habent vltra mercedem.* Quandiu enim vixerũt diuerſis operibus lucrari, diuitias comparare & augere licitum fuit, quia dignus eſt operarius mercede ſua, ſicut Dominus dixit, Luc. 10.7. Vnde Matth. 20.8. *Voca operarios & redde illis mercedem.* Verùm mortui tale quidpiam præſtare non poſſunt, vt lucrũ faciant, Ezech. 16. *Mercedes vltra non dabis.* *Eccleſiaſt. 9. 5.*

Vel ille locus intelligi poteſt de mercede ſpirituali, quæ redditur à Deo hominibus, pro laboribus & operibus ſuis, 1. Cor. 3. 8. *Vnuſquiſque mercedem accipiet, ſecundùm proprium* *Ezech. 16 40.*

suum laborem. Ergo mortui secundùm Glosam, non habent vltra mercedem, quia nec in merito, nec in præmio proficere possunt.

Quod quidem post diem iudicii, de omnibus verum esse à Doctoribus conceditur, quia tunc erit vltima consummatio bonorum & malorum, nec in beatis bona voluntas ad meritum valebit, sicut nec mala in damnatis ad demeritum. Quando verò quidam dixerunt ante diem iudicij, beatos mereri & damnatos demereri, hoc est intelligendũ, respectu præmij vel pœnæ accidentalis. Verissimum est igitur de mortuis illud Sapientiæ, Cap. 2. *Neque mercedem sperauerunt iustitiæ*, Sup. aliam essentialiter, quàm habeant post mortem, sicut dicit Glosa super Lucam Cap. 16. *Inter vos*
Luc. 16. 26. *& nos Chaos magnum firmatum est, &c.*

Memoria amicorũ perit per mortem. Quartum bonum quo mortui priuati ostẽduntur, est affectus amicitiæ, quia etiam ab his, qui fuerunt amici & chari, obliuioni tradita est memoria eorum.

Et ratio est, quia talis amicitia erat propter vtilitatem, quam de illis consequebantur, vel sperabant. Verùm vt ait Seneca: *Amicus qui vtilitatis causa assumptus fuerit, sicut canis amplectitur os, quandiu inuenit quod rodat, & postea relinquit*: Sic talis amicus tandiu durat, quandiu ei vtilis fuerit. Vnde quia post mortem, nihil amplius de illo sperat, eius etiam obliuiscitur,
Ps 30. 15. Psal. 30. *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.*

Porrò notanda est differentia inter iustos & improbos, quòd videlicet si aliqua illorum

remaneat memoria, erit laudabile, si horum erit vituperabilis, Prouerb. 10. *Memoria iusti laudabilis, nomen impiorum putrescet.* Item apud Deum iusti sunt in æterna recordatione secũdùm illud: In memoria æterna erunt iusti, iniusti verò in æterna obliuione, Psal. 87. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris quorum non est memoria amplius, ipsi de manu tua repulsi sunt.* In quibus verbis, Primùm nota impiorum afflictiones, quia sunt sicut vulnerati: Nam in inferno habent vulnera insanabilia peccatorum, Esa. 1. *Vulnus & liuor & plaga tumens non est circumligata,* Sup. fasciâ contritionis: Neque lota oleo pietatis, per satisfactionem eleemosynarum, neque curata medicamine, confessionis.

Memoria bonorum & malorũ, qui vita functi sunt.

Psal. 87. 5.

Esa. 1. 6.

Dãnati non agent pœnitentiam.

Item habent vulnera tormentorum affligentia, Gen. 34. 25. *Grauissimus dolor vulnerum est.* Secundò nota ipsorum humiliationẽ, quia dormierunt in sepulchris, hæc sunt palatia ipsorum, Psal. 48. *Sepulchra, domus eorum.* Dicit dormientes, quia iterum excitandi sunt, vt resurgant in die iudicij, vt sicut in corpore peccauerunt, ita in corpore damnationem accipiant, Psal. 40. 9. *Nunquid qui dormit non adijciet, vt resurgat?*

Ps. 48. 10.

Tertiò nota ipsorũ desperationẽ: primò quãtũ ad pœnã sensus, quia nõ est memor Deus ãpliùs eorum, vt liberet eos de pœnis: & hoc meritò, quia ipsi nec in morte fuerunt memores Dei, vt pœniterent secundùm illud, Psal. 6. *Non est in morte qui memor*

Desperatio damnatorũ.

Ps. 6. 5.

sit tui, in inferno quis confitebitur tibi? Quasi dicat non habent ibi locum confessio, & pœnitentia.

Item nota desperationem, quantùm ad pœnam damni, quia de manu tua repulsi sunt, per quam nunquam deducentur ad gloriam, sicut dicitur, Psal. 138. 9. *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Repulsi sunt ergo à te, dicente. *Discedite à me maledicti*: Et ab illa manu, de qua dicitur, Sap. 3. *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt.* Et Psal. 144 17. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*, idest hominem, ob quem factum est omne animal, benedictione, Sup. qua dices Matth. 25. *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Ad quod nos perducat Iesus Christus Dei Filius.

Sap. 3. 1.

Matth. 25. 34.

AMEN.

DE LOCO ÆTERNITATIS, AD QVEM HOMO vadit.

THEMA.

Ecclesiast. 12 9.

Ibit homo in domum æternitatis suæ. Ecclesiast. 12

HOMINI excunti de patria sua, & in aliam proficiscenti, multùm expedit sci-

re quanto tempore debeat ibi commorari, Propterea Angelus Domini, *cùm apparuisset Ioseph in somnijs dicens, surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum*: Indicauit ei, quanto tempore ibi manere deberet: Esto (inquit) ibi, vsque dum dicam tibi, Matth. 2. 13. Et quamuis non determinauerit tempus, quia ipse curam gerebat, ideo voluit vt moram ibi faceret, ad prouidentiam Dei: In aliis tamen hominibus necessaria videtur temporis determinatio, quia ex ea plus vel minus sibi de necessarijs prouidere poterunt: Vnde Prouerb. 7. Dicitur de eo qui in viam lõginquam abijt, *in die plenæ lunæ reuersurus*, id est, quo-vsque luna esset plena moraturus, sacculum pecuniæ secum tulisse. Multè ergo magis expedit animæ de terra sui corporis per mortem exeunti & viam longissimam, Sup. propter distantiã status abeunti, sacculum pecuniæ, id est, thesaurum bonæ conscientiæ, & cumulum bonorum operum, secum deferre: Cùm debeat non per mensem vel annum, sed in æternum in ea regione, ad quam proficiscitur, manere, & inde ad hanc vitam nunquam redire. Quod ostenditur in verbo, *Ibit homo &c.* Quibus quidem verbis, tria breuiter describuntur.

Mora temporis à proficiscente aliquo cognosci debet.

Prou. 7. 19.

Primò, describitur transitus mortalitatis.

Secundò, excessus nobilitatis.

Tertiò, terminus stabilitatis.

Circa primum obserua, licet mori sit omnibus commune vt sæpiùs diximus, tamen

Loca diuersa mortuorũ

post mortem iusti & impij ad vnum & eundẽ locum non proficiscuntur: Ratio est, quia ex diuersis qualitatib' diuersi sequuntur motus, qui quidem diuersos habent terminos: vt quę leuia sunt, ascendunt, quæ grauia, descendũt: Terminus illorum est locus sursum, terminus horum, est deorsum.

Idem cõtingit in animabus è corpore egredientibus: Quæ enim per baptismum & per pœnitentiam, subleuatæ sunt, ascendunt sursum in vitam æternam: quæ verò peccatis oneratæ, descendũt deorsum in infernũ, Matth. 25. *Ibunt mali in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.*

Matth. 25. 46.

In quibus quidem verbis de duobus agitur.

Primò, de damnatione impiorum.

Secundò, de retributione iustorum.

Damnatio miserabilis ob tres rationes.

Damnatio autem impiorum, triplici ratione miserabilis ostenditur. Primò, ratione recessus vituperabilis, qui notatur, cùm dicitur, *Ibunt*, Sup. recedentes à conspectu Dei & consortio sanctorum, tãquam vituperabiliter expulsi, Sup. Cùm dicit eis Christus, *Discedite à me maledicti, in ignem æternum. &c.*

Sed quomodo poterit discedere à Deo, cùm ipse sit vbique. Respondendum est quòd quẽadmodum anima licet secundùm essentiam sit tota in toto, & tota in qualibet parte, tamen secundùm diuersas potentias, est in diuersis partibus corporis, ita quamuis Deus vbique sit per suam essentiam, præsentiam, & poten-

Discessus à Deo.

tiam, secundùm tamen aliquos effectus definitos, dicitur esse in determinatis locis. Sicut per actum glorificationis dicitur esse in cœlo, siue super cœlos, Psal. 112. *Super cælos gloria eius, & ideo cæli enarrant gloriam Dei*: Secundùm verò actum vltimæ & æterne punitionis, & iustitiæ Dei, dicitur esse in inferno: sicque damnati non discedunt à Deo iustè & in æternum puniente per ignem, qui propterea dicitur esse instrumentum Diuinæ iustitiæ, non enim hoc habet ex natura ignis, vt affligere possit spiritum, sed ex virtute Diuina: Quia igitur iustitiæ & virtutis Dei præsentiam effugere non potest, Dauid dicebat, Psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades.*

Ps 112. 4.

Ignis inferni instrumētū Diuinæ iustitiæ.

Ps 138 6.

Secundò, ostenditur miserabilis conditio impiorum, ratione reatus inexpugnabilis, cum quo hi recesserunt, qui post vitam hanc expiari non potest, sicut nec maculæ vitiorum vt gulæ, superbiæ, auaritiæ, & inuidiæ, quibus fœdati fuerunt. Vnde de ipsis dicitur in Epistola Iudæ. *Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuātes, sine timore semetipsos pascentes, nubes sine aquis, quæ à vento circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum reseruata est.* In hac auctoritate damnati ostenduntur maculati gulæ vitio, cùm dicitur.

Reatus peccati inextinguibilis.

Epist. Iud. Ver. 12.

Hi sunt in epulis suis conuiuātes. Vitio superbiæ,

Damnati omnibus vitiis maculati. cùm subditur, *nubes*, id est superbi per appetitum inordinatum ad sublimia tendentes, vt nubium vapores, Luc. 1. *Dispersit superbos, sine aqua gratiæ existentes: Deus enim superbis resistit,*
Iacob. 4. 6. *humilibus autem dat gratiam.* Iac. 4. *Qui à vento circumferuntur*, Sup. vanitatis. Tertiò maculati fuerunt accedia, sunt enim infructuosi sicut *arbores autumnales*, quæ sibi & aliis sunt infructuosæ, quia fortè non producunt fructus nisi malos: *bis mortuæ*, Sup. in ramis & radice, hoc est, in voluntate & opere.

Non etiam illis defuit Ira, *sicut fluctus feri maris*. Scilicet, crudeliter alios percutientes, fuerunt etiam immundi per luxuriam, *quia despumantes suas confusiones*, hoc est in spuma luxuriæ, suam confusionem ostendentes. Docet præterea ille locus in epistola D. Iudæ fuisse inuidos, *quia sydera errantia*, quibus claritas alienę prosperitatis vertitur in affectus errorũ: odio enim habent quod deberent amare, scilicet, bonum proximi, & dolent, vnde deberent gaudere, scilicet, de aliorum fœlicitate. Postremò tenebrosi fuerunt propter vitium auaritiæ: Nam sicut ait D. Chrysosto. *Tenebra animæ est diuitiarum cupido*, & ideo eis tenebrarum procella reseruata est, procella propter inquietudinem mentis, & tenebra propter amorem terrenorum: sicut terra interposita inter nos & Solem causat tenebras noctis.

Cruciatus damnatorũ intolerabilis Tertiò ostenditur miserabilis conditio impiorũ, ratione cruciatus interminabilis, quia in supplicium æternum. Vbi notandum, quod

supplicium licet omnium damnatorum sit æquale quantùm ad extensionem, quia omnium suppliciū erit æternum: tamen non erit æquale quantùm ad intensionem, quia qui plura, & maiora commiserunt crimina, patientur acriora supplicia, Heb. 10. 29. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum dixerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ cōtumeliam fecerit.* Duratione tamen supplicium omnium erit æternum 2. ad Thessal. 1. Pœnas dabunt in interitu æternas. Obijcies, qua ratione ad iustitiam Dei pertineat, vt actio temporalis peccati & finita, pœnam inferat infinitam & æternam. Dicendum est, hoc necesse contra Diuinæ iustitiæ rationem, neque contra leges humanas, quæ non exigunt, vt pœna commensuretur culpæ in ratione tēporis: Nam breuissimo tempore committitur adulterium & homicidium, pro quibus aliquando legibus humanis perpetuum infertur exilium, aut mors, per quam à consortio hominum in perpetuum excluditur. Non est igitur iniustum pro momentaneo peccato & temporali, pœna æterna puniri. Sic etiam qui in peccato moritur, in ipso semper perdurat, ideo secundùm æquum & iustum, semper puniendus est.

Heb. 10. 29.

Damnatorū supplicium æternum.

2. ad Tess. 1. 9.

Obiectio.

Habet etiam quodlibet peccatum mortale, quandam infinitatem ex parte Dei aduersus quem committitur, quia quantò maior & excellentior est illa persona in quam peccatur,

Peccatum infinitatem habet.

Damnati omnibus vitiis maculati.

cùm subditur, *nubes*, id est superbi per appetitum inordinatum ad sublimia tendentes, vt nubium vapores, Luc. 1. *Dispersit superbos*, *sine aqua gratiæ existentes*: *Deus enim superbis resistit*,

Iacob.4 6.

humilibus autem dat gratiam. Iac. 4. *Qui à vento circumferuntur*, Sup. vanitatis. Tertiò maculati fuerunt accedia, sunt enim infructuosi sicut *arbores autumnales*, quæ sibi & aliis sunt infructuosæ, quia fortè non producunt fructus nisi malos: *bis mortuæ*, Sup. in ramis & radice, hoc est, in voluntate & opere.

Non etiam illis defuit Ira, *sicut fluctus feri maris*. Scilicet, crudeliter alios percutientes, fuerunt etiam immundi per luxuriam, *quia despumantes suas confusiones*, hoc est in spuma luxuriæ, suam confusionem ostendentes. Docet præterea ille locus in epistola D. Iudæ fuisse inuidos, *quia sydera errantia*, quibus claritas alienę prosperitatis vertitur in affectus errorũ: odio enim habent quod deberent amare, scilicet, bonum proximi, & dolent, vnde deberent gaudere, scilicet, de aliorum fœlicitate. Postremò tenebrosi fuerunt propter vitium auaritiæ: Nam sicut ait D. Chrysosto. *Tenebra animæ est diuitiarum cupido*, & ideo eis tenebrarum procella reseruata est, procella propter inquietudinem mentis, & tenebra propter amorem terrenorum: sicut terra interposita inter nos & Solem causat tenebras noctis.

Cruciatus damnatorũ intolerabilis

Tertiò ostenditur miserabilis conditio impiorũ, ratione cruciatus interminabilis, quia in supplicium æternum. Vbi notandum, quod

ſupplicium licet omnium damnatorum ſit æquale quantùm ad extenſionem, quia omnium ſuppliciũ erit æternum: tamen non erit æquale quantùm ad intenſionem, quia qui plura, & maiora commiſerunt crimina, patientur acriora ſupplicia, Heb. 10. 29. *Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum dixerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Duratione tamen ſupplicium omnium erit æternum 2. ad Theſſal. 1. Heb. 10. 29. *Damnatorũ ſupplicium æternum.*

Pœnas dabunt in interitu æternas. Obijcies, qua ratione ad iuſtitiam Dei pertineat, vt actio temporalis peccati & finita, pœnam inferat infinitam & æternam. Dicendum eſt, hoc neceſſe contra Diuinæ iuſtitiæ rationem, neque contra leges humanas, quæ non exigunt, vt pœna commenſuretur culpæ in ratione tẽporis: Nam breuiſſimo tempore committitur adulterium & homicidium, pro quibus aliquando legibus humanis perpetuum infertur exilium, aut mors, per quam à conſortio hominum in perpetuum excluditur. Non eſt igitur iniuſtum pro momentaneo peccato & temporali, pœna æterna puniri. Sic etiam qui in peccato moritur, in ipſo ſemper perdurat, ideo ſecundùm æquum & iuſtum, ſemper puniendus eſt. 2. ad Teſſ. 1. 9. *Obiectio.*

Habet etiam quodlibet peccatum mortale, quandam infinitatem ex parte Dei aduerſus quem committitur, quia quantò maior & excellentior eſt illa perſona in quam peccatur, *Peccatum infinitatem habet.*

Damnatorũ pœna infinita. tantò grauius eſt peccatum: Sicut qui daret alapam Principi, grauius peccaret, quàm qui ruſtico.

Et adhuc multò grauius ſi Regi. Et ſi cùm Deus ſit infinitè magnus, ſic, offenſa contra eum commiſſa, eſt quodammodo infinita. At non poteſt eſſe infinita intenſiuè, quia nihil creatum ſic poteſt eſſe infinitum, igitur duratione, peccato mortali pœna infinita debetur.

Infertur etiam pœna temporalis peccatori vt corrigatur: Si igitur emendari non poſſit, manet eius voluntas obſtinata in peccato, ſicut eſt in damnatis, ergo eius pœna terminari non debet: Apparet itaque iuſtitia Dei in æterna damnatorum pœna, & ſic impletur illud Pſal. 118. *Iuſtitia tua iuſtitia in æternum.*

Matth. 25. 46. Secundò in auctoritate citata agitur de iuſtorum, retributione, cùm dicitur, *Iuſti autem ibunt in vitam æternam*: Siquidem vltima retributio iuſtorum conſiſtit in viſione Dei, quæ eſt perfecta eius cognitio. Ait D. Auguſt. *Viſio eſt tota merces.* Eſtque hæc viſio tãtæ virtutis, , vt à vidente omne nociuum excludat. Cuius figura habetur Numer. 21. 8. in ſerpente Æneo, quem aſpicientes à morſu ſerpentum curabantur.

Beatitudo in viſione Dei.

Item explet omnem appetitum: figuram habemus 4. Reg. 2. In Eliſæo, cùm Elias dixit. *Si videris quando tollar à te, habebis quod petiſti.* Si igitur viſio Eliæ dedit Eliſæo quod appetijt, multò magis viſio Dei

4 Reg. 2. 10.

videntis appetitum & voluntatem adimplebit.

Estque illa, nihil aliud, quàm vita æterna, Ioan. 17. 3. *Hæc est vita æterna, vt te cognoscant verum Deum, &c.* Ideo dicitur, Sapient. 5. 16. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.*

SECVNDO, in auctor. Thematis ponitur excessus nobilitatis cùm subditur, homo, quia homo alia omnia animalia nobilitate naturæ superat, quòd magis sit similis Deo & repræsentet ipsam trinitatem. In quantùm enim est animal intellectuale repræsentat similitudinem filij, qui est verbum intellectus Diuini: In quantum libero est exornatus arbitrio, habet similitudinem spiritus sancti: Nam vt ait D. Paul. 2. Cor. 3. *vbi spiritus est, ibi libertas.* In quantùm verò imperat & præcipit, habet similitudinem Patris, cui appropriatur potentia. Gen. 1. 27. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam*: Quod de nullo aliorum animalium dicitur. Sed multi ingrati, hanc similitudinem nobilissimam deprauant, prauis cogitationibus, electione malorum, & illicitis operationibus, de his ait Dauid, Psal. 48. *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

Ecclesiast. 12. 9.

Homo similis Deo.

2. Cor. 3. 17.

Ingratitudo

Ps. 48. 21.

Tertiò in auctoritate principali ponitur terminus stabilitatis, cùm ait, in domo æternitatis suæ.

Ecclesiast. 12. 9.

Domus duplex hominis post mortem. Est autem duplex domus hominis post mortem: Vna quæ corpus excipit, estque sepulchrum, & dicitur æterna, Psal. 48. *Sepulchra domus eorum in æternum.* Quod potest intelligi vel secundùm errorem Gentilium & Saducæorum, qui futuram corporum resurrectionem negarunt. Vel secundùm eos, qui ad perpetuandum nomen suum sumptuosa curãt ædificare sepulchra, ac si in æternum ibi manere deberent. Verùm fallũtur, nihil enim inde cõmodi accipit anima, præcipuè si suppliciis æternis afficiatur, vnde Esa. 22. *Quid tu hîc? aut quasi quis hîc Excidisti tibi hîc sepulchrum, excidisti in excelso memoriale diligenter in petra tabernaculum tibi: Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum si subleuabit te.*

Esa.22.16. *Sepulchrum sumptuosũ nihil prodest mortuo.*

2.Cor.5.1. Altera domus est, quæ animam excipit 2. Cor. 5. *Scimus autem quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habeamus domum non manufactam, sed æternam in cœlis.* Vbi mentionem duarum habitationum animæ facit, Quæ conditiones habent oppositas. Vna est terrestris, de qua dicitur, *Si terrestris domus nostra dissoluatur.* Alia cœlestis & perpetua, de qua subditur, *quòd ædificationem ex Deo habemus &c.* De prima eius describit vilitatem, quia terrestris est, hoc est de terra facta, seu procliuis ad terram. Iob. 4. *Qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum.*

Iob.4.19.

Secundò, eius incommoditatem, scilicet,

ex inquietudine, *huius habitationis*, vbi semper anima laborat, caro enim concupiscit aduersus spiritum & Psal. 119. *Habitaui cumhabitantibus Cedar:* significat enim Cedar mœrorem, quia pugna carnis contra spirituum, est ei causa mœroris & doloris. Ideoque dicitur, 2. Cor. 5. *Ingemiscimus habitationem nostram.* *Ps.119.5.*

Tertiò, ostendit eius corruptibilitatem, cũ dicit, *dissoluatur*, scilicet per mortem: Quam dissolutionem sancti viri vehementer appetũt, vt ad meliorem veniant habitationẽ, ad Philipp. 1. ait Apostolus, *cupio dissolui, & esse cum Christo*. Qui habet domum antiquam vult destrui, vt noua & pulchrior ædificetur. *ad Philip.1. 23.*

Secunda habitatio animæ est cœlestis & perpetua, de qua subditur, *ædificationem ex Deo habemus &c.* Vbi ponuntur tres conditiones oppositæ primæ habitationi. Nam contra vilitatem, ponit eius nobilitatem, quia habemus scilicet, nunc in spe, postea in reædificationem, id est, mansionem ędificatam ex Deo opifice, non enim humani labores sufficerent ad eam reædificandam. Ps. 126. *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* *Habitationes mortuorum diuersa* *Ps.126.1.*

Secundò, contra eius corruptibilitatem ponit eius perpetuitatem, quia domum non manufactam, sed æternam, de loco huius domus, Esa. 2. *Erit domus Domini, mons in vertice montium.* Per istum montem, cœlestis gloriæ locus intelligi potest, scilicet empyreum cœlũ, *Beatitudo mons in vertice mõtium.*

Ps.23.3. quod est super omnes cœlos: de quo Psal. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* subditur, *Innocens manibus & mundo corde.*

Vel iste mons Domini est Christus, in cuius Diuinitatis & humanitatis visione fundata est Sanctorum beatitudo, & ipse est in vertice montium, id est Angelis & hominibus præsidens: Est amplissima illa domus capiens omnes Angelos & beatos, Baruch. 3. *O Israel quã magna est domus Dei, & ingens locus possessionis* Baruch.3.23 *eius.* Est etiam distincta mansionum varietate, Ioan. 14. 2. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.*

Quæ quidem sunt diuersi gradus, penes *Domus Dei beatitudo.* gradus perfectionis in operando. Nam perfectio operationis, in qua beatitudo consistit, spectatur ex parte operantis, & ex parte obiecti. Obiectum autem in qua beatitudo consistit, est omnino vnum & idem, scilicet essẽtia Diuina, ex cuius visione omnes erunt beati æqualiter. At ex parte operantis, non erit in omnibus æquè perfecta, quia lumen gloriæ erit perfectior in vno, quàm in alio, ex quo sequetur vnam operationem esse alia perfectiorem, & delectationem maiorem ex parte beatorum.

Videmus in naturalibus eundem esse locum sursum, ad quem tendunt omnia leuia, quædam tamen propius accedere, prout sunt leuiora, sicque habent diuersas mansiones secundùm differentiam leuitatis.

Item

Item ista domus. copia omnium bonorum affluit Psal. 11. *Gloria & diuitiæ in domo eius*: Licet in ea non admittantur superbi, Psal. 100. 9. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Sed humiles, Iob. 22. *Qui humiliatus fuerit erit in gloria.* Neque etiam auari recipiuntur, quia auari regnum Dei non possidebunt. Nec piger aut ociosus, sed fortis & generosus. Prouer. 10. *Manus fortium diuitias parat.* *Psal. 111. 3.* *Prou. 10. 4.*

Tertiò contra inquietudinem, ponit loci trãquillitatem, quia in cœlis, vbi est quies perfecta, & tranquillitas æterna: Et ideo cœlum Empyreum in quo sunt beati, est omnino immobile, vt sit conforme eis qui sunt in omnimoda quiete, ex eo quòd, non est ibi aliquid impediens, perturbans aut repugnans. Hinc August. ait, O vita dulcis & amabilis & semper memorabilis, vbi non est hostis impugnãs, vbi nulla illecebra, sed summa & certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, & iucunda tui visio, atque laudatio, Deus. Propterea dicitur Esa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Ad quam nos perducat Iesus Christus qui sine fine viuit & regnat. *Esa. 32. 18.*

AMEN.

DE GRATIA ET CVRA PRO MORTVIS HABENDA.

THEMA.

Eccl.7.37. *Mortuo non prohibeas gratiam.* Eccl. 7.

Mortuis opem non ferre est crudelitas.

QVantò quis grauiori paupertate & indigentia affligitur, tantò maiori crudelitate & inhumanitate sunt accusandi, qui opē & misericordiam ei denegant: Ex defectu enim amoris & humanitatis illa nascitur. 1. Ioā. 3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei in eo manet?* Igitur crudelitatis indicium est, non subuenire indigenti. Maxima verò, si non subueniatur maximè egenti. Atqui mortui sunt maximè indigentes, quia nec per se, nec per alios, sibi possunt succurrere. Ne ergo defuncto, superstes sit crudelis & inhumanus admonetur, verbis propositis in Them. quæ tria complectuntur.

1. Ioan. 3. 17.

Primò, præsupponitur necessitas in homine mortuo.

Secundò, dissuadetur crudelitas.

Tertiò, persuadetur pietas.

Mortui necessitas duplex.

Circa primum animaduerte hominem mortuum duplicem necessitatem & indigentiam habere. Vnam, quæ respicit corpus mortuū:

Alteram, quæ ad animam spectat. Necessariâ enim est corporibus sepultura, quia non debēt inhumata remanere, vt corpora brutorum, sed piè sepelienda sunt, Tob. 4. *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli.* Duplici ratione corpori sepultura debetur. Primò, propter exercitium. Nam sepelire mortuos inter pietatis opera computatur. De quo Tobias laudatur cap. 1. 20. *Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam solicitus exhibebat.* Subditur. Tob. 12. quòd ait Angelus. *Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationē tuam Domino.* Ergo illud opus fuit gratum Deo.

Tob. 4. 3.

Sepultura debetur mortuo.

Tob. 12. 12.

Sepultura opus Deo gratum.

Secundò, debetur sepultura corpori mortuo, propter testimonium virtutis morientiū, sicut è contra dictum fuit viro Dei, qui non obediuit Domino 3. Reg. 13. *Non inferetur cadauer tuum in sepulchrum patrum tuorum.* 2. Paral. 24. 25. *Mortuus est Ioas, & sepelierunt eum in ciuitate Dauid, sed non in sepulchro regum.* Quia enim benefecerat in principio, sepultus est, sed quia malè vixerat postea, non habuit in sepulchris regum. De Iosia Rege sancto & iusto dicitur, 2. Paral, 35. 24. *Mortuus est Iosias, & sepultus est in mausoleo Patrum suorum.*

3 Reg. 13. 24

2. Paral. 35.

Tertiò, debetur sepultura corporibus defunctorum, propter articulum resurrectionis ipsorum. Ratio fuit, cur Patriarchæ iuberent sua corpora in terra promissionis sepeliri, Gen.

58. 5. dixit Ioseph. *Frater meus adiurauit me dicens, En morior in sepulchro quod fodi mihi, in terra Canaam sepelies me.* Vnde August. dicit in lib. de Ciuitate Dei. Antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepulchra prouisa, ipsique dum viuerent de sepeliendis, & transferendis suis corporibus filijs mandauerunt. Et in lib. de cura pro mortuis agenda. Hæc fecerunt (inquit) ad resurrectionem mortuorũ astruẽdam, cuius fidem in hoc astruebant, quòd curã se habere ostendebant, de carnis mortuæ sepultura. Vnde dicitur Hebr. 11. 22. *Fide Ioseph moriens de perfectione filiorum Israel memoratus est, Et de ossibus suis mandauit*: In signũ huius, dicitur Eccl. 49. *Quòd ossa ipsius visitata sunt*, & post mortem prophetauerunt. Et de Elisæo, *refertur eius corpus mortuum prophetasse.* 4. Reg. 13. 21.

Heb. 11.

Eccl. 49. 18. 19.

Anima in inferno iuuari non possunt.

Alia est necessitas mortui quoad animam separatam. Nam quædam animæ separatę à corporibus in cœlum euolant, hæ auxilio non indigent, quia ibi nulla est indigentia neque defectus, Apoc. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Quorundam verò animæ recipiuntur in inferno, Sicut Luc. 16. de diuite Epulone dicitur, *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Isti ergo indigent, sed tamen non possunt iuuari: Prædictus enim diues guttam aquæ impetrare non potuit ad refrigerium linguæ, quia in inferno nulla est redemptio.

Apoc. 14. 13.

Luc. 16. 22.

Quorundam verò defunctorum animæ, siue pro venialibus, siue quia hîc plenè de peccatis suis non satisfecerunt, in purgatorio recipiuntur, vbi pœna licet non sit æterna, multùm tamen affligit & cruciat, vt purget: Quia illa pœna, vt ait D. August. huius vitæ omnem pœnam excedit: Ideoque tales mortui adiumento & ope viuentium indigēt. Quod dupliciter fieri potest.

Purgatorij pœna excedit omnem pœnam huius vitæ.

Primò, per orationes, Secundò, per suffragia satisfactoria. Ratio est, quia viuorum suffragia, iuxta intentionem viuorum, & prout ex charitate proueniunt, & illis vniuntur iuuant. Ita vnus pro alio satisfacere potest, sicut vnum membrum alteri est auxilio, quā- diu membra in corpore vniuntur: Orationes igitur pro illis factæ, recta intentione ad eos, dirigente illas, plurimùm valent: Oratio enim dicit respectum ad orantem, sed magis ad eos, pro quibus oratio fit: Vnde 2. Mach. 12. dicitur, *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Propter vnionem autem charitatis, qua existentes in purgatorio coniuncti sunt nobiscum, bona opera ad satisfactionem plurimùm conducunt. Hinc quia Eucharistia est Sacramentum vnitatis & charitatis, continens Christum in quo tota Ecclesia vnitur, præcipuè prodest defunctis: Etiam Eucharistia cùm sit præcipuus charitatis effectus, post Eucharistiæ oblationem, maximè in purgatorio degentibus suffragatur. Alia etiam

Animæ in purgatorio iuuantur.

2. Machab. 12. 46.

Eucharistia prodest defunctis.

opera ex charitate profecta, & pœnalia; vt ieiunia, oblationes, vigiliæ, peregrinationes, & quæcunque alia eis prosunt. Propterea

2.Mach. 12. 43. 2. Machab. 12. legimus de Iuda Machabæo, *Quòd duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerre eas ibi, pro peccatis mortuorum.*

Eccl.7.37. SECVNDO, dissuadetur crudelitas homini viuo, cùm dicitur, *non prohibeas.* Si inhumanũ est, indigenti non benefacere, quando quis potest, multò inhumanius est & crudelius prohibere vel impedire, eis benefacere volentem.

Prou. 3.27. Prouerb. 3. *Noli prohibere benefacere, eum qui potest, sed si potes, & ipse benefac.* In quibus verbis, si referantur ad defunctos: Primò, dissuadet crudelitatem: Secundò, persuadet pietatem.

Eleemosyna pro defunctis. Porrò qui impediunt eleemosynas ne dentur defunctis, vel executionem testamẽti: prohibent isti benefacere defunctis, ne habeat quod optimo iure repetere potest, potissimũ si id testamento legatum fuerit: De quibus eleemosynis quæri potest, an propterea defunctus aliquod detrimentum patiatur. Ad quod respondendum est, quantùm ad meritum eleemosynæ nullum detrimentum patitur defunctus, quia meritum principaliter à voluntate & intentione dependet. Quantùm verò ad effectum eleemosynę, si non fiat, aut retardetur, detrimentum patitur, non quòd puniatur ex eius tarditate, sed quia remedium non adhibetur, dum suffragia retardant, aut non applicant, quibus ille maximè iuuaretur. Et si priusquam fiant contingat eum à pœna libe-

rari, priuabitur suffragiorum fructu. Non enim inconueniens est, quòd aliquis fraudetur per culpam alterius in temporalibus, vt est pœna purgatorij: Quamuis ad æternam retributionem nullus defraudari possit, nisi per propriam culpam. Igitur qui defunctis benefacere prohibent, Spiritu ducuntur erroris & insipientiæ. Sap. 7. 22. *Amans bonum, acutus, qui nihili vetat benefacere.*

Secundò, in auctor. allegata persuadetur pietas subueniendi defunctis, cū dicitur, *Si potes & ipse benefac.* dicit, *si potes*, quia quilibet non omnibus defunctis benefacere potes: Tob. 4. *Quomodo potueris ita esto misericors*, Nam qui non potest celebrare missam pro eis, faciat eleemosynam, sin minùs, fundat preces, & alia pia opera agat quæ potest. Si enim homo fuit tantopere sollicitus, opem & auxilium amico viuenti ferre, quid debet præstare mortuo magis egenti? Eccl. 14. *Benefac amico tuo.* Ideoque existens in purgatorio lachrymabili voce amicos viuentes alloquitur, dicēs Iob 19. *Miseremini mei, miseremini saltem vos amici mei &c.* Pro. 3. 27.

TERTIÒ, etiam in auctorit. principali ad pietatem inuitamur, vt non solùm homini defuncto, suffragiorum gratiam non impediamus, sed impendamus: Videmus enim omnia membra corporis se inuicem iuuare. Oculus dirigit pedes, manus ori cibum porrigit, os mittit illum ad stomachum, eique præparat. At qui sunt in purgatorio tanquam membra Eccl. 7. 37.

vnius corporis, videlicet Ecclesiæ, charitatis vinculo omnes inter se vniuntur, & cum viuentibus, Egent igitur illorum auxilio qui
Ruth. 2.20. defuncti sunt. Figuram habemus Ruth. 2. Vbi Noemi dixit de Booz, *Benedictus sit à Domino, quoniam eandem gratiam quam præbuerat viuis seruauit & mortuis.* In quibus quidem verbis duo facit.

Primò, imprecatur præmium.

Secundò, commendat suffragium.

Misericordibus pro præmio debetur Dei
Matt. 25. 34. benedictio, Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei &c. Esuriui enim & dedistis mihi manducare &c.* Psal. 36. 27. *Tota die miseretur, & commodat, & semen eius in benedictione erit.* Vnde qui mortuis erit beneficus & misericors, eis Deus subueniet & erit benedictus à Deo. Dauid dixit viris Iabes Galaad, 2. Reg. 2. 5. *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hãc, in Domino vestro Saül, & sepelistis eum: Et nunc retribuet vobis Dominus misericordiam, & veritatem: Et ego reddam gratiam, quia fecistis verbum istud.* Hæc propter sepulturam dicta sunt, igitur qui à pœna animam liberabit, magis benedicetur.

Ruth. 2. 20. Secundò, in auctor. citata commendatur
Mortuorum exequiæ. suffragium. Nota, posse à viuentibus gratiam & beneficium in exequijs & sepulturis corporum exhiberi posse, Ad quas libẽter amici duplici ratione conuenire debẽt: Primò, propter ædificationem, vt mortuum intuentes, de
Eccl. 7. 3. morte cogitent. Eccl. 7. *Melius est ire in domum*

luctus, quàm ad domum conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit. Greg. 13. Moral. Pene mortuum se considerat qui se moriturum minimè ignorat. Secundò, propter compassionem, cū videmus mortuum in tantam deuenisse inopiam & miseriam. Eccl. 38. *Fili in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare.* Siue propter commiserationem charorum lugentium, vt simul consolando consolemur eos, Eccl. 7. 38. *Non desis plorantibus in consolatione.* *Eccl. 38. 16.* *Mortuorum parentes cōsolandi.*

Secūdò, exhibetur etiā gratia mortuis, præcipuè per orationes & eleemosynas: debet enim nos ad orādum pro eis, charitas & pietas mouere, nec tantùm, sed etiam nostra vtilitas, ex eo quòd defuncti illi postquam ad cœlos euolarunt pro nobis apud Deū orāt: Vnde de Hieremia defuncto habemus 2. Mach. 15. Apparuisse Iudæ, cū Onia summo Pontifice & defuncto, & dictum esse Iudæ: *Hic est qui multū orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Hierusalem.* Et Apoca. 8. 4. *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Ergo viuentes orare debent pro mortuis purgandis, vt ipsi versa vice ab eis possint iuuari, secundùm illud Iacob. vltim. *Orate pro inuicem vt saluemini, multùm enim valet deprecatio iusti assidua.* Si enim orationes tantæ virtutis & efficaciæ fuerunt, vt potuerint animas ad sua corpora reuocare, Quidni afflictis & indigentibus misericordiam *2. Machab. 15. 14.* *Mortui orāt pro nobis.* *Iac. vlt. 16.*

Eleemosyna pro mortuis. non impetrabunt? Non est denegandum defunctis eleemosynarum suffragium, cũ multũ prosint. Tob.4. *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & nõ patietur animam ire in tenebras.*
Tob.12.9. Et cap.12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam ęternã.*

Gratia etiam mortuis seruatur, in propinquis & successoribus, in quibus defuncti quodammodo adhuc viuunt, ideo nihil denegandum est, de ijs quæ debentur hęredibus. Numer. 27. 3. Filiæ Salphaad dixerunt. *Pater noster mortuus est in deserto &c. Date nobis possessiones inter cognatos Patris mei,* & sequitur, *iustam rem petunt filiæ Salphaad, cùm quis sine filijs excedit è vita ad filiam eius transibit hæreditas.*
Numer. 27.

Debetur itaque propinquitati mortui triplex gratia. Prima est dilectionis de qua Eccl. 30. 4. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, reliquit enim similem sibi*: Ergo dilectio amicorum patris debet transire in filios Gen. 50. 17. Dixerunt filij Iacob. ad Ioseph, *Pater noster præcepit nobis antequam moreretur, vt tibi diceremus. Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati & malitiæ quam exercuerunt in te, nos quoque oramus vt seruo Dei Patri tuo dimittas iniquitatem hanc*: Quasi dicant, quòd nobis dimittas & Patri.
Eccl.30.4.

Secundò, propinquis debetur compassio, nã non solũ debemus compati amicis, sed etiam inimicis. Eccl. 8. 8. *Noli de mortuo tuo inimico gaudere, sciens quoniam omnes morimur, & in gaudium volumus venire*: Minus dicit, & plus signat,
Mortui lugendi.

quia non tantùm non est gaudendum, sed etiā
est lugendum exemplo Dauid, 2. Reg. 1. De *2 Reg.1.11.*
quo dicitur, quòd audita morte Saül apprehendens vestimenta sua, scidit ea, & omnes viri qui cum eo erant, planxerunt, fleuerunt & ieiunauernnt vsque ad vesperam. Nec tantùm Dauid commiseratione motus est in mortuū, sed etiám in propinquos 2. Reg. 9. 1. ait Dauid, *Nunquid superest aliquis de domo Saül, vt faciam cū eo misericordiam?* Tertiò, debetur propinquis gratia subuentionis de quo etiam exemplum
habemus in Dauid 2. Reg. 10. vbi dicitur, *Fa-* *2.Reg.10.1.*
ctum est autem, vt moreretur, Naas Rex filiorum Hammon, dixitque Dauid. Faciam misericordiā cū Hāmon filio Naas, sicut fecit Pater eius mecum misericordiā: Vnde voluit pro accepto beneficio, eandam gratiam reddere. Zach. 4. *Gratiā* *Zach.4.7.*
exæquabit gratiæ. Et qui talia facit, acquirit gratiam Dei per quam peruenitur ad gloriā æternam. Ad quam nos perducat nos Deus Optimus Maximus Iesus Christus AMEN.

DE RETRIBVTIONE BONORVM OPERVM post mortem.

THEMA.

Apoc.14 13. *Opera illorum sequuntur illos.* Apocalyp. 14.

Premij expectatio mouet ad operandum. NIhil æquè ad operandum mouet voluntatem hominis, quàm spes & expectatio præmij, inde euenit, vt nõ soluatur ante operis completionem, ne soluto pretio, cessante spe, negligentior operarius fiat ad opus perficiendum. Propterea Deus iustis, in hac vita, laboris & operis mercedem, non reddit, vt spe illius ad bene agendum perpetuò incitentur. *Eccl. 51. 38.* Ideo dicitur, Eccl. 51. *Operamini opus vestrum ante tempus, & recipietis mercedem vestram in tempore suo.* Figura huius habetur Matth. 20. 8. *Vbi cùm sero factum esset dixit Dominus procuratori suo: Voca operarios & redde illis mercedem.* Idem dicitur iusto verbis propositis in Themate, opera eorum, hoc est, merces operum non datur in præsenti, sed sequitur, Sup. in futura: Hîc ex duobus commendantur boni viri.

Primò, de excitatione meriti.

Secundò, ex consecutione premij.

Qui cũ Dei gratia è vita excedere cupit, ita *Bonum opus est homini maximè propriũ.*
vt in cœlum euolet, perpetuò bonis actioni-
bus intendere debet, ad quod ipsamet natura
nos inducit. Cùm quælibet res naturalis pro-
pria & naturali actione agat: At homini, illa *Hominis propria operatio, est benè agere.*
quæ dicitur bona & rationi consentanea, ma-
ximè competit. Quemadmodum enim pro-
pria operatio securis est scindere, sic & homi-
nis & cuiuslibet rei, naturalis illa & propria
est actio, ad quam est facta & creata, sed ho-
mo creatus est, vt bene operetur & agat:
Verùm quia solus non sufficit, additur ei au-
xilium gratiæ per Sacramenta, idcirco de-
bet bonis operibus maximè esse intentus. Id
docet Apostol. ad Ephes. 2. *Factura* (inquit) *Ad Ephes. 2. 10.*
Dei sumus creati in Christo Iesu, in operibus bonis.
Quibus verbis tria D. Paulus de nobis o-
stendit.

Primò, nobilitatem generis.

Secundò, dignitatem muneris.

Tertiò, necessitatem finis.

Primum pertinet ad perfectionem naturę, se-
cundum ad refectionem gratię, tertium ad
executionem glorię. Dicit ergo quantùm ad
primum, *Dei factura sumus.* De ijs, qui eligunt *Dignitas hominis.*
aliquem in Episcopatum, vulgò dici solet,
ipse eorum factura est. Et certè Deus maxi-
mo honore hominem affecit, cùm in regem
super omnes creaturas constituit. Dixit enim
creato hoc vniuerso, *Faciamus hominem ad i-
maginem & similitudinem nostram, & præsit
piscibus maris &c.* Gen. 1. 26. Item Deus *Gen. 1. 26.*

quasi hominem inunxit regem, quando ei benedixit, Et dedit illi dominationem, dicendo, *vt præsit piscibus maris*. Hoc idem præstat in renouatione animæ per baptismum: Iungitur enim, consecratur, & per gratiam datur illi dominium super pisces maris, id est, super peccata carnis, & super bestias terræ, quantùm ad dæmones: ideoque cùm homo peccat conculcat Dei imaginem, sicut si aliquis conculcaret sigillum regis. Vnde Esa. 45. *Væ qui contradicit factori suo*. Cuius contrarium faciunt multi, Sap. 16. 24. *Creatura enim suo factori deseruiens*. Et Esa. 17. 7. *Inclinabitur homo ad factorem suum*.

Hominis dignitas.

Esa. 45. 9.

Secūdò, in auctor. allegata, ostendit Apostolus dignitatē muneris gratię, per quā creati sumus in Christo Iesu. Creare enim est de nihilo aliquid facere, homo autē per peccatū fit quasi nihil, sed per Christū est creatus, id est, de nihilo ad aliquid adductus: Hoc modo, quia de limo terrę fecit primū hominē, estq. ōnis homo de terra, ratione corporis: Deinde animā creauit ex nihilo, quòd quotidie accidit in peccatore: Quia sicut caro Adę, quę priùs fuit tēpore, quā eius anima, eā superauit, & ad peccādū induxit, sic superat in peccatore, & ad peccatū impellit. Fuit enim ille victus carnis cōcupiscētiā, sicut peccator ab eadē quotidie vincitur: Sicq. ad nihilū adductus fuit, quemadmodū & peccator. Verū in Christo creati sumus. Dominus enim constituit facere hominem, in quo prius superaret posteri⁹: Christū videlicet, cui

Ad Eph. 2. 10.

Dignitas hominis per Christum.

diuinitas prior existēs quā humanitas, sibi subiecit humanitatē, quæ ab anima victa est, per diuinitatē: Vnde sicut per carnem Adami quæ fuit causa culpæ, & vicit animā, fuimus dissipati: Ita per carnē Christi diuinitati vnitā, sumus recreati. 2. Cor. 5. *Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt, Ecce facta sunt omnia noua.* 2. Cor. 5. 17.
Ideo q. dicitur Christus, *venisse in mundū, peccatores saluos facere.* 1. Timo. 1. 15.

Tertiò, in auctor. citata ex Ephes. cap. 2. ostēditur necessitas finis, cū dicitur, *in operib⁹ bonis,* Quasi dicat, ad hoc facti sumus & creati, vt bene operemur, vnde si finem ad quē facti sumus, volumus consequi, bene agendum est. Porrò sicut qui arborē plantat & colit, se percepturū fructū sperat, aliàs eam succidit & cōburit: Sic Deus de quolibet fructū sperat bonorū operum, aliàs in ignē mittet. Eccl. 3. 32. *Cor sapiens & intelligibile abstinebit se à peccatis, & in operibus iustitiæ successus habebit.* 2. Cor. 9. 8. *Abundetis in omne opus bonum.* Sed proh dolor! Contrariū de multis dicitur. ad Tit. 1. *Ad omne opus bonum reprobi.* Ephes. 2. 10. Ad Tit. 1. 16

Si quæratur ratio. Respondendum est, indebito modo opus etiam bonum agere, scilicet fictè, aut tardè, aut parcè, aut diminutè, aut imperfectè: fictè quidem, sicut hypocritæ, qui exteriùs videntur propter Deum, agere, re vera tamen propter mundum, & fauorem humanum operantur. Eiusmodi sunt illis nuncijs similes, qui arma picta in pixide deferunt, non literas, & ideo non eis fides adhi- *Intentio bona in actionibus nostris.*

Hypocrisis. betur. Hi sunt hypocritæ, quibus in iudicio non credetur, tunc enim opera eorum falsa apparebunt. Ideoque eis dicetur, Nescio vos, quia signum meum non habetis, hoc est, rectã intentionem, propterea vt falsarij comburentur in æternum. Vnde D. Paulus ita hortatur nos ad Gal. 6. *Opus suum probet vnusquisque*, id est diligenter inspiciat qua intentione fiat: *Et sic in semetipso*, id est in Domino, qui est in ipso, *Gloriam habebit, & non in altero*. Hypocritarum opera inutilia sunt, sicut poma vacua, quæ exteriùs pulchra apparent, interiùs verò sunt vacua propter defectum bonæ intentionis, & charitatis. Apoc. 3. 8. *Scio opera tua*. Glos. explicat, quibus laudem & gloriam hominis quæris.

Ad Gal. 6. 4

Opus malum. Item quorundam opera reprobantur, quia fiunt tardè, puta in morte: Qui ab opere desisteret, quando incipiẽdum est, vel seminaret, quando metendũ, irrideretur. Propterea Eccl. 9. dicitur, *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec sapientia, nec scientia erũt apud inferos, quò tu properas*, id est, nullum bonũ quodcunque valebit post mortem.

Eccl. 9 10.

Malum opus Cur? Itẽ quorundã opera reprobantur, quia tepidè sunt facta. Materia mollis citò dissoluitur, & parum proficit: Sic opus mollium & tepidorũ citò deficit, nec prodest. Prouerb. 18. *Qui mollis & dissolutus est, in opere suo, frater est sua opera dissipantis*, Porrò multùm homines laborant in ijs de quibus aliquid temporale se percepturos sperant: Spiritualia verò negli-

Prou. 18. 10.

negligunt, pro quibus æterna merces nobis promissa est. Et tamen ait Christus, Ioan. 6. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*, Hier. 48. 10. *Maledictus qui opus Domini facit negligenter, aliàs fraudulenter.* *Ioan. 6. 27.*

Item quorundam opera reprobantur, quia fiunt parce, qui enim paruulum & vile aliquod munus Principi offerret, non esset gratum neque acceptum, ita qui Deo minimumquid dat, nihil efficit, 1. Cor. 15. *Abundantes estote in omni opere Domini.* *1. Cor. 15. 58.*

Item quædam reprobantur opera, quia incompleta & imperfecta: Si enim operarius relinqueret opus suum media diei parte mercedem non assequeretur, igitur nullo modo desistendum est ab opere. Itaque vt homo remuneretur, ad finem vsque perseuerandum est, ad Gal. 6. *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus, non deficientes*: Si enim operibus bonis homo finem non imposuerit, nec Deus remunerationi finem imponet. *ad Gal. 6. 9*

Secundò, in auctoritate principali agitur de consecutione præmij, cùm dicitur, *sequuntur illos*. Vbi notandum est ad mala opera duplicem sequi pœnam. Alteram in præsenti sæculo, videlicet, remorsum conscientiæ. Alteram in futuro, damnationem æternam, è cõtrario ad bona opera consequitur duplex fructus. Primus est, quies in conscientia, tenetur enim homo non solùm à malo abstinere, sed etiam operari bonum. Et ita sicut pungitur cõsciẽtia ex perpetratione mali. Ita ex omis- *Apoca. 14. 13* *Pœna peccati duplex.* *Bonorum operũ fructus*

sione boni. Et è contrario sicut pacem habet ex remotione mali, ita ex impletione boni.

Pro.12.21. Secundus fructus in futuro sæculo, erit maximum gaudium cum retributione coniunctum, de his Prouer. 12. *Qui pacis ineunt consilia sequetur eos gaudium.*

In quibus verbis tanguntur tria, quæ pertinent ad bene operantes.

Primò enim, bona opera debet præcedere deliberatio.

Secundò, ad ea sequitur conscientiæ tranquillitas.

Consilium. Tertiò, propterea recipietur gaudium cum retributione cõiunctum.

2 Reg.16.20 Propterea homines cõsilia inenut & deliberant, vt de medijs ad finẽ aliquẽ consequendũ necessarijs prouideant: Vnde 2. Reg. 16. Dixit Absalon ad Achitophel, *Inite consilium, quid agere debeamus.*

Porrò qui deliberat, supposito fine debet ex multis medijs, efficacius eligere ad finem propositum: Quo inuento cogitet apud se diligenter, quando, quomodo & qualiter incipiendum sit, deinde ad actum progrediendum est.

Error multiplex deliberando. Verùm circa consilia contingit multipliciter errare. Aliquando per iniustitiam, vt cùm quis alicui rem iniustam agere consulit, furari, aut damnum inferre. Est etiam iniquius cõsilium, quando consulitur peccatum, vt fecit Achitofel Absaloni, vt peccaret cum concubinis Patris sui, 2. Reg. 16. Et Ionadab con-

Consilium iniquissimũ.

2. Reg.16.21

suluit Amon vt violaret Thamar sororem suam, vnde secuta est occisio ipsius Amon 2. Reg. 13. 29. Qui consiliarij sunt ciuitatum & Principum, tenentur non tantùm consilijs aduersus Deum & Ecclesiam propositis non cõsentire, sed etiam omni ratione, qua possunt, contradicere: de eiusmodi cõsilijs figuram habemus. Gen. 49. Vbi dixit Iacob. *Symeon & Leui vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea.* *Gen. 49. 5.*

Secundò, erratur in consiliis propter insipientiam & ignorantiam consulentium, sicut dicitur, Esa. 19. 11. *Stulti principes Taneos, Sapientes consiliarij Pharaonis, dederunt consilium insipiens.* Stulti sunt consiliarij, qui an liceat, an debeat, an expediat nesciunt. Obijcies, consiliarij Pharaonis Sapientes dicuntur, Quare ergo dederunt consilium insipiens? Dicendũ fuisse quidem Sapientes opinione Pharaonis & aliorum, sed re vera insipientes & stulti. Dicitur in fabula vulpem à formica petiisse, cuiusnam consilium sequi deberet: Respõdit, meum: Ergo Sapientis, scientis, & Deum timentis consilium est sequendum, Psal. 100. *Magna opera Domini in consilio iustorum*: Tob. 4. 29. *Consilium semper à sapiente perquire.* *Consiliarii stulti.* *Ps. 10. 2.*

Aliquando in consilio dãdo erratur per superbiam: Sicut refert Valerius de Xerxe Rege Persarum, qui cùm bellum Græcis indixisset, congregatis Consiliariis dixit eis, vos aduoco ne populus credat inconsultò velle me bellum Græcis inferre, interim non ad consulen- *Super bia causa erroris.*

dum, sed ad obediendum parati estote. Atque ita cum omnium consilia spreuisset, turpiter debellatus & victus est. Contra eiusmodi arrogantiam, ait Sapiens, Prouer. *Qui agunt omnia cum consilio reguntur Sapientia.*

Aliquando etiam errant per inobedientiã, quia quidam bonis consilijs nolunt obedire, sicut Roboam filius Salomonis noluit obedire consilio seniorum, 3. Reg. 12. 8. Tales ergo, vt ait Aristot. sunt infirmis similes, qui cõsilium medicorum libenter audiunt, sed minimè, quod iubent, efficiunt: Ideo è vita frequenter excedunt. Propterea dicit Rebecca filio suo Iacob, Genes. 27. 8. *Nunc fili mi acquiesce consilijs meis.*

Pro. 12. 21.

Pax triplex. Secundò in auctoritate citata tangitur primus fructus, qui sequitur ex bonis operibus ex bono consilio factis, scilicet, tranquillitas conscientiæ, quæ designatur nomine pacis. Vbi notabis triplicẽ pacem. Est pax interior, quæ dicitur conscientiæ, quæ acquiritur per pœnitentiæ opera, vt fecit sancta Magdalena, Luc. 7. Christus illi dixit, *Vade in pace.* Secunda pax est exterior videlicet inter proximos: hęc sequitur ex operibus iustitiæ, quãdo quisque reddit alteri quod suum est. Esay. 32. *Opus iustitiæ pax.* Vel ex abdicatione temporalium, pro quibus mundus tantopere laborat & litigat. Vel ex patientia, cùm non redditur malum pro malo, sed patienter quis patitur malum illatum. Vel ex humilitate, quæ nemini molesta est, aut resistit. De his dicitur,

Esa. 32. 17.

Psal. 119. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Ps. 119. 6.

Tertia est pax quæ dicitur æternitatis, & acquiritur per opera charitatis. Psal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Ergo ex bonis operibus, fructus pacis sequitur, Rom. 1. *Gloria honor & pax omni operanti bonum.* Gloria apud Deum, honor apud homines, & pax in conscientia propria omni bene agenti. Ps. 118.

Tertiò in auctoritate allegata, ponitur iucunda retributio, quando dicitur, *post mortem gaudium æternum.* Quod mundus dare non potest. Primò quia est verùm, at homines frequenter gaudent de malo. Prouerb. 2. *Lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Deinde hæc præsentia quibus mundus delectatur non sunt vera, sed tantùm apparentia bona, igitur de his gaudium est falsum: At quod est falsum, non est, quia de non ente, non est sciẽtia, ergo nec gaudium. Igitur nullum est verũ gaudium in hoc sæculo. Pro. 12. 21. *Gaudium æternum & verum.*

Præterea, veritate nihil est fortius & firmius, 2. Esdræ, falsitate verò nihil fragilius, vnde non est mirum, quòd gaudium mundi citò pertranseat, Iob. 20. 5. *Et gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Secunda ratio est, quia illud gaudium est plenum, Ioa. 16. *Petite & accipietis vt gaudium vestrum sit plenum:* Sed mundi gaudiũ est vacuum, quia nihil veri boni habet in se, sed de rebus nullius momenti, & quæ tandem magnam afferunt tristitiam. Prouerb. 14. 13. *Extrema gaudij luctus occupat.* Ioan. 16. 24. *Gaudium mundi.*

Tertia ratio eſt, quia illud eſt ſtabile & firmum Iohan. 16. 22. *Gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* At gaudio mundi nihil inſtabilius & debilius, nam aliquando eſt, modo non, Iob. 18. *Nonne lux impij extinguetur?* Intelligit gaudium, quia lux inter alias qualitates habet eſſe, non ſatis fixum & ſtabile: Aſſerunt enim Philoſophi nihil eſſe, quod citiùs deficiat, quàm lux, vnde remoto Sole quam primùm lux euaneſcit, & cãdela incenſa facillimè extingui poteſt. Iob. *Gaudent ad ſonitum cytharæ: Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto temporis, ad inferna deſcendunt.* Sicut citò extinctum fuit gaudium Alexandri magni, qui poſt multas victorias quibus Oriẽtem ſibi ſubiugauerat, reuerſus in Babyloniã, excepit multos ex diuerſis mundi partibus legatos, quibus dum celebraret conuiuium, datum eſt ei venenum, ſicque interiit, finemque omne eius gaudium accepit.

Iob. 18. 5.

Quarta ratio, quia illud gaudium eſt continuum, ad Philipp. 4. *Gaudete in Domino, dico iterum gaudete in Domino ſemper.* At gaudiũ mũdi interrumpitur multis varijſque accidẽtib⁹, ita vt ſemper riſus dolore miſceatur. Tob. 5. 13. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video.*

ad Philip. 4.

Dictum eſt porrò gaudium æternum, non poſſe haberi niſi à Deo, patet iſtud triplici ratione. Prima eſt, quia omnes aliæ oblectationes ab eo ducunt originem: Nam ſicut motus cœli eſt omnis motus principium ſecundùm

Gaudium æternum. à Deo.

Aristotelem, ita æternum gaudium & cœleste, est omnis alterius gaudij principium. Quod est essentiale, necessarium & primum in aliquo genere: Dicitur aliorum principium esse, sicut lux quæ est essentialis proprietas Solis, est principium aliorum luminum: Et calor ignis est principiũ omnium calidorum. At gaudiũ Diuinum, est essentiale, quia est ipse Deus, igitur qui Deum possidet, gaudio etiam vero & essentiali fruitur.

Qui igitur illo caret, saltem participatione quadam in hac vita, non rectè gaudere potest, quia veri gaudii regula deest. Vnde qui creaturis recreari volunt, ad illud referri debet eorum delectatio, cùm sit rectitudo omnis alterius recreationis. Peccāt igitur qui ab hoc vero & æterno gaudio recedunt, quod est cùm sit causa & finis aliorum. Abac. 3. 18. *Ego autē in Domino gaudebo, & exaltabo in Deo Iesu meo.*

Secunda est, quia istud gaudium est finale, de quo dicitur, Eccl. *Omnes in gaudium volumus venire*: Est Diuinum & ideo summum, quia finis habet rationem optimi, eo quòd continet in se perfectiones omnium, quæ sunt ad finē. Ideoque alia omnia parui facienda sunt, imò qui in eis finem constituit, peccat mortaliter, ad æternum igitur & finale gaudium omnis nostra referenda est actio & intētio. Qui enim finem est consecutus, nihili facit amplius media.

Quemadmodum qui vult ire Romam, equũ quærit, quando est Romæ, spernit equum: sic

qui in hac vita aliquid sentiunt de illo cœlesti
Ps.76.3. gaudio, contemnunt humana, dum modo tā-
dem ad illud perueniant. Vnde Psal.76. *Renuit*
Iac.1.2. *consolari anima mea*, subdit causam, *quia memor fui Dei & delectatus sum*. Et Iacob. 1. *Omne gaudium existimate fratres mei, dum in varias tētationes incideritis*. Et D. August. Spe (inquit) illius boni ad quod tenditis, quicquid vobis in vita contigerit, gaudere debetis. Habito igitur illo gaudio, habita erit omnis gaudii perfectio. Ideoque dicitur, Esa 35. *Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.*

Esa.35.10. Tertia ratio est, quia gaudium est per comparationem vltimum: Nullum est enim aliud quod ei possit aut debeat comparari, Eccl. 30. *Non est oblectamentum super cordis gaudium.* Alia enim omnia sunt accidentalia, ideo parua vel ferè nulla, finis enim virtutis continet effectum eorum, quæ sunt ad finem. Vnde illud gaudium, quod omnem tristitiam expellit, e-
Ioan.16.20. rit perfectum, Ioa.16. *Tristitia vestra vertitur in gaudium, scilicet æternum.* Ad quod nos Deus Optimus Maximus perducat.

AMEN.

DE ANNIVERSARIO SEV TRANSLATIONE mortui.

THEMA.

Homo cùm mortuus fuerit, atque consumptus, vbi quæso est?
Iob. 14. *Iob. 14. 10.*

SEnsu homo conuenit cum brutis, intellectu cum Angelis: hoc reflectitur supra se, illo verò minime, quia oculus videt non se, sed alia à se, intellectus vero intelligit se, & alia à se, ex Aristotele, 3. lib. de anima. Debet igitur homo secundùm intellectum & rationem viuere, alijs etiam & sibi intendere. Inde Seneca ita (inquit) *aliis prodesto, vt tibi non noceas, Age si calienum, vt tuum non obliuiscaris negotium.* Hinc petitur ratio mortuorum memorias, & anniuersaria celebrandi. *Homo debet viuere secũdũ rationẽ.*

Primò quidem, vt eos per missarum, orationum, & elemosynarum suffragia iuuemus. Quod fit diuersis temporibus. Aliquando die secunda, vt defunctus secundam mortem euadat, quæ est damnationis æternæ. *Memoria mortuorũ fit diuersis tẽporibus.*

Aliquando die tertia, vt beatiduine fruatur cum eo, qui die tertia resurrexit. Nonnunquã die 7. vt quiescat à pœnis, quia dies septimus fuit dies quietis, & quia septima est ætas. Aliquando fit memoria mortui die tregesima, vt regnet cum illis qui habuerunt fidem Trinitatis cum decalogi præceptis. Quidam illam celebrant memoriam die quadragesima, vt per merita pœnitentię veniam habeat indulgentiæ, & de sinistra ad dextram perueniat. Alii verò ãniuersaria faciunt, vt perueniant ad perfectam & æternam gloriam, quæ designatur in
Psal. 64. 12. circulo anni, qui dicitur corona, secundùm illud, Psal. 64. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.*

Secundò huiusmodi memoriæ mortuorum fiunt propter nos, vt memores simus similiter nos esse morituros, & propterea nos ad mortẽ esse præparandos. Idirco in verbis propositis conditio hominis iandudum mortui considé-
Iob. 14. 10. randa nobis proponitur, cùm dicitur. *Homo cùm mortuus fuerit, &c.*

Quibus quidem verbis de homine dudum mortuo, ad nostram instructionem quatuor describuntur.

Primum est, præterita corruptio.

Secundum, omnimoda explicatio.

Tertium, completa defectio.

Quartum, incerta locatio.

Ps. 30. 15. Notandum est, hominem viuum haberi in pretio, mortuum verò contemni, & veluti rẽ inutilem & vanam obliuioni tradi, Psal. 30.

Obliuioni datus sum, tanquam mortu⁹ à corde. Quibus verbis tangitur triplex defectus qui mortuo accidere solet.

Primus defectus est humanæ considerationis.

Secundus, est humanæ corruptionis.

Tertius, humanæ dilectionis

Circa primum, obserua nos citò obliuisci eorum, de quibus non cogitamus sæpiùs. Cùm igitur nos de mortuis non cogitemus, nec quę ad eos pertinent consideremus, eorum nos facillimè capit obliuio. Sed malè: scilicet eorum causa, saltem propter nos, nusquam eorum esse deberemus immemores: Admonemur enim vt de nostra morte cogitemus. Vtinam igitur sæpissimè menti nostræ occurreret. Esset enim nobis vtilis. *Obliuio mortuorum facilis.*

Primò quidem, ad nostræ vitæ directionem. Et ratio est, quia media ad finem ordinãtur secundùm finis proportionem, sicut patet in naturalibus, artificialibus, & ciuilibus. In artificialibus quidem, quia cùm domus sit propter habitationem, ita disponitur, vt commodè possit habitari. In naturalibus, exempli causa, ita natura disponit arborem vt possit fructus producere, & eos conseruare, hinc arborum radices ad fructum generationem, & folia ad eorum defensionem. In ciuilibus etiam manifestum est, verbi gratia, pugna est propter victoriam, idirco milites in acie ita disponuntur, vt victoriam referre possint. Ex consideratione igitur mortis, quæ finis est vitæ homi- *Memoria mortis vtilis* *Vitæ directio ex mortis memoria*

nis, Tota eius vita pendet & dirigitur si bene viuat, vt bene moriatur, hinc B. August. *Mala mors putanda non est, quam vita bona præcessit.* Id ipsum nos docent aues dum volatum sua cauda dirigunt, quæ extremum & finis est corporis. Iob. 12. *Interroga volatilia cœli, & indicabunt tibi.*

Iob. 12. 7.

Secundò valet consideratio mortis ad animæ curationem: Sicut in corpore diuersæ sunt infirmitates, ita requiruntur diuersa medicamenta, quia contraria contrarijs curantur. Sed infirmitates, animæ sunt inordinatæ passiones, ait Tulius. Periculosissimus autem est animi morbus, peccatum mortale, contra quod est ordinata pœnitentiæ medicina, quæ secũdùm Ambros. *Est virtus perfecta, quæ omne imperfectũ reducit ad perfectum.* Atqui consideratio mortis frequens & assidua ad pœnitentiam maximè conducit, patet ex cap. 2. Ionę qui cùm prædicaret illam, & comminaretur post quadraginta dies Niniuem esse subuertendam, Rex surrexit de solio suo, & indutus sacco, sedit in cinere, & omnibus imperauit pœnitentiam. Quod exemplum contra Iudæorum impœnitentiam proponit Dominus Matth. 12. Dicēs, *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia in prędicatione Ionæ, pœnitentiam egerunt, & ecce plusquam Ionas hîc.*

Morbi animi curantur ex cõsideratione mortis

Pœnitentia animam sanat.

Matth. 12. 41.

Tertiò valet memoria siue consideratio mortis ad propriæ fragilitatis cognitionem:

Mortis memoria ad cognitionem sui valet.

Quæ plurimum homini est necessaria: quia vt ait Boëtius: *Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt.*

Nec ex librorum lectione, ita facilè paratur: quia tale est compositum qualia sunt ea, ex quibus calescit compositum, sed per mortem homo in ea ex quibus fit, resoluitur: Ergo cū in putredinē & fœtorem resoluatur, apparet quot quantisque fœtoribus abominandis componatur, hinc ait D. Bernard. *Quid fœtidius humano corpore, quid horribilius homine mortuo, cuius erat in vita gratiosus amplexus, sicut in morte horribilis aspectus?*

Quid ergo prosunt diuitiæ, quid delitiæ, quid honores? Diuitiæ non liberant à morte, nec delitiæ à verme, nec honores à fœtore. Hac ratione in notitiam suæ vilitatis homo venit per mortem.

Propter quod Alexander vulneratus sagittâ dixit. *Vos vocatis me Iouis filium, sed hoc vulnus me hominem esse ostendit:* Psal. 9. *Sciant gentes quoniam homines sunt.* *Psal. 9. 21*

Verùm sæpe idem nobis plerumque accidit, quod inspicienti speculum. Quandiu enim ille speculum intuetur, etiam qualis sit videt, remoto speculo statim sui obliuiscitur. Sic qui alium morientem perspicit, timore concutitur, & mortalitatem suam ob oculos sibi proponit. *Obliuio mortis causa superbiæ.*

Verū recedēs à mortuo, quāprimū mortalitatis propriç oblit', in superbiā erigitur, Iaco. 1

Comparatus viro consideranti vultum natiuitat is suæ in sæculo(Sup.)mortis. *Considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit.*

Ps.30.25.

Hominis corruptio vtilissima animæ.

Secundò, in auctoritate allegata describitur defectus humanæ corruptionis, scilicet, per mortem cùm dicit. *Tanquam mortuus.* Licet morte corpus dissoluatur, tamen animæ illius qui bene vixit, maximè vtilis cécenda est: quia ad perfectissimam tranquillitatem perducitur ad supernam ciuitatem, ad sanctorum iucunditatem, & ad æternam fœlicitatem.

Iob.7 1. Ad perfectissimam quietem, *quia hominis vita militia est super terrã.* Iob.7. eo quòd à multis impugnatur: Primò à componentibus corpus, quorum mutua actione & passione corrumpitur: Secundò à temperamento, cuius dissolutione corpus infirmatur: Tertiò à sensibus, quorum incauta relaxatione anima inficitur. Postremò impugnatur ab exterioribus, quia à vaporib⁹ inficimur, à voluptatibus decipimur, & à Dæmonibus seducimur, ad Ephes. 6. 12. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum.* Sed morte ab his omnibus defuncti liberantur.

Luc.16. 22. Vnde de Lazaro dicitur, Luc. 16. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*: Per quem sinum intelligitur requies, & iustorum securitas.

Item per mortẽ euolat defunctus ad supernam ciuitatem, nam in hoc mundo peregrini

2. Cor. 5. 6. sumus, 2. Cor. 5. *Dum sumus in hoc corpore pe-*

regrinamur à Domino, & Heb. 13:14. Non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus. Hæc est ciuitas Hierusalem ad quam debemus ascendere, Matth. 20. Inquit Christus, *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur.* Docens non posse ad eam perueniri sine morte. *Matth. 20. 18.*

Item per mortem, ad sanctorum societatẽ peruenitur: Huius mundi non est grata & delectabilis societas, quia mali sunt mixti cum bonis, innumeris affectionibus & passionibus agitata: Illa verò omni contrarietate, discordia, varietate, inuidia, expers. Esa. 51. 11. *Gaudium & lætitiam tenebunt, & fugiet dolor & gemitus ab eis.* Eccl. 8. 8. *Omnes morimur, & in gaudium volumus venire.* q. d. non possumus ad gaudium perfectum venire, nisi moriamur. *Mors causa gaudij.* *Eccl. 8.*

Item peruenit homo per mortem ad æternam fœlicitatem, quæ in hoc sæculo inueniri non potest, quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. At mundus infinitis miserijs repletus: Defectus enim in omnibus bonis manifestus est, tam naturę fortunæ, quàm animi: Vnde optimè dixit Iob. 14. 1. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miserijs.* Quibus omnibus liberatur per mortem, & ad fruitionem æternorum bonorum perducetur, vbi perfectè satiabitur si ad mortẽ vsque, in bono perseuerauerit. Ideò ait D. Gregor de Deo loquens. Cùm peruenerimus ad te fontem vitæ, & dulcissimam speciem, erit nobis ex visione tua, impressa sitis *Mors liberat omnibus malis.* *Iob. 14.*

simulque satietatis, sed longè aberit à siti necessitas, & à satietate fastidium, quia sitientes satiabimur, & satiati sitiemus. Quia igitur morte ad eam perueniemus, dicitur Apocal. 14. *Beati mortui qui in Domino moriuntur.*

Ps. 03.15. Tertiò in auctoritate allegata tangitur defectus dilectionis, in eo quod dicit, *à corde*, Nam hîc homines propter vtilitatem propriã vt plurimùm alios diligunt. Verùm vt ait Seneca. *Amicus qui vtilitatis causa assumptus fuerit, tandiu manebit, quandiu vtilis erit.* Vnde quia defunctus inutilis videtur, sicut ab aspectu hominum recessit, ita ab amore cordis. Itaque dicere posset de amicis & consanguineis illud Esa. 29. *Cor eorum longè est à me.*

Mors amicitiã dirimit

Esai 29. 13.

Secundò, in auctoritate Thematis Iob. 14. 10. Describitur omnimoda expoliatio cùm dicitur. *Nudatus*: Primò quia per mortem nudantur à suis corporibus: Secundò quia omnibus bonis temporalibus expoliãtur. De hac duplici nuditate, ait Ioel. cap. 1. *Nudans expoliauit eam.* Vbi notatur duplex defectus qui accidit animæ post mortem.

Mortis nuditas.

Ioel. 1.7.

Primus, in bonis naturæ.

Secundus, in bonis fortunæ.

Angelis naturalis perfectio. Circa primum, obseruandum est Angelum corpore nudari ad eius naturalem perfectionẽ spectare, est enim substantia incorporea & immaterialis, per se subsistens in esse speciei cõpleto & perfecto. Ideò apud antiquos Angeli figurabantur nudi. At anima rationalis licet sit substantia per se subsistens & immaterialis,

tamen,

tamen sine corpore non habet esse completũ & perfectum. *Quia in ijs quæ sunt cōposita ex materia & forma, vtrunque pertinet ad essendum speciei.* Hinc D. Paul. 2. Cor. 5. 4. ait, *Nolumus spoliari, à corpore*, sc. appetitu naturali, *sed superuestiri*, scilicet, immortalitate, *vt absorbeatur, quod mortale est à vita.* Vnde etiam in anima separata remanet desiderium corpus resumendi, per quod secundùm D. Hyeronymum etiam animæ beatæ, & tali desiderio retardantur, ne totaliter ferantur in Deum: Et ideo postquam reassumpserint corpora post resurrectionem, tunc totaliter perfectam & absolutam obtinebunt beatitudinem. *Anima appetit corpus.*

Porrò damnati non tantũ nudati sunt suis corporibus, sed etiam omniũ virtutũ ornamẽtis. De hac nuditate habemus figuram 1. Paral. 10. Vbi de Saül refertur, *Quòd Philistæi cùm expoliassent eum, & amputassent caput eius, & nudassent eum armis, miserunt in terram suam*, Hoc est, cùm dæmones expoliassent animam, educendo à corpore, & amputassent caput eius, id est, bonum propositum, & nudassent eã virtutibus, miserunt in infernum. Sicque non habebit vestimentum quo protegatur à confusione in iudicio, & tũc implebitur illud Naũ. 3. *Ostendam gentibus nuditatem tuam, & proijciam super te abominationes tuas, & contumelijs te afficiam.* *Nuditas damnatorum.* *1. Paral. 10. 9.* *Naum. 3. 5.*

Itẽ non habebit vestimẽtũ quo ornata recipiatur in cœlo, sc. charitatis, quo qui indut⁹ nõ

fuerit excludetur à conuiuio cœli. Sicut dicitur Matth. 22. 13. de eo qui intrauit ad nuptias non habēs vestē nuptialem, id est, charitatem. *Proijcite eum in tenebras exteriores &c.*

Item carebit vestimento, quo ab inferno protegatur, vbi calore & frigore cruciabitur. Iob. 24. *Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* Apo. 17. 16. *Desolatam faciet eam & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam in igne concremabunt.*

Ioel. 1. 7. *Nuditas per mortem.*

Secundò, in auctor. superiùs citata, tangitur defectus, quātùm ad bona fortunæ, quia mors expoliauit animam omnibus bonis tēporalibus. In seminibus videmus finem respondere principio: Quemadmodum enim granum nudum seminatur, sic in fine reconditur expoliatum & omnino nudum. Ita homo nascitur nudus, & egreditur nudus per mortem.

Os. 2. 3.

Os. 2. *Expoliabo eam nudam, & statuam secundùm diem natiuitatis suæ.* Temporalia igitur bona, homini sunt transitoria, quia nec ea nascendo secum affert, nec moriendo defert. Vnde D. Paul. 1. Timo. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec aufferre quid possumus.* Idcirco si ista contingat amitti, remanente substantiali animæ bono, non debet homo tristari, quemadmodum Iob cap. 1. qui omnibus bonis amissis, dixit: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomē Domini benedictū.*

Bona huius vitæ transitoria. *1. Tim. 6. 7.* *Iob. 1. 21.*

Iob. 14. 10.

TERTIÒ, in auctor. principali tangitur completa defectio, cùm dicitur, *Consumptus.*

Aliter conſumitur corpus, aliter conſumitur anima. Corpus per putrefactionem & corroſionem vermium conſumitur, ſicut veſtimētum vetuſtate conſumptum, comeditur à tineis. Iob.13. *Quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea.* Animalia enim ex Philoſopho, ex eiſdem nutriũtur, quibus conſtant, propterea quia vermes de carne generantur, eam comedendo & conſumendo de eadem viuunt. Quòd ne accidat aromatibus corpora mortuorum condiuntur: vt nunc etiam in vſu eſt præcipuè, myrra & balſamo apud Paganos, & in his locis vbi balſami eſt magna copia. Iob 25. *Homo putredo & filius hominis vermis.* Animæ verò damnatorũ, quamuis conſumi non poſſint, Ita vt eſſe deſinant, Metaphoricè tamen dicuntur conſumi dupliciter.

Corporis conſumptio.

Iob 25.6.

Primò ex famis cruciatu, nam ſicut corpus cùm vehementer appetit cibum, nec habere poteſt, dicitur fame cònſumi. Sic animæ in gehennæ tormentis exiſtentes, & refrigerium pœnæ vehementer expetentes, dicuntur fame conſumi, hoc eſt, vehementiſſimo deſiderio affligi, ſicut Luc.16.24. Diues Epulo ait Abrahamo. *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam &c.* Dicuntur etiam conſumi à deuoratione auium & earum morſu. Per aues enim cœli intelliguntur ſancti, quos damnati videntes in maxima gloria & ſe maximis pœnis affligi, morſu amariſſimo punguntur, Deuter. 32. 24. *Conſumentur fame, deuorabunt eos aues*

Animæ dãnatorum conſumptio.

Dãnatæ animæ conſumptio.

morsu amarissimo.

Iob 14.10. Qvarto, inquiritur in proposito Themate de locatione, quæ est incerta cùm dicitur, *Vbi quæso est?* Non enim pro certo de anima defuncti possumus determinatè dicere vbi sit, sed tantùm ex suppositione: Quemadmodũ elementa quæ sunt simpliciter grauia, infimum obtinent locum, vt terra: Quæ simpliciter leuia, supremum, vt ignis: Qui de leuitate, & grauitate participant, tenent locum medium, sicut aër & aqua: Ita qui decedunt peccatis mortalibus onusti, infernum petunt, Qui verò ijsdem alleuiati, in cœlum ascendunt: Qui verò pœna temporali nõ culpa mortali onerantur, ad purgatorium mittuntur: Cuius locus est communis & medius, supra infernum, & remotus à cœlo. Verùm quando in superiori auctoritate Iob.14.10. Dicitur vbi? Intelligitur de loco inferni, de quo, Iob 10. *Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* In quibus verbis tãguntur octo conditiones pœnæ infernalis.

Iob 10.21.

Prima conditio pœnæ inferni. Quarum prima est, quòd sit irreuocabilis, Vnde dicit, *Vadam*, Sup. ad infernum & non reuertar, Sup. ad statum istum, Sap.2. *Non est qui agnitus sit, reuersus ab inferis.* Si quis obijciat de Lazaro, & quibusdam resuscitatis. Respondendum est, Deum id quibusdã de speciali priuilegio cõcessisse, vt ad hanc vi-

Sap. 2.1.

tam redirent: quod quidem, legem communẽ non facit, sicut D. Hieronymus ait, Vnde non de communi lege hoc fit, sed de gratia particulari, Sap. 2. *Non est reuersio finis nostri.* *Sap. 2. 5.*

Secunda conditio illius pœnę est, quia est odibilis, quia est terra tenebrosa: Nam sicut lumen est amabile, ita tenebræ odibiles. Dicitur autem infernus terra tenebrosa, propter diuinæ visionis carẽtiam, sicut ait D. Thomas, quamuis etiam ibi sint tenebræ corporales, quòd ex terræ opacitate eò non perueniat lumẽ, & ignis lucens sed ardens. Es. 60. *Ecce tenebræ operient terram.* *2. Conditio inferni.* *Esa. 60. 2.*

Tertia cõditio est, quòd sit inexpiabilis, *quia operta mortis caligine*, id est, peccato originali, quòd fuit causa obscuritatis mortis, quale est in multis infidelibus, qui nullo Sacramẽto hoc peccatum expiauerunt: & in pueris in limbo existentibus, sine Baptismo è vita excessis, qui licet pœna sensus careant, non tamen visione diuina fruuntur: Iob 3. *Obtenebrentur stellæ caligine eius.* *3. Conditio inferni.* *Iob. 3. 9.*

Quarta conditio est, quòd sit grauissima ob ingentes miserias, ideo dicitur *terra miseriæ.* Psal. 139. *In miserijs non subsistent.* *Inferni 4. conditio.* *Ps. 139. 11.*

Quinta, quia est irremediabilis, quia lumen diuinæ misericordię vel gratiæ non locum ibi habet, propter obscuritatẽ peccatorũ actualiũ, à quibus purgari non possunt: At manẽte culpa, non aufertur pœna. Vnde dicere potest damnatus. *Contexerunt me tenebræ.* *5. Conditio inferni.*

Sexta conditio est, quia terribilissim,

Inferni 6. conditio. mors enim dicitur omnium terribilium finis terribilissimus. Dicitur autem vmbra mortis secundùm Thomam super Iob, quia sic patiũtur ac si semper morerentur. Luc. 1. *In vmbra mortis sedent.* *Luc. 1. 79.*

Inferni 7. conditio. Septima conditio est, quia confusibilis, nã nullus est ibi ordo, sed omnimoda confusio. Si obijcias illud D. Pauli ad Roma. 13. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt, Atqui illa pœna est à Deo, Ergo est ordinata, respondendum est, ibi futurum ordinem secundùm quid. Primò, ratione diuinæ iustitiæ, quia ex D. August. peccatores in supplicijs ordinantur, vt nunquam sit dedecus culpæ, sine dedecore iustitiæ. Secundò ratione culpæ, quia illi qui fuerunt similes in culpa, sociabuntur in pœna: Hinc ait, Gregor. super illud Matth. 13. *Alligate ea in fasciculos ad comburendum*: Ligare fasciculos ad comburendum, est hos qui æterno igni tradẽdi sunt, pares paribus associare, & quos similes culpa inquinat, par etiam pœna constringat. Tertiò, erit etiam ibi ordo pœnæ, quia non omnes æqualiter punientur, sed iuxta mensurã peccati, datur mensura supplicij. Deuter. 25. 3. *Pro mensura delicti, erit & plagarum modus.* *Inferni ordo qualis.* *Matt. 13. 30.*

Porrò ibi non erit ordo quoad tria: Primò, quoad elementa, non enim erunt distincta sed confusa: nec seruabunt suas proprietates, quia nec ignis aquam & niuem resoluet in inferno Sap. 16. *Nix & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant.* Nec aqua extinguet ignem: Nec aër lumen recipiet, sed erit tenebrosus. *Sap. 16. 22.*

Sapient.17.5. *Nec ſyderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.* Nec terra infimum locum tenebit, quia damnatus terram habebit ſurſum, à dextris & ſiniſtris. Iob. *Terra conſurget aduerſus eum*, ſcilicet peccatorē, quia eum tenebit vndique incluſum.

Secundò, non ſeruabitur ordo, quoad loca, quia homo qui deberet eſſe ſuper omnia ſecundùm illud Pſal.8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*, collocabitur infra omnia. Iob.24.19. *Trāſibunt ab aquis niuium ad calorem nimium.* *Pſal.8.7.*

Tertiò non erit ordo; quoad actiua & paſſiua: Nam ordine naturæ ignobilia & infirma, à nobilioribus & fortioribus debent pati, & non è conuerſo, quia omne agens eſt præſtantius patiente. Sed ibi ſpiritualia, vt animæ & dæmones, ab igne corporeo patientur. Item ordine naturæ corpora mixta diſſoluuntur virtute & efficacia contrariorum, vt lignum ab igne, at in inferno corpora humana igne non conſumentur.

Octaua conditio pœnæ infernalis eſt, quia horribilis. *Nam ibi ſempiternus horror inhabitat*, quia nuſquam terminantur, & damnati horrent Deum & ſanctos, vnus alium & quilibet ſeipſum. Vnde D. Paul. Hebr. 10. *Horrendum eſt incidere in manus Domini Dei viuentis.* *Inferni octaua conditio.* *Heb. 10.31.*

Porrò de loco purgatorij ſciendū eſt, quòd licet animæ corporibus exutæ, nullum habeāt ſenſum corporeum, nihilominus maxima moleſtia & afflictione crucientur, tum propter retardationem à gloria, quàm ſummè deſide- *Purgatoriū.*

rant, tum propter cruciatum ignis, cui ex diuina iustitia alligatæ volẽtes detinentur, de his

Eccl.21 15. dici potest, illud Eccles. 21. *Non est sensus vbi amaritudo animæ.* De loco paradisi: Ibi est cognitio clara, virtus perfecta, cõtemplatio alta, duratio æterna, refectio sapida, mansio lucida, & habitatio pacifica. De quibus omnibus Baruch. 3. *Disce vbi sit prudentia.* Id est, scientia beata. Prouer. 9. 10. *Scientia sanctorum, pruden-*

Baruc.3. 13. *tia.* Et sequitur, Baruch. 3. *Intellectus vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum & pax.* Ad quam nos perducat Iesus Christus Dei filius, cui laus, honor & gloria in sæcula sæculorum.

AMEN.

DE OBLATIONIBVS IN ANNIVERSARIO faciendis.

THEMA.

Iudas collatione facta, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum. 2. Machab. 12. 43.

2. *Machab.* 12. 43.

Corpus inferius mouetur à superiori.

QVemadmodum inferiora corpora, à superioribus mouentur: Sic elemẽta mo-

tum corporum cœleſtium imitantur: Nā mare ſequitur motum lunæ: Adamas attrahit ferrum ad ſe: Luna mouet mare Oceanū, & ideo in ortu Lunæ intumeſcit, & creſcit mare ex parte Orientali, & decreſcit ex parte Occidētali: Et è conuerſo, quando Luna eſt in occaſu, ſecundùm, quod Luna plus vel minùs in ſuo fluxu extendit vel retrahit ipſum maré: Et ſicut ait Maurus, Oceanus in incremento Lunæ retinet iſtum motum. Primo enim die creſcentis Lunæ, fit copioſior ſolito, & abundat in ſummo, ſecundo minuitur, & ſic decreſcit vſque ad diem ſeptimum: deinde iterum creſcit per ſeptem dies, ita vt in quarta die, iterum ſit plenum in ſummo: Vnde in nouilunio non ſemper mare eſt plenum, nec etiam in plenilunio: Similiter ſphæræ cœleſtes inferiores ſequūtur motū ſuperioris ſphæræ, id eſt primi mobilis.

Idem contingit hominibus, inferiores enim minimo negotio exemplum ſuperiorum ſequuntur: Ait quædam decretalis facilè trahi à ſubditis in exemplum, quod à ſuperioribus fit. Vnde ait Chriſtus diſcipulis, Ioan. 13. *Si ego laui pedes veſtros Dominus & magiſter: & vos debetis alter alterius lauare pedes.* *Exemplum ſuperiorum mouet.* *Ioan. 13. 14.*

Et ideo Sancta Eccleſia volens nos mouere ad pietatē erga mortuos, vt eos noſtris ſuffragijs iuuemus, proponit nobis exemplum huius fortiſſimi, atque generoſiſſimi Principis Iudæ Machabæi, dū in anniuerſarijs defūctorū legēda illa verba cōſueuit: In quibus quidem,

Mortuorum suffragia. exemplo Iudæ ostendit, circa mortuorum suffragia, quinque esse obseruanda.

Primum, vt fiant cum cordis puritate.
Secundum, ex communi charitate.
Tertium, cum muneris largitate.
Quartum, cum discretionis sagacitate.
Quintum, pro expiationis necessitate.

Suffragia mortuorum ab ijs qui sũt in gratia. Circa primum animaduertendum est, suffragia vt orationes & eleemosinæ, quæ fiunt ab ijs qui sunt in Dei gratia, multò esse efficaciora, quàm quæ fiunt ab ijs, qui peccato mortali inficiuntur, quo liberantur homines per pœnitentiam & confessionem: hanc purificationem insinuat Iudas, qui confitens interpretatur. Ideoque Iudas ad literam, quia erat purus à peccato etiam alios hortabatur ad puritatem, & vitæ integritatem: Vnde 2. Machabæorum dicitur, quòd fortissimus Iudas hortabatur populum vt conseruaret se sine peccato, ideoque significat hominem per pœnitentiam & confessionem à peccato purgatum, cuius suffragia valida sunt pro defunctis apud Deum. Vnde cùm quidam defunctus post mortẽ apparuisset amico, & ei reuelasset se grauissimè in purgatorio affligi, ab eoque orationes & suffragia postularet: Eius petitioni annuit amicus interrogando defunctum vellet ne vt talis sacerdos pro eo preces funderet: defunctus nihil respondens, caput more renuentis concussit: deinde interrogatus ab amico malletne heremitam, qui pro se oraret. Respondit, O vtinam. Quod cùm promisisset

amicus, diſparuit.

SECVNDO, debent ſuffragia fieri ex charitate communi, vnde dicit *collatione facta*. Nã aliquam collationem factam fuiſſe probabile eſt, in qua ex pietate nonnulli ſuas pecunias dederint. Quorum exemplo admonemur oblationes & eleemoſynas eſſe dandas, quibus orationes & miſſæ celebrari poſſint, pro animabus defunctorum. Hinc 2. Machab. 12. 43. *Sancta & celebris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* *Suffragia fiant ex charitate.* *2. Machab. 12. 43.* *Orationes fundendæ pro defunctis.*

Nam ſi opus pietatis eſt, collationem facere ad ſubueniẽdum pauperibus viuis in hac vita, quantò maioris erit gratiæ & charitatis ſubuenire indigentibus in purgatorio? Quibus accommodabitur illud Rom. 15. *Probauerunt* (inquit) *Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum.* Vbi oſtendit, ſuffragia pro defunctis fieri debere quadrupliciter. Primò libenter, vnde dicit, *Probauerunt*, id eſt approbauerunt. Secundò vnanimiter, *quia collatione facta*. Tertiò miſericorditer, quia, *In pauperes*. Quartò vtiliter, *quia ſanctorum.* *Ad Rom. 15. 26.*

Oſtendit ergo primò, exemplo Macedonum & Achaicorum, talia ſuffragia libenter fieri debere. Quando vxor vel diſpenſator alicuius fecit eleemoſynam pro viuis, vel etiam pro mortuis, Vir vel Dominus qui eſt pius & miſericors approbat & gaudet, ſicut approbantur à Deo, qui eſt Pater pauperum, & Dominus viuorum & mortuorum.

Qui verò sunt duri & crudeles, nec illis placēt
Sap.11.11. tales eleemosynæ, condemnabuntur. Sap. 11. *Hos quidem.* Sup. misericordes, *tanquam pater monens probasti, illos verò,* Sup. immisericordes, *tanquam durus Rex interrogans condemnasti*: Secundò, ostendunt isti exemplo suo debere fieri vnanimiter. Multi tamen sunt qui nihil quidquam conferre volunt, de quibus, defunctus potest conqueri, dicendo, *Nihil mihi contulerunt.* Ad Galat. 2. Sed alij peius, qui nec eleemosynas nec restitutiones testamento imperatas facere nolunt,
Psal.77.41. Psal. 77. *Nec fideles habiti sunt in testamento.* Sup. defuncti.

TERTIÒ, ostenditur debere suffragia fieri misericorditer. Ille pauperrimus verè habendus est, qui indiget auxilio alterius, nulloque modo sibi adiumento esse potest. Tales sunt
Similitudo. existentes in purgatorio. Igitur iuuandi sunt ex misericordia & charitate. Detineatur aliquis in profundissimo carcere, multis infirmitatibus & doloribus afflictus, omni spe & auxilio persoluendi debita maxima destitutus, qui tamen paruo pretio redimi possit & ab omnibus incommodis liberari: Qua liberatione obtenta, in virum ditissimum & potentissimum euadat. Quis consanguineus aut amicus crudelis & inhumanus non diceretur, si ad eius liberationem ei auxilio & adiumento esse
Purgatoriũ carcer profundissimus. nollet? Atque in purgatorio existentes, primò, in profundissimo carcere inclusi detinētur, cũ non longè distet ab inferno, sitq. locus subterraneus, & eodem igne torqueantur, iuxta D.

Gregorium. *Sicut* (inquit) *ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumatur, ita ſub eodem igne peccator crematur, & electus purgatur.* Ergo locus purgatorij eſt profundiſſimus, Iob. 17. *In profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea.* *Iob 17 16.*

Purgatorij pœna duplex.

Affliguntur etiam grauiſſimis pœnis. Duplex autem eſt purgatorij pœna. Vna eſt dãni, in quantum à diuina viſione retardantur: Alia dicitur pœna ſenſus, ſecundùm quam ab igne corporeo patiuntur: Ratione vtriuſque minima pœna, excedit huius vitæ maximam pœnam: Quantò enim aliquid magis deſideratur, tantò eius abſentia moleſtior eſt, Atqui nihil ardentiùs deſiderari poteſt, quàm ſummum bonum, & diuinę eſſentiæ fruitio, præcipuè ab animabus ſanctis: Igitur de retardatione vehementer dolent.

De pœna autem ſenſus, D. Auguſt. in quodã ſermone aſſerit, ignẽ purgatorij õni alia pœna duriorẽ eſſe, quã in hoc ſæculo quis ſẽtire aut cogitare poſſit. Sũt præterea grauiſſimo debito conſtricti, quia vbi exigitur magna ſatisfactio, præſupponitur graue debitũ, Sed in purgatorio moleſtiſſimæ exiguntur pœnæ, reatus igitur purgandorum eſt grauiſſimus.

Pœnarum grauitas in purgatorio.

Porrò grauitas pœnarum in purgatorio, nõ tam ſpectanda eſt ex quantitate peccati, quàm ex diſpoſitione eius qui affligitur, quia idem peccatum grauiùs illic punitur, quàm hîc: ſicut qui delicatioris eſt temperamenti, eiſdẽ plagis impoſitis duriùs cruciatur, quã alius, & ideò ex leuib⁹ culpis, grauior eſt ibi pœna quã

hîc. Sunt etiam impotentes ad remouendum vel minuendum illam pœnam, per aliqua opera satisfactoria, quia illa pœna eis imposita est ad expiandum reatum suum: Reatus autem nihil est aliud quàm debitum pœnæ, quã quis meruit accipere, ideoque ex hoc à reatu absoluitur, quia pœnam sustinet quã debebat.

Suffragia subleuant defunctos. Possunt tamen à nobis subleuari ab illa pœna, per suffragia nostra, propter duo: Primò propter communicationem in radice operis, quę est charitas, & in operibus meritorijs: Et ideo omnes qui inuicem in charitate conuertuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus referunt. Charitas autẽ quæ est vinculũ vniens mẽbra Ecclesiæ, non solũ ad viuos se extendit, sed etiam ad mortuos, qui in chari-
1. Cor. 13. 8. tate decedunt. 1. Cor. 13. *Charitas nunquã excidit.*

Secundò, propter intentionem eius, qui aliqua opera ad hoc facit, vt talibus prosint, vnde eiusmodi opera, quodãmodo propria efficiuntur eorum, pro quibus fiũt. Sicque suffragia viuorum possunt prodesse defunctis, tum propter charitatis vnionem, tum propter intẽtionem ad eos directam. At verò ijs qui sunt in inferno nulla ratione prodesse possunt, tum quia totaliter ad vitæ terminum peruenerunt, recipientes vltimã pro meritis retributionẽ. Hinc fit vt Ecclesia pro damnatis non oret.

Non conuenit etiã, neque fas est suffragia facere pro beatis, quia nulla indigentia laborãt, nec nostro egent auxilio, cùm inebriati sint ab vbertate domus Dei. Ergo suffragia tan-

tùm conueniunt exiſtentibus in purgatorio, quia egent ſatisfactione, quæ in alio ſæculo debet adimpleri. Patet ergo pium eſſe opus eorum paupertati ſeu neceſſitati ſubuenire: Vnde ex perſona eorum dicitur cuilibet, *Animæ pauperum tuorum, ne obliuiſcaris*: Et obliuiſcenti & non ſubuenienti dicit, *Quia obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ.*

Ad hoc nos illud debet mouere, quia liberati & diuina gaudentes viſione, copiosè idem beneficium & auxilium nobis, orationibus ſuis, rependere poſſunt. Propterea beatus dicendus eſt, qui intelligit ſuper egenum & pauperem in die mala liberabit eum Dominus.

Quartò debent ſuffragia fieri vtiliter. Tantò autem eleemoſyna eſt vtilior facienti, & tantò maioris meriti, quantò ille cui fit eſt melior & pauperior. Sed in purgatorio detenti, ſunt melioris conditionis, quàm in hoc degentes ſæculo, ſunt enim de ſua ſalute ſecuri, & æternæ beatitudini propinquiores, licet magis indigentes, ideoque maioris meriti eſſe videtur mortuis, quàm viuis ſubuenire. Maximè igitur erga eos illud Apoſtoli Rom. 12. 13. ad impletur. *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes.*

Tertiò, in auctoritate principali innuitur ſuffragia pro mortuis debere fieri cum muneris largitate. Quod oſtenditur exemplo Iudæ, qui magnam argenti copiam pro *2. Machab. 12. 43.*

mortuis offerendam misit, scilicet duodecim millia drachmas argenti: Apparet enim magnificentia huius moris ex tribus.

Iudæ Machabæi munus magnificum. Primò, ex oblationis quantitate, quia duodecim millia: Secundò ex monetę qualitate, quia drachmas: Tertiò ex monetę nobilitate, quia argenti: Quæ etiam continet mysticam rationem, ex eo, quòd per huiusmodi drachmas, intelliguntur animæ in purgatorio detentæ, quæ virtute suffragiorum citiùs mittuntur ad cælum. Ratio triplex est. Prima quia ibi sunt tantùm animæ fidelium, & vitã Christi sequentium: Drachma enim erat moneta ponderis trium scrupulorum, in quo signatur fides Sanctæ Trinitatis, quam illæ animæ tenuerunt: Item drachma habet in se imaginem & figuram Regis. Christus autem est Rex, & Dominus dominantium, cuius imaginem & figuram habet, quicunque eius vitam & conuersationẽ sequitur. Vnde Apost.
1.Cor.15.47 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus verò*, id est Christus, *De cælo cælestis, si portauimus imaginẽ terreni, portemus & imaginem cælestis.*

Vel ideo dicuntur drachmæ, quia post purgationem collocandæ sunt in Collegio Angelorum & hominum beatorum, qui per decem drachmas figurantur, Quorum nouem, significant nouem ordines Angelorum, decima verò naturam humanam, quæ peccato fuit perdita; & per Christum restituta.

reſtituta. Luc. 15. *Quæ mulier habens drachmas decem*, &c. Luc. 15. 8.
Secũdò, quia illæ animæ ſunt de numero prædeſtinatorum, ad quos numerus ſignatorum; de vnaquaque tribu filiorum Iſrael refertur: quos duodecim millia drachmarũ ſignificãt, Apoc. 7. *De vnaquaque tribu duodecim millia ſignati, &c.* Sup. ſigno Diuinæ prædeſtinationis: De quo dicitur, 1. Timo. Fundamentum Dei ſtat habens ſignaculũ hoc, cognouit Dominus qui ſunt eius. Apo. 7. 6. de his loquens de tribu Iuda duodecim millia ſignati. Ideòque quia animæ quæ in purgatorio ſunt, & de numero prædeſtinatorum futuræ ſunt, numero duodecim millium drachmarum congruè deſignantur: Qui numerus etiam eorum perfectionem oſtendit, quia continet decem duo, & mille ſiue millia. Decem quidem, quia decem præceptorum legis Dei obſeruatores fuerunt, quibus adduntur duo, propter duplicem charitatem, quam habuerunt, ſcilicet, Dei & proximi. Sed millenarius numerus cõpetit perſeuerantibus, quia eſt vltimus terminus vltra quem non progreditur niſi reincipiatur à capite, vnde ſignat perſeuerantiam vſque ad vltimum, quam tales habuerunt. Significantur etiam per equites Salomonis 3. Reg. 10. *Congregauit Salomon equites, & facti sũt ei duodecim millia equitum.* Apoc. 7. 5. 3. Reg. 10. 26

Tertia ratio dictæ ſignificationis eſt, quia illę animæ affliguntur ad ſui purgationem, ideoque dicuntur drachmæ argenti, quia per

modum argenti in igne purificantur, Psal. 11. *Argentum igne examinatum.*

Quartò, ostenditur in auctoritate Thematis, debere fieri suffragia cum discretionis sagacitate, sicut Iudas fuit discretus & sagax in eligendo locum ad suffragia mortuorum conuenientem & debitum, videlicet Hierosolymam, vbi erat templum, locus sacrificiorum, oblationum & orationum debitus, Ioan. 4. 20. Dixit mulier Samaritana Christo. *Vos dicitis quia Hierosolimis est locus vbi adorare oportet.* Signat autem Hierosolyma Ecclesiam Catholicam, extra quam sicut ait D. August. non est locus veri sacrificij: Sacrificium autē quod offertur in missa potissimum suffragium est, pro mortuis offerendum: deinde eleemosyna, oratio, ieiunium, & oblationes fidelium. Vnde dicitur in decret. 13. q. 2. Animæ defūctorum soluuntur quatuor modis, vel oblationibus Sacerdotum, precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorū D. Damascenus sermone de dormiētibus, ceras, oleum, & huiusmodi pro defunctis, in quantum vniuntur viuentibus charitate, & iuxta viuorum intentionem. Ad charitatem verò maximè pertinet Sacramentum Eucharistiæ, cùm sit Sacramentum vnionis Ecclesiæ, continens illum in quo tota Ecclesia vnitur & consolidatur, scilicet Christum. Vnde Eucharistia est quasi quædam charitatis origo siue vinculum, sed inter charitatis effectus, præcipuè est elemosynarum opus: Ex parte

Ioan. 4. 20.

Missa sacrificium pro defunctis.

Eucharistia vnionis sacramentum.

igitur charitatis duo præcipuè ſuffragantur mortuis, ſacrificium ſcilicet Eccleſiæ, & eleemoſynæ: Vnde etiam oblatio candelarum vel olei, vel panis, vel vini & alia eiuſmodi proſunt defunctis, in quantũ ſunt eleemoſynæ, quæ dantur ad cultum Dei, licet etiam in vſum fidelium. Sed ex parte intentionis directę, valet oratio, quia oratio, non ſolùm dicit reſpectum adorantem, ſicut & cætera opera, ſed directus ad eum, pro quo oratur. Et ideò illa tria ponuntur, quaſi præcipua ſubſidia mortuorum, ſacrificium Eccleſię, eleemoſyna, & oratio: quamuis quæcunque alia bona ex charitate fiant pro defunctis, eis valere credendum ſit. Ergo hæc igitur remittuntur debita peccatorum non ſolùm viuis, ſed etiam defunctis, & præcipuè per ſacrificium miſſæ, quod in Eccleſia quotidie offertur. In cuius figura 1. Machab 11. ſacrificantibus Hieroſolymis remiſit Rex Demetrius alia debita quæ ſibi debebantur. Et ſic Deus per ſacrificium quod in Eccleſia offertur remittit debita ſeu pœnas peccatorum. *1. Mach. 11. 35.*

Quintò oſtenditur in Themate aſſumpto eſſe facienda ſuffragia pro expiationis neceſſitate. Vbi aduertendum quando aliquis alium offendit, fit obnoxius pœnæ, à qua ſi vult abſolui, emenda digna ſatisfaciendum eſt. Suffragia igitur oblata pro mortuis ſunt quædam veluti emendæ, & ſatisfactiones, quia Deo offeruntur ad expiandum reatum pœnæ, quã patiuntur ex peccatis præteritis. Heb. 5. 1. *Satisfactio.*

Hebra. 5. 1. *Offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Per dona intelliguntur elemosynæ, quia donum secundùm Aristotelem, est datio irredibilis: Et elemosynæ debent conferri non diuitibus, quas reddere possunt, sed pauperibus, qui non habent, vnde retribuāt, Luc. 14. *Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, &c.* Nec
Luc. 14. 12. propterea deperduntur, quia Deus pro eis retribuet, Sed Sacrificium altaris præcipuè valet ad expianda peccata viuorum & mortuorum, atque etiam orationes deuotæ. Baruch. 1. *Holocausta & thus offerte pro peccato.* Holocaustum erat sacrificium, quod totum comburebatur igne, significat sacrificium Eucharistiæ, in quo continetur Christus, qui fuit totus incensus igne passionis: Thus verò est deuota oratio. De qua 2. Machab. 12. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur:* A quibus postquam absoluti & expiati sunt defuncti, statim euolant ad æternam gloriam, ad quam Deus nos perducat, qui sine fine viuit & regnat.

AMEN.

DE ORATIONIBVS PRO MORTVIS FACIENDIS.

THEMA.

Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. 2. Machab. 12. *2. Machab. 12.46.*

SAnctus Augustinus triplices defunctos obseruat, quosdam valde malos & damnatos, quibus suffragia non prosunt: Alios optimos & beatos, qui suffragiis non indigent: quosdam etiam malos veniali malicia, non damnabili: Hi sunt qui nostris suffragiis iuuari possunt, de quibus illa Thematis verba intelliguntur, *Sancta & salubris est cogitatio &c.* In quibus verbis quatuor auxilia continentur defunctis impēdenda.

Primum est, iuuantis vtilitas.

Secundum est, adiuti necessitas.

Tertium est, adiuuantis facilitas.

Quartum est, adiutorij opportunitas.

Oratio pro defunctis vtilis. Circa primum obseruandum est cogitationem orandi pro defunctis vtilem esse triplici ratione, Primò, quia pia, vnde dicitur sancta. Nam pietas annexa est sanctitati: Sanctorum enim prima virtus est pietas. Cuius figura ha-

Exo. 30. 30. betur Exo. 30. *Vbi dicit Deus Moysi Aaron & filiis eius vnges & sanctificabis eos*: Vnde non fuissent sanctificati, nisi fuissent vncti, id est non potuissent habere munus sanctitatis, sine vnctione pietatis. Ideoque quemadmodum Christus singulariter fuit sanctus, ita singulariter pius, imo ipse fons & origo omnis pietatis.

1. Ioa. 2. 27. 1. Ioan. 2. *Vos vnctionem pietatis habetis à Sancto*, idest à Christo.

Pietas inter membra Christi.

Hæc pietas maximè dicitur esse inter membra corporis Christi, quod est Ecclesia. Sicut enim in corpore naturali vnum membrum compatitur alteri, & quantò vnum magis affligitur, tantò magis alia compatiuntur. Ita existentes in purgatorio, membra cùm sint Ecclesiæ propter charitatis coniunctionem, & maxima pœna afficiantur, eis compati debemus, & subuenire: Quæ pietas nedùm illis sed etiam nobis erit vtilis. 1. ad Timo. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.*

1. ad Timo. 4. 8.

SECVNDA ratio est, quia cogitatio pro defunctis orandi est valde salutifera, ideo dicitur salubris, quia scilicet prodest ad salutem, non solùm ipsius defuncti pro quo oratur, sed etiam ipsius qui orat. Prodest defuncto, qui post satisfactionem & purgationem æternam salutem ille consequitur per orationes & suffragia. Alias tandiu cruciabitur in purgatorio, quandiu à leuioribus maculis per ignem purgatorii totaliter purgatus fuerit, idipsum docet D. Paulus 1. Cor. 3. *Fundamentum enim a-*

1 Cor. 3. 11.

lud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnũ, stipulam: Vniuscuiusque opus manifestum erit: Si cuius opus arserit cui⁹ detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamẽ quasi per ignem. Vbi iuxta D. August. per lignũ, fœnum, & stipulam, intelliguntur peccata venialia. Qui igitur è vita excesserit cum illis, patietur detrimentum ignis, & etiam retardationis à gloria: Erit tamen saluus post purgationem, quasi per ignem, id est, ac si ille ignis cremasset peccata sua.

Quia ergo per orationes & alia suffragia, quæ fiunt pro defuncto prædicta pœna minuitur, vel totaliter aufertur, patet quòd per ipsa suffragia ad salutis æternæ requiem celerius peruenitur.

Prosunt insuper orationes, & alia suffragia quæ fiunt pro defunctis etiam ad salutem ipsius facientis, quia ratione charitatis ex qua fiunt, valent facienti ad meritum vitę æternæ. Licet enim illi non prosint ad satisfaciendum pro peccatis, & pœnis defunctorũ simul, quia maiorem satisfactionem requirit reatus duorum, quàm vnius, & sic solutio quæ fit pro debito vnius, non absoluit alium. Quatenus tamen promanant à radice charitatis, & sunt meritoria, magis prosunt facienti, quia his eiusmodi operatur suam salutem. Iuxta illud ad Phil. 2. *Salutem vestram operamini.* *Ad Phil. 2. 12.*

Tertia ratio, quare prædicta cogitatio est v-

Exo. 30. 30. betur Exo. 30. *Vbi dicit Deus Moysi Aaron & filiis eius vnges & sanctificabis eos:* Vnde non fuissent sanctificati, nisi fuissent vncti, id est non potuissent habere munus sanctitatis, sine vnctione pietatis. Ideoque quemadmodum Christus singulariter fuit sanctus, ita singulariter pius, imo ipse fons & origo omnis pieta-
1. Ioa. 2. 27. tis. 1. Ioan. 2. *Vos vnctionem pietatis habetis à Sancto*, idest à Christo.

Pietas inter membra Christi. Hæc pietas maximè dicitur esse inter membra corporis Christi, quod est Ecclesia. Sicut enim in corpore naturali vnum membrum compatitur alteri, & quantò vnum magis affligitur, tantò magis alia compatiuntur. Ita existentes in purgatorio, membra cùm sint Ecclesiæ propter charitatis coniunctionem, & maxima pœna afficiantur, eis compati debemus, & subuenire: Quæ pietas nedum il-
1. ad Timo. 4. 8. lis sed etiam nobis erit vtilis. 1. ad Timo. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.*

SECVNDA ratio est; quia cogitatio pro defunctis orandi est valde salutifera, ideo dicitur salubris, quia scilicet prodest ad salutem, non solùm ipsius defuncti pro quo oratur, sed etiam ipsius qui orat. Prodest defuncto, qui post satisfactionem & purgationem æternam salutem ille consequitur per orationes & suffragia. Alias tandiu cruciabitur in purgatorio, quandiu à leuioribus maculis per ignem purgatorii totaliter purgatus fuerit, idipsum do-
1. Cor. 3. 11. cet D. Paulus 1. Cor. 3. *Fundamentum enim a-*

liud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnũ, stipulam: Vniuscuiusque opus manifestum erit: Si cuius opus arserit cuius detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamẽ quasi per ignem. Vbi iuxta D. August. per lignũ, fœnum, & stipulam, intelliguntur peccata venialia. Qui igitur è vita excesserit cum illis, patietur detrimentum ignis, & etiam retardationis à gloria: Erit tamen saluus post purgationem, quasi per ignem, id est, ac si ille ignis cremasset peccata sua.

Quia ergo per orationes & alia suffragia, quæ fiunt pro defuncto prædicta pœna minuitur, vel totaliter aufertur, patet quòd per ipsa suffragia ad salutis æternæ requiem celerius peruenitur.

Prosunt insuper orationes, & alia suffragia quæ fiunt pro defunctis etiam ad salutem ipsius facientis, quia ratione charitatis ex qua fiunt, valent facienti ad meritum vitę æternæ. Licet enim illi non prosint ad satisfaciendum pro peccatis, & pœnis defunctorũ simul, quia maiorem satisfactionem requirit reatus duorum, quàm vnius, & sic solutio quæ fit pro debitò vnius, non absoluit alium. Quatenus tamen promanant à radice charitatis, & sunt meritoria, magis prosunt facienti, quia his eiusmodi operatur suam salutem. Iuxta illud ad Phil. 2. *Salutem vestram operamini.* *Ad Phil. 2. 12.*

Tertia ratio, quare prædicta cogitatio est v-

tilis, quia est in futurum prouisura: Nam qui cogitat pro defuncto, qualis & quantus sit ignis purgatorius, dicitur aliquid futurum cogitare pro se ipso, scilicet, quòd cùm fuerit suis suffragiis liberatus à pœna, & ad regnum cœleste peruenarit, ei vicem rependet, atque par pari referet. Matth. 7. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7. 2.

Item dicitur pro seipso cogitare, quia sicut videt defunctum parum iuuari à parentibus & amicis, ita continget ei, nisi ipse sibi prouideat, ita contingit ei nisi ipse sibiprouideat ita viuendo vt pœnam illam euadat, quia vt ait D. Greg. *Melius est liberum exire quàm post vincula libertatem quærere*: Vel ita cogitet pro se ipso, vt prouideat de suffragiis, post mortem bene & copiosè faciendis. Debet etiam cogitare de defuncto, vt de eo habeatur post mortem memoria, & iuuetur, sicut iuuit defunctum: Vnde detentus in purgatorio dicere potest consanguineo vel amico superstiti, *Memor esto iudicii mei, sic enim erit & tuum.* Implet igitur illud Eccl. 7. 3. *Viuens homo cogitet, quid futurum sit.*

Secundò in Themate assumpto tangitur adiuti necessitas, cùm dicitur, *pro defunctis*, qui se per seipsos iuuare non possunt, & ideo maior est charitas defunctis quã viuis succurrere, sicut maior est charitas iuuare pauperem manibus priuatum, quàm manus habẽtem, quibus sibi auxilio esse potest. 2 Machab. 12. 46.

Porrò notandum est quosdam è vita excedere, quorum damnatio ita est perspicua, vt

Ecclesia pro illis non oret, sicut qui sine fide moriuntur Ioa. 3. *Qui non credit iam iudicatus est.* De his, qui fide informati Sacramentis vsi sunt, aliud est iudicium, quia non est ita manifesta damnatio: imo hoc supposito, quòd gehenna torqueantur, quidam opinati sunt, orationes & suffragia eis prodesse. Quæ sententia non probatur, quia cùm pœna inferni sit finita secundùm intensionem, licet duratione infinita, sequeretur si suffragia eis valerent, quod ijs multiplicatis, tandem eorum pœna totaliter auferretur, qui error est Origenis: durante enim culpa, pœna continuari debet, at nunquam tollẽtur aut minuetur culpa in damnatis, pœna igitur eorum nunquam diminuetur aut finem capiet. Nihil igitur illis prodesse possunt viuorum suffragia, sed tantùm defunctis in purgatorio existentibus. De quibus illud exponi potest quod dicitur. Hebræ. 11. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes non acceptis repromissionibus, sed à longe eas accipientes.*

Ioan. 3. 18.

Damnati suffragiis nõ iuuantur.

Heb. 11. 13

Quibus quidem verbis tria Apostolus de defunctis docet.

Primò, finalem dispositionem.

Secundò, generalem migrationem.

Tertiò, pœnalem retardationem.

Animaduerte circa primum, in fide illum mori, qui eidem firmissimè sine vlla dubitatione inhæret. Quod quidem est necessarium, vt resistat quis Diabolo, qui potissimùm aduersus fidem omnia tela tentationis dirigere

Fides firmissima moriẽti tenenda.

solet: sublata enim fide, de Dei timore, amore & subiectione actum est: quia ille qui non credit Deum esse nec amare potest, sicut qui non credit aliam vitam, neque etiam timet inferni pœnam, idem de iudicio Dei dicendũ est. E contrario qui vera fide præditus est, & illustratus, super omnia timet Deum, & eius offensam, res enim sunt nobis formidini propter eorum potentiam, vnde non timemus muscas & pulices, sed vrsum & leonem: Atqui fides docet Deum esse omnipotentem, Credo, inquit primus symboli articulus, in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ, visibilium & inuisibilium. Si igitur fides vera esset in nobis, Deum plus timeremus, quàm omnes creaturas; nec illum offenderemus, sicut leonem non offendimus, quia eum timemus. Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animã & corpus perdere in gehennam.*

Fide sublata tollitur timor.

Matth. 10. 28.

Dices, credo equidem Deum esse omnipotentem, & eum reformido. Quare igitur agis contra illius mandata, & toties illum peccando negligis? Te dæmonibus similem iudico, qui Deum esse credunt & tremunt, nec propterea à malis cessant. Quia enim tua fides, est sine operibus mortua, vera non est aut sufficiens ad salutem, Iacob. 2. *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Tu credis quoniam vnus est Deus, bene facis, & dæmones credunt & contremiscunt*. Ideoque eiusmodi fides non

Iac. 2. 19.

Fides sine operib⁹ mortua.

ſaluat.

Item ſi Diabolus morienti, poſſit tollere fidem, tolleret etiam ei dilectionem. Quis enim amat quem non nouit? Credere enim eſt quidam modus cognoſcendi ea, quæ videri non poſſunt, at incognita non diliguntur. Vnde ait D. Auguſtinus. *Inuiſa diligere poſſumus, ſed incognita nequaquam.* Sicut igitur coeleſtia & inuiſibilia bona, ſine fide à Deo infuſa cognoſcere non poſſumus: ita ſine eadem nec propter Deum, bene agere: ſublata igitur fide, tollitur dilectio, bona operatio, & ſalus: Hinc Apoſtol. dicit, quòd fides per dilectionem operatur, quia vnumquodque ſicut ſe habet ad eſſe, ita ad operari, & vt per formã ſuam res habet eſſe, ita & mouetur & operatur per eam: Dilectio autem ſiue charitas eſt forma fidei: In quantum ſcilicet fidei actus per ipſam charitatem perficitur & formatur. Nam ex eo ſolùm quòd cognoſco hominem, non moueor ad operãdum aliquid propter ipſum, ſed ſi cognoſco & diligo, tunc efficaciter operor propter ipſum: Sic ſola fides ſine charitate non mouet perfectè & efficaciter ad operandum propter Deum vel beatitudinem. 1. Cor. 13 *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferem, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* 1. Cor. 13. 2.

Item ſi Diabolus morienti fidem auferre poſſet, eum Dei ſubiectione priuaret, quia non obediret Deo, nec eius mandatis: Nemo enim ei vult obtemperare, quem non credit.

esse Dominum suum: Vnde miserrimi sunt Manichæi, ista visibilia à Diabolo non à Deo esse, dicentes, nec illius legi obedientes, quòd sacramenta à Deo instituta sibi persuadere nolint, propter eorum visibilem & corporalem materiam, cuius Diabolum authorem sentiũt, atque vicariorum Christi potestatem denegãt, contra illud Rom. 13. *Non est potestas, nisi à Deo, itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos sperinit me spernit*, Est igitur morienti seruanda fides, quod monet D. Paulus Ephes. 6. *In omnibus assumentes scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Et 1. Pet. 5. 8. *Aduersarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quem deuoret.*

Manichæi hæresis

Rom. 13. 1.

Ephes. 6. 16.

Secundò, describit Apostolus Heb. 11. 13. *Generalem migrationem, quia defuncti sunt omnes.* Hoc in loco aliquis obijciet non esse preces fundendas pro defunctis, de quibus agitur in Themate assumpto, quia pro damnatis non est orandum, sicut nec pro Dæmonibus, atqui in illis apparuerunt certa signa damnationis, nam dicitur 2. Macha. 12. quòd inuenerunt sub tunicis eorum de donariis idolorũ, à quibus lex prohibebat, & ideo constat mortaliter peccasse, & in peccato mortali decessisse, ergo non debuerunt fieri orationes & suffragia pro eis. Respondendum est, donaria idolorum non fuisse inuenta apud illos defunctos, vt ex eis signum accipi posset, quòd in reuerentiã idolorum ea deferrent: sed ea acceperunt vt victores, quæ eis iure belli debebantur, & in-

2 Mach. 12. 46.

Obiectio.

de tantùm venialiter peccauerunt, proinde illis suffragia prodesse potuisse.

Quidam alii dixerunt, videntes in pugna imminere periculum mortis, pœnituisse, Psal. 77. *Cùm occideret eos, quærebant eum.* Hocque probabiliter & piè credi potest, ideoque pro eis fuit oblatio facta: Pro solis ergo defunctis & in purgatorio detentis, Ecclesia orare intendit. Hi verò triplices sunt. Quidam decesserunt cum venialibus peccatis. Venialia autem peccata sunt, vt si quis plus debito erga temporalia afficiatur &c. Qui ergo de talibus recedit non purgatus, in purgatorio purgabitur, quia aliquid coinquinatum non ingreditur vitam æternam. Nonnulli sunt qui satisfactione sibi iniuncta nondum completa, decedunt: Isti igne purgatorii grauissimè puniũtur, nisi fortè eorum satisfactio ab alio sibi charo assumatur, qui sit in charitate, & fiat Sacerdotis auctoritate. Alij satisfactionẽ iniunctam compleuerunt, sed tamen illa pœna, ignorantia vel negligentia Sacerdotis sufficiẽs non fuit. Hi enim nisi magnitudo contritionis eam suppleat, totum in purgatorio complebunt id quod minus in hac vita fecerunt. Deus enim qui modum & mensuras peccatorum & pœnarum nouit, addit pœnam sufficientem & respondentem culpæ expiandę, ne aliquid purgandũ remaneat. Vnde pœnitentia iniuncta aut est maior, aut minor, aut æqualis. Si maior, tunc illud quod abundat, cedit ei ad augmentum meriti: si æqualis, tunc sufficit ei ad delectionem.

In purgatorio existentes in triplici sunt genere.

totius culpæ & pœnæ: Si minor, tunc in purgatorio post mortē illud quod restat, supplebitur ex virtute Diuinæ iustitiæ. Quomodocūque sit, defuncti in purgatorio grauissime affliguntur, ideoque eorum debemus misereri, illis adesse, & eorum locutioni aures attentas præbere.

Defuncti in purgatorio tribus modis loquntur.

Porrò tribus modis nobis loquuntur defuncti: Primò exemplo, vt sancti viri, prout viuunt in nostris memoriis, vnde tunc eorum locutiones audimus, quando recordamur eorum bonorum quæ nobiscum egerunt, sicut dicitur de Antiocho, 2. Machab. 4. *Contristatus est itaque Antiochus propter Oniam, & flexus ad miserecordiam lachrymas fudit, recordatus est defuncti propter sobrietatem, & modestiam.*

2. Machab. 4.37.

Secundò loquuntur nobis verbo, Deo permittente aliquando in aliquo corpore assumpto, sicut quando in transfiguratione Domini *apparuerunt Moyses & Helias loquentes cum Iesu.* Matth. 17. quorum Moyses defunctus erat. Hoc etiam modo, qui sunt in purgatorio permittuntur apparere, vt à viuentibus suffragia impetrent. Sicut quidam Romanæ curiæ patronus, & doctor vtriusque iuris, cui tempore Bonifacii Papæ apparuit eius seruus asserés se grauiter in purgatorio cruciari, pro debita pecunia, cuius in morte solutionis non meminerat. Qua soluta à Domino creditori, purgatus omnino defunctus in cœlum euolauit.

Matth. 17. 3

Tertiò, defuncti in purgatorio existentes, loquuntur nobis & clamant desiderio, vt adiu-

uentur à nobis, dicentes illud Iob. 19. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Iob. 19. 21.

Describit etiam D. Paulus auctoritate allegata ex Hebr. 11. 13. pœnalem retardationem, quia nõ acceptis promissionibus de vita eterna, per Christum repromissa: quas repromissiones qui sunt in purgatorio, nondum assecuti sunt, & quia eas vehementer desiderant, multùm affliguntur. Sed sancti, in cœlo existẽtes, merito iustitiæ suæ & gratiæ Dei eas sunt assecuti, Hebr. 11. 13. *Operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* Sed tamen non longè absunt ab illis, in purgatorio detenti, Ephes. 2. 13. *Qui eratis longe, facti estis prope.*

Tertiò in Themate assumpto tangitur iuuandi facilitas: Cùm dicitur, *exorare*, quod est facillimum. Sicut auis ascendit sursum duabus in imo alis, sic anima purgatorii existẽs, elemosyna & oratione ad gloriam paradisi facilè transmigrare potest. Qui igitur defunctis adesse & succurrere volunt, illa duo non despicere, sed multiplicare debent, Eccl. 7. *exorare & facere elemosynã ne despicias.* Vt videlicet excitentur ad orandum, & Presbiteri ad offerendum pro animabus sacrificiũ illud incruentum corporis & sanguinis Domini. Eccl. 29. 15. *Conclude elemosynam in sinu pauperis, & ipsa orabit pro te*, id est, ad orandum excitabit.

2. Mach. 12. 46.

Oratio pro defunctis.

Eccl. 7. 10.

2. Macha. 12. 46.

Quartum quod tangitur in Themate assũpto, est opportunitats auxilii, scilicet *vt à peccatis soluantur*, id est, debitis poenis pro peccatis. Quod fit non solùm per orationes & e-

Indulgentiæ defunctis prosunt. lemosinas, vt diximus, sed etiam per indulgẽtias, non quidem directè, quia sic non valent indulgentiæ nisi facienti illud, pro quo indulgentia confertur. Sed indirectè, in quantum pro eis fit illud, pro quo indulgentia datur; Dummodo forma sub qua data est indulgentia, se extendat vsque ad defunctos, vt si dicat, quicunque fecerit hoc vel illud defunctus tantùm de indulgentia habebit: talis indulgentia nõ solùm viuo sed etiam mortuo proderit: Non enim est aliqua ratio, quare Ecclesia possit merita communia, quibus indulgentiæ innituntur, in viuos transferre, & non in

Ioa. 20. 23. mortuos, cùm Pastoribus Ecclesiæ dictum sit à Christo, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Remittuntur autem peccata quoad culpam & pœnam æternam, per pœnitentiam. At quoad pœnam temporalem, remittuntur viuis & defunctis, per indulgentias: Non quòd Prælatus pro suo arbitratu animas à purgatorio liberare per indulgentias, quia ad hoc, quod indulgentiæ valeant, requiritur causa conueniens indulgentias conferẽdi, quæ vergat in honorem & Ecclesiæ vtilitatem. Si autem forma indulgentiarum, non includat defunctos, puta si dicatur, quicũque hoc faciet vel illud, tantùm de indulgẽtiis consequetur, tunc ille qui hoc facit, non potest fructum indulgentiarum in alios transferre, quia non est eius applicare intentionem Ecclesiæ ad aliquem, per quam communicãtur communia suffragia, ex quibus indulgentiæ

tiæ valent. Quocunque autem modo poſſit ſoluere à peccatis, id eſt, à peccatorum pœnis, quæ ſunt ſicut faſciculi Aſcenſum ad gloriam impedientes, debet homo viuens illud præſtare, quod dicitur Eſa. 58. *Solue faſciculos deprimẽtes, & omne onus diſrumpe.* Sup. pœnæ, vt tali onere remoto ad gloriam ſcandere poſſit. Ad quam Deus Opt. Max. nos perducat. *Eſa 58. 6.*

AMEN.

DE MISERICORDIA QVAM PETVNT DEFVNCTI IN ANNIUERSARIO FACIENDA.

THEMA.

Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Iob 19. *Iob 19. 21.*

VVlgò dicitur, qui ſentit dolores magnos emittit clamores: Atqui in purgatorio exiſtentes, non dubium eſt quin doloribus grauiſſimis afficiãtur, magnos igitur querelarum clamores, non vocis ſono, ſed mentis deſiderio ad nos, vt à nobis auxilium impetrent, perpetuò emittere credendum eſt. In eorum igitur perſona clamant oracula diuina, *Miſeremini mei, Miſeremini mei &c.* In *Defuncti in purgatorio miſericordiã petunt.*

quibus quidem verbis, anima ibi afflicta petit sibi misericordiam fieri à parētibus & amicis, triplici ratione, quæ multùm nos mouere deberet ad eis subueniendum.

Primò, ratione indigentiæ.

Secundò, ratione mutuæ beneuolentiæ.

Tertiò, ratione punitiuæ iustitiæ.

Petit ergo anima à suis charis misericordiam, & ex ipsa gemina petitione ostendit, quanta sit eius inopia & indigentia. Vbi notandum est non quemlibet defunctum afflictum & indigentem à nobis misericordiam petere posse. *Loca defūctorum quatuor.* Sunt enim communiter defunctis quatuor receptacula, cœlum, infernus, limbus, & purgatorium: Propter quæ, sunt etiam quatuor defunctorum differentiæ. Quidam ita boni excedunt è vita, vt quamprimùm egressi à corpore, illis porta cœli aperiatur, sicut pueris *Matth. 3. 16* baptizatis. Matth. 3. *Super Christum baptizatū aperti sunt cœli.* Itèm fidelibus pro Christo in martyrio baptizatis, quia martyrium purgat à culpa & à pœna. Ideoque apertum est cœlū *Act. 7. 56.* Sancto Stephano Act. 7. 56. Item his qui perfectam pœnitentiam & satisfactionem egerūt de peccatis. In cuius figura aperiuntur cœli Ezechieli, iuxta flumen Chobar, Ezech. 1. 1. Chobar enim interpretatur grauedo seu grauitas, & signat difficultatem satisfactionis, quā perfectè pœnitentes tolerare debent.

Isti ergo non sunt de numero defunctorum, qui à nobis misericordiam pôscūt, ex eo quòd nullam indigentiam aut miseriam patiuntur,

ideoque qui pro eis oraret, aut suffragium faceret, illis inferret iniuriam: Hinc ait D. Augustinus, *Iniuriosus esset martyri & Ecclesiæ, qui pro martyre oraret, cuius precibus nos commendare debemus.* *Orationes non fiunt pro martyribus neque pro dãnatis.*

Alij sunt defuncti ita mali, vt illis exeuntibus à corpore ianua inferni aperiatur, de eorũ numero sunt impœnitentes, & in peccato mortali decedentes. De quibus Iob. 21. *Ducũt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descẽdunt.* *Iob. 21. 13.* Horum pœna nullam diminutionẽ accipiet, sed erit perpetuò semper eadem, & eodẽ modo, cùm semper eorum culpa in eis sit remansura. Ideoque in inferno nulla erit redemptio, aut suspensio, aut mitigatio. Vnde D. Dionysius 7. cap. lib. de cœlesti Hierarchia, *Summus sacerdos pro immundis non orat, quia in hoc auci teret à diuino ordine.* *Damnatorũ pœna semper eadem.*

Alij verò defuncti deferuntur in limbum, qui locus est iuxta infernum ex multorum sẽtentia, hi pueri sunt decedentes sine baptismo. *Pueri sine Baptismo decedentes.* Nam cùm gratia destituantur, se habent vt cæci, qui non possunt lucem diuinam intueri, ideo excluduntur à visione diuina & paradiso cœlesti. Nec tamen locum damnatorum adeunt. In quo non puniuntur homines nisi ob propria peccata, quibus pueruli carent: Peccatum enim originale non est personale, sed totius humanæ naturę: vnde secundùm quosdam si per infernum trãsirent, ignem non sentirent: Non igitur hi sunt qui misericordiam petunt. Sunt alij, qui cùm mortem obeunt, in

Oratio tãtũ fit pro his qui sunt in purgatorio.

purgatorium vadunt, quia moriuntur cum venialibus peccatis, vel satisfactione pro peccatis non completa: Nam licet per contritionem tollatur culpa, non tamen ex toto tollitur reatus pœnæ, nec etiam semper venialia, dimissis mortalibus, remittuntur: At iustitia diuina hoc exigit, vt peccatum per pœnam debitam ordinetur, ideo qui ante solutam pœnam moritur, necesse est post hanc vitam, illam persoluat & satisfaciat iustitiæ Dei, hoc fit in purgatorio, vbi totaliter peccator absoluitur à reatu pœnæ, & venialibus maculis: Is est, pro quo orat Ecclesia, quia iuuari potest. Vnde ait D. Gregor. Naziens. *Si aliquis Christo amico consentiens in hac vita purgare peccata minùs potuerit, post transitum hic per purgatorij conflationem expeditur*: Hoc prædicamus dogma veritatis seruantes, hoc etiam vniuersalis Ecclesia tenet pro defunctis exorans, vt à peccatis soluantur. Et B. Dionys. dicit in 7. lib. cœlest. Hierarch, *Quòd diuinus sacerdos pro mortuis orans, pro illis orat, qui sanctè vixerunt, & tamen aliquas maculas habuerunt, ex infirmitate humana contractas.*

Purgatorium Cur?

Tales ergo defuncti sunt, qui à nobis misericordiam petunt, his verbis miseremini mei, miseremini mei &c. Bis repetitur miseremini mei, propter duplicem causam, qua affligitur. Prima est ob venialem aliquam culpam, vt iam dictum est, à qua oportet purificetur antequam vitam æternam ingrediatur, quia nihil inquinatum ingreditur re-

gnum cœlorum. Sap. 7. Secunda propter pœnitentiam hîc non completam, siue quia præuentus sit morte, antequam eam compleuerit, siue quia iniuncta sibi pœnitentia sufficiens non fuit, secundùm iudicium Dei.

Pœnitentiæ autem iniunctæ tripliciter taxantur, nam quædam taxantur à Canone, quædam à sacerdote, cui peccator confitetur. A Canone pro quolibet peccato mortali, septennis pœnitentia est imposita, vt sicut per peccatum septiformem gratiam amisit, ita & per septennem pœnitentiam recuperet eam 33. q. 2. hoc ipsum. Et 23. q. 1. Prædicandum. In canonibus Apostolorum secundùm crimina diuersa, & differentes hominum conditiones, diuersæ pœnitentiæ imponebantur. Verbi gratia, periurus, per quadraginta dies (inquit Canon) pœniteat, 6. q. 1. Quicunque. Falsificans mensuram, triginta diebus in pane & aqua pœniteat. Extra de Empt. & vendit. Vt mensuræ & pondera. Item qui cõtra naturam peccauerit, si sit clericus deponi debet, vel claustro includi, si corrigibilis ad perpetuam pœnitentiam peragendam appareat. Si laicus excommunicari debet, & à cœtu fideliũ, vsq. ad condignam satisfactionem, segregari. Extra de excess. Præl. Clerici. Item si quis votum simpliciter violauerit, tribus annis pœnitere debet. 27. Si vir. Item qui falsò alium acccusat ad mortem, quadraginta dies in pane & aqua pœniteat, si accusatus, occisus sit, vel membrum perdiderit per triennium,

Pœnitentiæ impositio.

extra de accus. Accusasti.

Item si parentes frangunt sponsalia filiorũ, triennio separentur à communione, & filij si in culpa sint, si autem filij secundùm promissionem factam cõtraxerint, liberatur vterque: intelligas quoad pœnam Ecclesiæ, non quoad reatum. Ergo semper septennis pœnitentia imponenda est, nisi maior vel minor inueniatur à canone expressa. In quo casu, si crimen sit publicum, publica non minor vel maior quã scripta sit, est pœnitentia imponenda, nisi ex magna causa dispensetur. Si autem est occultum, tunc indistinctè ex arbitrio sacerdotis imponatur. Hinc pœnitentiæ quæ hodie à sacerdotibus imponuntur, sunt arbitrariæ, etiam illæ, quæ sunt per canones definitæ, extra de pœnit. Deus qui. Vbi pro homicidio & fornicatione mandatur pœnitentia imponi secundùm arbitrium sacerdotis, cùm tamen sit à Canonibus definita. Ergo sacerdos pœnitentias imponere & taxare potest & debet, diligenter consideratis circumstantijs personæ, dignitatis, officij, paupertatis & alijs eiusmodi 26.q.7. Tempora, & de pœnit. dist. 1. mensuram.

Pœnitentiæ impositæ ex arbitrio sacerdotis.

Forum duplex Dei & Ecclesiæ.

Porrò notandum est duplex forum iudicij animarum, scilicet Dei & Ecclesię. Contingit enim aliquando peccatorem esse absolutum in vno & non in alio. Vnde si alicui sit iniuncta pœnitentia in foro Ecclesiæ, maior quàm sit condigna in foro Dei, in foro Ecclesiæ tenetur ad eam totam, sed in foro Dei, non tene-

tur, niſi ad condignam: Ideo quamdiu eſt in foro Eccleſiæ, debitor eſt pœnæ, quouſque totam eam compleuerit: Sed ſi tranſeat ad forũ Dei, peracta condigna pœnitẽtia nullam pœnam ſuſtinebit. Sed ſi minor fuerit iniuncta, quàm fuerit condigna, cùm tranſierit ad forũ Dei, hoc eſt, ad purgatorium, ſupplebitur per illam quicquid minùs fuerit iniunctum: Erit tamen multò acerbior illa pœna, quàm fuiſſet illa pœnitentia, quia in diuino iudicio plus põderat in valore vna modica pœna præſens voluntaria, ſicut plus valet parum auri, quàm multùm plumbi: Vnde fit quædam æqualitas & iuſtitiæ compenſatio, quia pœna præſens eſt minor in acerbitate, & maior in valore: illa autem minor in valore, & maior in acerbitate, propter quam acerbitatem iterũ anima, ibidem afflicta, clamat, miſeremini mei, hoc eſt veſtris ſuffragijs ſuccurrite mihi, & liberabor ab hac acerbiſſima pœna. Sic. 1. Reg. ait defunctus. *Obſecro vt miſerearis animæ meæ.*

Secunda ratio, quare bis dicatur, *Miſeremini mei*, eſt propter duplicem pœnam, ſcilicet, pœnam damni, ſeu carentiam viſionis diuinæ, & pœnam ſenſus. Quantùm ad vtramque, minima pœna purgatorij eſt maior maxima pœna, quæ inferri poteſt in hoc ſeculo. Quia quãtò aliquid magis deſideratur, tantò eius abſentia moleſtiùs toleratur. Et quia affectus quo deſideratur ſummum bonum poſt hãc vitam ab omnibus ſanctis, eſt infinitis partibus multò intenſior, quàm deſiderium rei temporalis, *Pœna purgatorij maxima.*

quod in hac vita haberi potest, maximè cùm tempus habendi iam aduenerit: Ideo afflictio de carentia Dei est maxima. Quantùm autem ad pœnam sensus, patet: Quia cùm dolor non sit essentialiter ipsa læsio, sed læsionis sensus, Tantò magis dolet anima, quantò magis sentit læsiuum aliquod, ideo ab igne immediatè in ipsam agente, quæ est origo sensus, maximè affligitur. Clamare igitur possunt animæ sic afflictæ & dicere id quòd est. Mar. 9. *Si quid potes adiuua nos misertus nostri*: In quibus verbis petunt suffragia, pro se fieri tripliciter.

Mar. 9. 22.

Primò, ex facultate.

Secundò, ex charitate.

Tertiò, ex pietate.

Dicit ergo quantùm ad primum, *si quid potes*. Nam quilibet aliquo modo potest iuuare defunctos: Sacerdotes, celebrãdo pro eis missas: Diuites seculares, largiendo eleemosynas: Omnes generaliter quicunque sint, fundendo orationes: Vnde Tob 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors.*

Tob. 4. 8.

Quantùm ad secundũ debemus eos ex charitate iuuare, sicut frater fratrem, nam frater qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma, & ideo dicunt adiuua nos. Atqui omnes sumus fratres, Roman. 12. *Charitatem fraternitatis inuicem diligentes*, Ergo defunctos fratres debemus per suffragia iuuare. In cuius figura dicitur. 1. Machab. 3. *Quòd adiuuabant eum fratres sui.*

Rom. 12. 10.

Tertiò, petunt sibi subueniri ex pietate,

cùm dicunt, *Misertus nostri.* Vbi est maior miseria, ibi homo, qui pius est, magis compatitur & miseretur, sed in purgatorio est miseria maioris inopiæ, quàm in hoc sæculo, Quia si possent vno denario liberari, non habent vnde soluant, ideoque efflagitant à nobis misericordiam, per illud Iudith. 7. *Tu quia pius es, miserere nostri.* *Iudith.* 7.20

Secundò, defunctus in purgatorio existens petit misericordiam à nobis ratione mutuæ beneuolentiæ, quam habent nobiscum, his verbis *saltem vos amici mei.*

Tria sunt quæ verus amicus solet impendere amico: Primò dilectionem, & hoc debetur omni tempore. Prouer. 17. 18. *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Item compassionem, scilicet, In aduersitate, Eccl. 12. *In malitia*, Sup. aduersitatis, *amicus est.* Et si compatitur viuo, magis debet compati mortuo, qui est in maiori pœna. Item consueuit impendere subuentionem & auxilium, Sup. in necessitate, aliàs non esset verus amicus Eccl. 6. *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Ille est, qui non subuenit amico defuncto, de quo Iob 6. *Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini relinquit.* Quibus verbis insinuatur triplex culpa, quæ plerumque ab amico circa defunctum committitur.

Iob 19.21.

Eccl. 12. 8.

Eccl. 6.10.

Iob 6. 14.

Prima est, culpa crudelitatis, in eo qui tollit misericordiam.

Secunda est, peruersitas, scilicet tollere amico.

Tertia est, fatuitatis, in eo qui timorē Domini derelinquit.

Circa primum, notandum est, tollere misericordiam, ab eo qui est in miseria, est culpa crudelitatis. Vnde cùm illi qui sunt in purgatorio, sint in maiori miseria, quàm viuentes, maior est crudelitas eis misericordiam denegare; propterea dicitur Iacob. 2. *Iudicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam.*

Crudelitas in mortuos.

Iacob. 2. 13.

Porrò subuenire defuncto est opus misericordiæ, cū pascere esurientem & potare sitientem, sint opera ad misericordiam spectantia, At defuncti vehementer illum cibum esuriūt, & illum potum sitiunt, de quo Luc. 22. dicitur, *Dispono vobis sicut disposuit mihi* Pater *meus regnū, vt edatis & bibatis super mensam meam, in regno Patris mei.* Ad quem cibum & potum non peruenient, nisi priùs debitum soluatur, propter quod in purgatorio detinentur, ergo illud opus misericordiæ pro illis præstare debemus. Aliud est, vestire nudum, atqui in purgatorio detinentur, nudam habent animam, non solú corporis veste, sed etiam beatitudinis gloriosæ. De qua Eccl. 45. *Induit eum stola gloriæ*: Quā induere non possunt, quousque sint purgati, & à pœna absoluti. Qui ergo, vt absoluatur, auxilium eis præstat, stola gloriæ eius opera & beneficio citiùs induuntur. Aliud est opus pietatis, hospitem & peregrinum in domo sua

Opus misericordiæ defunctum iuuare.

Luc. 22. 29.

Eccl. 45. 9.

colligere. Atqui non recipiuntur defuncti in domo Domini, priuſquam abſoluantur à reatu pœnæ: Vnde qui eos iuuat, quaſi peregrinū & hoſpitem in hoſpitio cœleſtis māſionis colligi & recipi facit.

Aliud eſt opus miſericordiæ, infirmū viſitare, Sed purgatorio incluſi grauiſſimis doloribus, tanquam infirmitatibus cruciantur, qui igitur eſt illis auxilio, infirmos quaſi viſitat & ſanat.

Aliud eſt opus pietatis, incarceratum viſitare & conſolari, At in purgatorio detineri, eſt quaſi in centro terræ & profundiſſimo carcere includi, qui igitur defunctos iuuant, incarceratis præbēt conſolationis & liberationis auxilium. Qui aliter faciunt, certum eſt eos, iudicium ſine miſericordia recepturos, Chriſto dicente, Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum &c. Quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.* Et ſic iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam. Vnde in Pſalmo 108. pro eo quod non eſt, recordare facere miſericordiam. Et poſt. Dilexit maledictionem & veniet ei. Scilicet, cùm dicitur. Diſcedite à me maledicti &c. *Matt. 25. 41.*

Secūdò, in auctoritate citata, culpa magnæ peruerſitatis, cùm dicitur, *ab amico ſuo.* Nam ſicut inimico gratiam impendere eſt magnæ charitatis, ita ab amico miſericordiam ſubtrahere eſt magnæ peruerſitatis & iniquitatis, & quia multi defunctorum miſerijs ſubuenire *Iob 6. 14.*

non curant, in persona defuncti ait Dauid Psal. 87. *Elongasti à me amicum, & proximum, & notos meos à miseria.* Qui in prosperitate amici fuerunt & in aduersitate derelinquunt, similes sunt discipulis Christi, qui eum ad nuptias comitati sunt, & in passione, relicto eo, fugerunt: Cadauera lupi, formicæ grana sequuntur, prædam sequitur turba ista, non hominem. Ideoque D. Greg. ait, *Cùm quis positus in prosperitate diligitur, incertum est valde, vtrum possessor vel prosperitas diligatur: Amißio fœlicitatis vim interrogat dilectionis: Qui enim in aduersitate proximum deserit, apertè hunc in prosperitate non amauisse ostendit.*

Psal. 87. 19.

Inhumanitas erga defunctos.

Sed adhuc nonnulli sunt qui inhumaniùs erga defunctos se gerunt, qui non solùm misericordiam nullam faciunt, sed etiam ab eis iustitiam auferunt, atque legatas eleemosynas testamento retinent: De quibus conqueritur defunctus his verbis Iob. 27. 2. *Abstulit iudicium meum, & ad amaritudinem perduxit animam meam.* Hi veri inimici habendi sunt. Matth. 10. *Inimici hominis, domestici eius.*

Matt. 10. 36.
Iob. 6. 14.

Tertiò, in auctoritate allata, innuitur culpa magnæ fatuitatis, quia talis timorem Domini dereliquit, in quo & propter quem proximum diligere debet, & ei in necessitate subuenire, At qui timorē Domini dereliquit, fatuus est, qui deserit eum qui liberare potest omni malo, & ditare omni bono.

Omne enim malum aut est malum culpæ,

ſcilicet peccatum, aut pœnæ quo affligimur, ſed vtrumque à nobis timor Domini expellit. Primò, malum culpę. *Timor Domini expellit peccatum*, Eccl. 1. Quilibet enim quod odit à ſe conatur expellere, Prouer. 8. 13. *Timor Domini odit malum*, Sup. culpæ. Iterum vindicat à malis pœnæ. Eccl. 33. 1. *Timenti Deum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſeruabit & liberabit à malis.* D. Aug. in ſentent. Proſperi. cuſtodit nos Dominus ab omni malo, non vt nihil patiamur aduerſi, ſed vt ipſis aduerſitatibus anima non lædatur.

Eccl. 1 17.
Timor Dei.

Item timor Domini confert homini omne genus boni: quod eſt triplex ſecundùm Philoſophum, vtile, delectabile, & honeſtum. De vtili Pſal. 33. *Timete Deum omnes ſancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus eum.* De delectabili, Eccl. 1. 12. *Timor Domini delectabit cor.* & Pſal. 30. 24. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Gloſa. Quam impius non ſentit, quia de febre iniquitatis placatum cordis nõ amiſit. De honeſto, Eccleſ. 34. *Timentis Dominum beata eſt anima eius.* id eſt, *æterna fruetur beatitudine.*

Pſal. 33. 9.
Eccl. 34. 17.

TERTIÒ, in Themate aſſumpto Iob 19. 21. petit defunctus miſericordiam ratione iuſtitiæ punitiuæ, cũ dicit, *Quia manus Domini tetigit me.* Porrò manus Domini eſt iuſtitia Dei, qua exiſtentes in purgatorio affligũtur quinq. modis. Primò glorię retardatione, quã anima corpore exuta vehemẽtiſſimè deſiderat, ideoq.

Psal.41.2. grauissimè affligitur, clamans die ac nocte Ps. 41. *Quando veniam & apparebo ante faciem Domini.* Secundò, ardore ignis crudelissimi, qui durior est & acerbior, omni alia pœna, quã quis in hac vita excogitare possit, iuxta D. August. Sap.6.9. Sap 6. *Fortioribus fortior instat cruciatio.* Atqui Spiritus separatus, est fortior coniuncto, ergo fortiùs cruciatur. Preterea maior est pœna passionis, quàm compassionis, animæ autem in purgatorio patiuntur per se, maior igitur illarum est pœna, ea, quã in hoc sæculo, compatiẽdo corpori, sustinent. Tertiò, affliguntur detenti in purgatorio expectatione, quia à nobis expectant suffragia, cùm ex se nihil possint. Quartò, pœnitentiæ omissione, considerantes enim quòd propter modicam pœnitentiam in hac vita voluntariè factam, potuissent euadere acerbissimum ignem purgatorij, vehementer dolent, & tristantur. Quintò irrisione aduersariorum, quia licet dæmones nihil habeant potestatis, in animas existentes in purgatorio, irrident tamen eas, & de illarum dolore exultant. De hac ergo manu seu iustitia Dei, dicitur Iob. *Manum tuam longè fac à me.* Alia est manus Domini dextra videlicet ad gloriam deducens Psal.138. *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Sup. in æternitate gloriæ. Ad quam nos perducat Iesus Christus filius Dei, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. AMEN.

Purgatorij pœnæ.

Psal.138.9.

DISTINCTIO

QVINTA. IN QVA AGITVR DE DIVERSITATE morientium, in officijs, dignitatibus, ætatibus, sexibus, fortunis, infortunijs vel meritis defunctorum. Cuius sunt conciones quadraginta octo.

Concio I. *In funere Domini Papæ.*

THEMA.

Sũmus Pontifex de Hierusalem venit in Bethuliam. Iudith. 15. *Iudit.15.10.*

SENSV percipimus vnum & eũdem motum, propter duos terminos oppositos, contrariorum causam esse. Idque in sole manifestum est, quià nobis recedẽs, in nostro Hemispherio tenebras relinquit, ad *Similitudo.*

locum vero oppositum descendens, lumen efficit, Atque ita vnus & idem motus solis, lumen & tenebras producit. Hic occasus solis, transitum ab hac vita Domini nostri summi Pontificis, & sanctissimi Patris nostri aptissimè repræsentat. Ipse enim velut splendidissimus sol noster, in cœlo seu culmine positus Ecclesiæ militantis, non nobis tantùm, sed toti Ecclesiæ virtutum omnium genere, & scientiarum ac gratiarum lumine præfulgebat. Qui licet propter decessum suum, magnas tristitiæ & doloris tenebras apud nos reliquerit, ipse tamen ad lumen vitæ iucundissimæ, atque fruitionem lætitiæ transijt sempiternæ.

In quo etiam Fœlix ille transitus, saluatoris nostri Ascensioni assimilari potest, quia quemadmodũ Christi recessus, Apostolis fuit luctus & doloris causa, vt D. Bernard. asserit, his verbis, *Quantus putatis dolor & timor irrupit Apostolica pectora, cùm viderũt Dominum efferri in aëra, & illum, propter quem omnia reliquerant, à suis aspectibus tolli, vt non possent ablato spõso, filij sponsi non lugere*: Timore perculsi sunt, quia orphani relinquebãtur in medio Iudæorum nondum confirmati virtute ex alto. Ita eadem Ascensio, fuit causa gaudij & lætitiæ, quando hoc tam stupendo Ascensionis miraculo, in fide diuinitatis eius plenissimè confirmati sunt, cùm illum non solùm à mortuis resurrexisse, sed etiam corpore in cœlũ ascendisse, manifestissimè viderunt. Propterea illis

illis dixit, Ioan. 14. *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.* Sic transitus huius sanctissimi Patris nostri, nobis est luctuosissimus, illi verò iucundissimus & glorisissimus: qui aduētu summi Pontificis Ioachim de Hierusalem in Bethuliam, significatus est, de quo in assumpto Themate fit mentio, cùm dicitur sūmus Pōtifex de Hierusalē venit in Bethuliā. Quibus verbis de defuncto summo Pontifice ad nostram consolationem tria describuntur. *Ioa. 14. 18.*

Primò describitur illa figura, præteritus excessus dignitatis.

Secundò, officium sanctitatis.

Tertiò, transitus beatitudinis.

Quantùm ad primum, Papa dicitur summus respectu Pastorum Ecclesiæ omnium Christianorum, & iurisdictionis. Respectu Prælatorum quia ipse est vertex & caput omnium, tam Patriarcharum, quàm Archiepiscoporum vel Episcoporum, Ioan. 1. Dominus dixit Petro, *Tu vocaberis Cephas*, quod interpretatur saxum & caput. Et ideo sicut Petrus caput erat omnium Apostolorum, ita Papa caput est omnium Prælatorum, omnesque illi subiiciuntur, sicut membra capiti: Hinc sequitur in administratione rerum Ecclesiasticarum magis obediendum esse Papæ, quàm cuilibet alteri. Nam Papa est loco Petri, vt dictum est, & habetur 24. q. 1. & etiam Christi vicarius. Extra, de translat. intercorporalia & executione de beneficiis Eccl. & Pe-

Primatus Papæ.

Ioan. 1. 4. 2.

Papa caput omnium Prælatorū

trus in administratione maior fuit Paulo, vel quolibet Apostolo, vt 2. q. 7. Puto 21. dist. in nouo.

Secundò Papa est summus respectu Christianorum: Nam in quolibet ordine ille dicitur summus, cui omnes alij subsunt, & ipse nulli subest eorum, sed omnes Christiani subsunt Papæ. Dominus enim dixit Petro, & eius successoribus. *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Nulli autem alteri, Papa subest viuenti. Licet in quibusdã casibus alteri subsit tripliciter. Primò in casu hæreseos: Secundò, si ipse se submittat iurisdictioni alterius: Tertiò si ipsemet se deponat.

Papa omnes Christiani subijciuntur

Tertiò dicitur summus respectu iurisdictionis, in eo enim est summa iurisdictio: quia ille est maior dignitate, qui est vniuersalior in potestate vt sol, quia habet virtutem vniuersaliorem, habet etiam naturam digniorem & altiorem, vnde & in altiori loco est positus, quia ordo situum respondet ordini naturarũ. Papa autem habet potestatem magis vniuersalem, quàm aliquis aliorum, quod est intelligẽdum in spiritualibus; In temporalibus enim suis subditis Reges & principes imperant. Tamen imperatorem electum Papa approbat & confirmat, eumque confirmatum consecrat.

Papa iurisdictio est sũma.

Ad talem ergo summum apicem dignitatis, per legitimę electionis consensum, iste noster

defunctus Pater peruenit, vt summi Pontificatus Cathedram, tot annis cum maxima omnium commendatione tenuit, tanta vigilantia & prudentia in eius munere obeundo, vt omnes alios superauerit, ita vt de eo, hæc verba dici possint. 1. Machab. 14. *Consenserunt eum esse summum Sacerdotem, & vt constitueret præpositos.* 1 Machab. 14.41.

Quibus verbis Pontificatus ex tribus commendatur.

Primò, ex legitima electione.

Secundò, ex sublimi prælatione.

Tertiò, ex prudenti gubernatione.

Ostenditur ergo ad summi Pontificatus apicem peruenisse per legitimam electionem, quia consenserunt veri & legitimi electores, scilicet Domini Cardinales. *Electio legitima.*

Consenserunt inquam liberaliter, absque muneris cuiusquam oblatione, vt omnis excluderetur Simonia, quę est grauissimum peccatum, Deo maximè odiosum, & inuisum: de electo & eligentibus per Simoniam dicit Deus Leuit. 20. *Succidã ipsum & omnes qui consenserũt.* *Simonia in electione fugienda.* *Leuit 20. 5.*

Item vnanimiter & sine dissensione, vt pertinax excluderetur discordia: Prudenter & cũ discretione, vt excluderetur improuidentia, & hoc quia consenserunt in hominem probũ iustum literatum, maximéque idoneum, ita vt verè potuerint dicere illud Psal. *In domo Dei ambulauimus cum consensu*, Sup. liberali, concordi, & prudenti.

Secundò, in auctoritate inducta cõmendatur, 1. Machab. 14.41.

Sacerdos vnde dicatur. ex ſublimi prelatione,quia conſtat fuiſſe ſummum Sacerdotem. Dicuntur enim Sacerdotes quaſi ſacra dantes, id eſt diſpenſantes,ſunt enim diſpenſatores Sacramentorum : Vnde& ille qui eſt principalis & ſummus Sacramentorum diſpenſator, dicitur ſummus Sacerdos: Et hîc inter omnes fideles, eſt vnus tantùm, ſcilicet Papa, vicarius Chriſti, qui omnium ſacrorum Dominus fuit : Principalis igitur diſpenſator Chriſti, eſt ſummus Pontifex Romanus, etenim quodammodo maior homine ex Chriſti inſtitutione, ſed minor Deo, extra de tranſlat. inter & ideo dicitur quòd à Chriſto plenitudinem habet poteſtatis. Alij verò in partem ſollicitudinis 2.q. 6. decreto,& cap. Qui ſe ſcit.

Sacra in triplici genere. Idem probatur, quia in omni Sacramentorum genere, ſunt nonnulla Soli Papæ reſeruata; Quod vt intelligatur aduerte tria eſſe ſacrorum genera. Primò ſacra ſigna, Secundò ſacra myſteria, Tertiò ſacra opera. Sacramenta ſunt ſacra ſigna, quandoquidem Sacramentum eſt rei ſacræ ſignum. In Sacramentis autem Papa poteſt aliquid, quod nullus alius poteſt. Vt ſolus diſpenſat, cum eo qui excõmunicatus celebrauit vel recepit ordines, 11. q. 3. Si quis Epiſcopus. Solus etiam poteſt cõferre ordinem die dominico, & alijs præcipuis feſtis. Solus poteſt Sacerdoti committere vt confirmet,quia hoc pertinet ad ordinem corporis myſtici, ſuper quod Papa habet pleniſſimam poteſtatem, vt ait D. Thomas. Item

quoad Sacramentũ matrimonij, quia in multis casibus dispensare potest, contrahere vel relaxare impedimenta, extra de consang. Nõ debet.

Est etiam summi Pontificis determinare & declarare ea, quę sunt fidei, ad quem dubia & controuersiæ referri debent vt soluantur, Malach. 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* *Malach. 2.*

In sacris operibus, solus potest, vota.peregrinationes commutare, dare absolutiones in casibus à se reseruatis, & in multis dispensare, atque sanctos Canonizare. Ex quibus patet Papam Principalem esse & summũ dispensatorem sacrorum. Ideoque appellari successorem Symonis, id est Petri, qui figuratus est in illo Symonę, de quo dicitur 1. Machab. 14. *Audierunt quòd Symon factus esset summus sacerdos.* Sed videte mirabilem mutationẽ, quia iste qui heri viuens, erat summus, hodie mortuus, factus est infimus, & qui heri regebat orbem, hodie factus est, vt redigatur in vilissimum puluerem. Hinc Bernardus bene monebat Eugenium Papam in lib. de consideratione, *videns* (inquit) *te esse Sacerdotem, cogita pariter te futurum, in vilissimum puluerem.* *Papa dispẽsator sũmus* *1. Machab. 14.*

Sed adhuc tertiò, commendatur præsulat⁹ ipsius ex prouisa gubernatione, quia proinde electus est ad summum Pontificatum, vt esset illi cura de sanctis, & constitueret Præpositos. Quia enim salus populi ex Ecclesia & Mini- *1. Machab. 14. 41.*

stris dependet, & ministrorum salus, ex Prælatorum sufficientia, ideo summo Pontifici præcipua cura debet esse de sanctis, id est, de clericis, & ministris Ecclesiæ, qui sancti esse debent, quia ipsi specialiter sunt electi, vt diuinis sint mysteriis mancipati: Vnde numer. 16. dicitur de Leuitis, qui clericorum gerebant figuram. *Sanctos applicabit sibi, & quos elegerit appropinquabunt ei.* Eiusmodi ministris vti debet, non Simoniacis, aut fornicariis, aut immundis, sed sanctis.

Numer. 16. 5.

Curam etiam debet habere, vt optimos cõstituat Episcopos, & Præpositos, 1. ad Timo. 3. *Oportet Episcopum esse modestum, non litigiosum non cupidum, sed suæ domui bene præpositum.* Non sunt igitur Prælati hi, de quibus 2. Esdræ. Præpositi & Magistratus participes erant iniquitatis. Sed tales instituat, vt possit dicere ciuitatibus quibus concedit, illud, Esa. 60. *Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam: Non audietur vltra iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis.* Talis fuit cura nostri summi Pontificis, Pastoris vigilantissimi.

ad Timo. 2.

Esa. 60. 17.

Iudith. 15. 10.

Sanctitas decet ministros Ecclesiæ

Secundò, describitur in Themate assumpto sanctitatis, qua præditus fuit noster defunctus Pontifex. Pontificatus enim requirit omnimodam sanctitatem, quia omne agens agit sibi simile, prout Philosophus dicit. Hoc enim in naturalibus præsupponit perfectionem naturæ, quia tunc vnumquodque perfectum dicimus, quando potest tale alterum facere, qua-

le eſt, ſicut dicimus perfectum eſſe hominem, quando hominem generare poteſt. Hoc ergo quod in naturalibus videtur eſſe neceſſitas, ſcilicet quòd agens, agat ſibi ſimile, in moralibus & ſpiritualibus eſt congruitas. Licet enim Sacerdos immundus, peccatores poſſit mundare per Sacramenta, vt eſt baptiſmus & pœnitentia, quæ non ex virtute immundi Sacerdotis, ſed ex virtute & inſtitutione Dei mundiſſimi operantur & purificant. Hinc D. Auguſt. ait, *In ipſis ſacramentis nihil minus à malo, & nihil amplius à bono percipitur Sacerdote.*

Ex debito tamen congruitas eſt, vt ſtudeat ipſe mundus eſſe, qui alios debet mundare, alioquin mortaliter peccat, dum actum ſibi incongruum agere præſumit. Et idirco Pontificem maximè decet eum, qui alios conſecrat & ſanctificat, ſit ipſe ſanctus & probus. Hebræ. 7. 26. *Talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impolutus, ſegregatus à peccatoribus.* Sanctus in mente, innocẽs in opere, impolutus in carne, ſegregatus à peccatoribus ex munda, ſancta, & optima conuerſatione.

Tertiò, deſcribitur in Themate aſſumpto, transitus ad fœlicitatem, *quia de Hieruſalem venit in Bethuliam.* De quo tria cõſiderari poſſunt. *Iudith. 15. 10.*

Primò, terminus receſſus, quia de Hieruſalẽ.
Secũdò, terminus motus medius, quia venit.
Tertiò, terminus acceſſus, quia in Bethuliam.

Terminus ergo receſſus, fuit Hieruſalem, per quam pręſens Eccleſia deſignatur. *Veritas & ſanctitas in Eccleſia.*

Primò ratione veritatis, quia veritas fidei non inuenitur extra Catholicam Ecclesiam. Et i-
Zachar.8.3 deò dicitur Zachar. 8. *Vocabitur Hierusalem ci-
uitas veritatis*, quæ introducta est ab Apostolis act. 5. 28. *Replestis Hierusalem doctrina vestra*, cui qui aduersatur & contradicit, errat & fallitur.

Secundò, ratione sanctitatis quia Sacramēta per quæ homo sanctificatur, non sunt ni-
Apoc. 21. 2. si in Ecclesia Christi, Apo. 21. *Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem.*

Tertiò, ratione libertatis, quia qui facit peccatum seruus est peccati, & Diaboli, vnde expulso peccato efficitur homo liber ab vtraque seruitute. Atqui non sunt remedia ad expellēdum peccatum nisi in Ecclesia Christi. 1. Machab. 10. 31. *Hierusalem sit sancta & libera.* In hac ergo Hierusalem habebat istePater noster summam potestatem secundùm illud, Eccl. 24. 15. *In Hierusalem potestas mea.* Verùm cogi-
Ecl. 10. 11. tate quàm breui tempore durauerit illa potestas, quia vt ait Sapiens, Eccl. 10. *Omnis potentatus breuis vita*, quæ hodierna die per mortem prorsus annihilata est, siue honores, siue diuitias, siue delitias spectemus. Qui enim primò videbatur omnium habere potestatem, nullam potuit contra mortem habere defensionem, iuxta illud Ecclef. 8. *Non est in homi-*
Eccl. 8. 8. *nis potestate, prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque saluabit impietas, impium.*

Secundò tangitur modus medius in The-

mate, *quia venit*. Nos videmus, materia ignis *Simile.*
durante, eius ſplendorem & flammam permanere, eademque deficiente, lumen & ardorẽ deficere. Illud in Patre noſtro ſanctiſſimo Papa accidit, illo enim ſuperſtite, & integra valetudine, toti mundo gloria, honore & omni virtutum genere clarus & illuſtris fuit: Extincta verò vita, omnis gloriæ ſplendor finem accepit, Ezech. 7. *Finis venit, venit finis.* Finis venit, ſcilicet vitæ: Venit finis ſcilicet gloriæ mundanæ: ſed quia homo ignorat finem vitę *Ezech. 7. 2.*
ſuæ, id eſt tempus & diem mortis ex improuiſo ſæpę in infernum deducitur, 1. ad Theſſal. 5. 4. *Dies Domini, ſicut fur in nocte.*

Tertiò, tangitur terminus acceſſus, *quia venit in Bethuliam.* Bethulia enim ſecundũ Hieronimum interpretatur domus dolens Domino, qua ſtatus pœnalis purgatorii ſignificatur, quia ibi exiſtentes doloribus torquentur grauiſſimis. Ita vt nobis dicere poſſint illud, Tren. 1. *O vos qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Dicitur dolens *Tren. 1. 22*
Domino, quia ille dolor infertur vt Domino ſatisfiat, qui noſtris ſuffragiis minui poteſt, animaque ab eo liberari. Compatiamur igitur animæ ſanctiſſimi noſtri Patris defuncti, & eam noſtris ſuffragiis iuuare omnibus viribus enitamur.

Sed adhuc alio modò Bethulia ſecundùm D. Hieronymum interpretatur, manens in Deo, qua ſignificatione, ſtatus beatorum deſignatur, qui ſemper in Deo manent eius frui-

.Ioan.2.24.15. tione & visione beatifica fruentes, 1. Ioan. 2. *Vos in filio & Patre manebitis: Estque promißio, quam ipse pollicitus est nobis vitam æternam.*

Considerata igitur vita laudabili, & honesta, quam hîc sanctissimus Pater duxit. Piè credendum est, ad illam Bethuliam iam peruenisse, aut citò peruenturum. Ad quam omnes nos contendere debemus, quod facillimũ erit si vitiorum & Dæmonum tentationes superare, virtutesque & honestas actiones exercere studeamus.

Iudith.15.6. In cuius rei figuram scriptum est, Iudith. 15. *Si qui victores extiterant reuersi sunt Bethuliam*, id est, ad vitam æternam, à qua per peccatum receditur, & per victoriam peccati acceditur. Ad quam nos perducat qui sine fine viuit & regnat.

AMEN.

DE OBITV SVMMI PONTIFICIS.

THEMA.

Pater noster mortuus est. Numer. 27. Numer. 27.

NEmo est qui nesciat amorem in homini- 3.
bus, esse doloris & tristitiæ causam, quā-
tò enim quis ardentiùs alium diligit, tantò de *Amor causa doloris.*
eius absentia & omissione vehementiùs trista-
tur & dolet: Atqui Pater filio vnico potius,
ardentiori amore in eum fertur, quā in plures.
Non mirum igitur videri debet si iniquiori
animo illius mortem ferat, quàm si plures ha-
beat. Dauid vehementer amauit Ionatham,
ideo plurimùm fleuit illius obitum, 2. Reg.
1. *Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis, & 2. Reg. 1. 26.
amabilis super amore mulierum. Sicut mater vnicū
amat filium, eodem te prosequebar amore*, propte-
rea dicitur Hier. 6. *Luctum vnigeniti fac tibi, Hier. 6. 26.
planctum amarum*, vnde amor est causa doloris.

Debent autem filij naturaliter Patrem a-
mare. Malach. 1. *Si ego Pater, vbi est amor meus?* Malac 1. 6.
Sup. quo me debetis diligere: Inde sequitur
naturale esse filijs, de Patris morte dolere.
Quod perspicuum est non solùm de Pátre car-
nali, sed etiam spirituali, doleamus igitur de-
functum nostrum Patrem, & defleamus, ad
quod nos charitas mouere debet.

Flendi mortui. De vtriusque Patris luctu & tristitia habemus exempla in scripturis, Genes. 50. mortuo Iacob in Ægypto fleuerunt eum filii eius, *Genes.50.3.* simul cum Ægyptiis 70. diebus,& in exequiis suis in terra Chanaam vbi sepultus est, planxerunt eum ploratu magno septẽ diebus. Mortem Mosis fleuerunt filij Israel in campestribus Deut. vltimo cap. *Deuter.vlt. 8.* De morte Aaron summo Sacerdote numero.20. legitur, omnem multitudinem filiorum Israel tringita diebus eum fleuisse. Propterea verba Thematis citata superiùs nobis obitum sanctissimi Patris nostri summi Pontificis significantia, ad amoris affectum nos excitant, cùm dicitur *Pater noster*: Præbent insuper occasionem doloris his verbis, *Mortuus est. Ergo Pater noster mortuus est.*

Quibus quidem verbis scriptura sacra de ipso tria insinuat.

Primòquidem innuitur officium dignitatis.

Secundò, exprimitur affectus charitatis.

Tertiò, declaratur defectus corruptibilitatis.

Pontificatus summi dignitas quãta Circa primum, attende quanta sit excellentia & dignitas in Ecclesia Catholica summi Pontificis, qui non solùm Pater vocatur, sed etiam Papa, id est, Pater Patrum, quia est Christi vicarius, *à quo omnis Paternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Veruntamen quia eius paternitas est per prælationis iurisdictionem, illorum omnium dicitur Pater, quia eius sub-

duntur iurisdictioni, id est, eorum qui sunt de Christi Ecclesia. Sicut ergo Abraham fuit generalis Pater totius populi Israelitici, ita Papa totius populi Christiani, qui in illo fuit figuratus. Ideoque Papa vsurpare poterit illud Hierem. 31. *Factus sum Israeli Pater.* *Hierem. 31. 9.*

Quibus quidem verbis tria significat de Romano Pontifice.

Primò, personæ promotionem.

Secundò, Ecclesiæ præfigurationem.

Tertiò, curæ dispensationem.

Nam sicut ad Patrem pertinet totius familię cura, & dispensatio rerum domesticarum, ita ad Papam sollicitudo & dispensatio Ecclesiasticarum rerum. Dicit ergo quoad primũ, *Factus sum*: Vtinam qui modò eligitur dicere posset, sicut in primitiua Ecclesia, factus sum, scilicet, ex inspiratione spiritus sancti, non enim tunc temporis, æmulatione, superbia, ambitione, auaritia, fauore, contentione Pōtifex summus eligebatur, aut violenter intrudebatur, sicut modò: sed Zelo Dei & desiderio Ecclesię conseruandæ, fideique dilatandæ electores ferebantur, idirco à Deo inspirabātur, ita vt nonnumquam visibiliter in specie columbæ spiritus sanctus appareret, sicut legitur in chronicis de beato Fabiano, hinc sapientes discreti, & prudentes eligebantur Eccles. rectores, qui recta imbuti conscientia, mira operarentur, de quo dici poterat, illud Gen. 2. *Spirauit in faciem eius spiraculum vitę, & factus est homo, in animam viuentem. Spirant*, sci- *Electio à Deo.* *Gen. 2. 7.*

licet Deus, *in faciem eius*, scilicet Ecclesiæ, in collegium Electorum summi Pontificis, scilicet Cardinalium. Quorum collegium rectè facies dicitur, ex eo quod facies est eminentior & mobilior pars corporis, sic collegium illud præstantior pars Ecclesiæ. Vnde in ista facie debet esse visus prouidentiæ, auditus obedientię olfactus prudentiæ, os eloquentiæ, dentes iustitiæ, & gustus Sapientiæ. Debet etiam hæc facies munda esse, ab auaritiæ, luxuriæ, & superbiæ macula, vt suscipiat electus Pastor & idoneus à Deo spiraculum vitæ: Sicque creetur, qui sit homo in animam viuentē, non autem brutum per insipientiam, habeat animam viuentem, id est bonam conscientiā, vnde viuens iudicetur non mortuus. Vita (inquit Philosophus) ex sensu manifestatur & motu: Sentiat ille Pontifex subditorum defectus, & moueatur ad eorum profectus.

Hierem. 31. 9 SECVNDÒ notanda est in auctoritate citata, Ecclesiæ præfiguratio cùm dicitur *Israeli*, quia per Israelem significatur Ecclesia, id est, fidelium Christi populus cui iste noster Dominus defunctus hactenus fuit Pater & Pastor.

Israel figura Ecclesiæ. Est autem triplex ratio quare Israel significat statum Ecclesiæ. Primò ratione pugnæ: Secundò ratione victoriæ: Tertiò ratione hæreditatis promissæ. Hoc enim nomen Israel impositum fuit post luctam & victoriam, quam habuit de Angelo in itinere existens. Dixit enim illi Angelus Genes. 32. 28. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Quòd si

contra Deum fortis fuisti quantò magis cõtra homines præualebis.

Et in hac lucta & victoria, figuratur impugnatio quam debebat habere populus Israel ne ingrederetur terram promissionis, & etiam victoria quam habiturus erat contra homines. Præterea impugnatio Christi præfigurabatur & de hostibus victoria. Exemplum est Exod. 17. *Venit Amalech & pugnauit contra Israel in valle Raphidim.* Hîc figuratur Ecclesia ab inimicis oppugnata videlicet mundo & dęmonibus per hæreses, tentationes, & multis aliis modis. Nam Amalech interpretatur lambens sanguinem, & significat infideles & Tyrãnos, qui sitientes sanguinem fidelium, & fidem atque orthodoxam Ecclesiæ doctrinam persequentes, multorum martyrum sanguinẽ effuderunt. Nunc autem signat Diabolum, quia quando canis lambit paropsidẽ aut pinguiarium vacuum, cibi cupidum sese ostendit: Sic ergo quia damnationem nostram quasi cibum ardenter desiderat, lambens vocatur, quia ipse totus ardet nostræ mortis desiderio, aquilarum more Iob. 39. Dicitur *quòd pulli earum lambunt sanguinem:* Habent etiam modum canum 3. Reg. 21. 19. *Linxerunt canes sanguinẽ eius.*

Exo. 17. 1.

Ecclesia oppugnatur.

Iob. 39. 33.

Ecclesia persecutio.

Verùm sequitur in isto Amalech illum impugnasse Israel. Israel exponitur vir videns Deum, quo significatur fidelis, qui Deum per fidem intuetur, quique à partibus Dei stant, quapropter acriùs eos Dæmon persequitur & impugnat, quã qui partes sequitur Diaboli.

Nam Rex non bellum infert suis domesticis sed hostibus & aduersariis. Sed nec Diabolus infidelibus aut malis aduersatur quod quieto iure eos possidere sentiat, sed illis molestus est qui eum detestantur Deumque sequũtur, 3. Reg. 22. 31. *Rex autem Syriæ* scilicet Diabolus præcepit. *Principibus curruum dicens: Non pugnabis contra maiorem vel minorem, nisi contra regem Israel solùm.* Numer. 21. *Chananeus*, qui interpretatur æmulator id est Diabolus, qui inuidet
Numer. 21. 1 homini, *pugnauit contra Regem Israel.*

Sed sequitur in valle Raphidim, qui interpretatur dissolutio fortium: Hac enim intentione impugnat Diabolus, vt dissoluat fortitudinem hominis, & eum prosternat. Dicitur vulgò, cùm unus multos superat, & plures prosternit, Iste est bonus luctator. Sic Diabolus multos superat, sua pusilanimitate potiùs deiectos, qui si resistere vellent, non caderẽt: Hinc Diabolus hos ad honores & superbiam euehit, alios caro in luctum luxuriæ prostrauit, quosdam in foueam auaritiæ mundus inclusit 2. Reg. 1. *Incliti tui Israel super montes tuos*
2. Reg. 1. 19. *interfecti sunt.* Et sequitur, *Ceciderunt fortes in prælio.*

Vnde Diabolus mulierum concupiscentia vtitur, tanquam luctatore fortissimo, vt etiã fortissimos & generosissimos deiiciat, prosternat, & occidat, Prouer. 7. *Multos vulneratos deiecit*, Sup. in peccatum mortale, *& fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Vt Samson fortissimus corpore, & Dauid fortissimus animo, & Salomon

Salomon sapientissimus.

Secundò, Israel significat Ecclesiam Christi ratione victoriȩ, quia solis fidelibus Christi, data sunt arma potentissima ad dæmones superandos & peccata, figuram habemus Exo. 17. vbi dicitur, *Cùm eleuaret Moyses manus vincebat Israel.* Vbi tangitur triplex armatura, quæ aduersùs diabolum, hominem reddit potētissimum. Prima est fidei firmitas, quā significat Israel qui interpretatur videns Deū, sc. per fidem, 1. Pet. 5. *Aduersarius vester diabolus tanquā Leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.*

Arma Christiani hominis.

Exo. 17. 11.

1. Pet. 5. 8.

Alia armatura est Sacramentalis, puritas quæ habetur per gratiā, quȩ significatur per Moysē, qui interpretatur sūptus ex aquis, Sup. Baptismi vel pœnitētiæ, quibus purgantur peccata.

Tertia armatura est boni operis assiduitas, quæ manibus designatur. Vbi obserua, quinque manus esse digitos. Primus est pollex, qui à pollicendo dicitur, & signat spem quæ ad superna mentem eleuat. Secundus, index, mortem denotans, qua resilimus à peccato, nobis ante oculos pœna suppliciorū æternorum proposita. Tertius medius, qui est eleemosyna pauperibus collata, vera mediatrice inter nos & Deum. Quartus est medicus, qui ieiunium signat, quo anima conseruatur, caro vincitur, & animæ morbi sanantur. Quintus est auricularius, quia in aure ponitur, & significat orationem quæ ad Domini aures peruenit, easq. ingreditur, vt exaudiamur,

Digiti manus quinque.

Attollamus igitur digitos istos, sicque diaboli victores euademus. Psal. 143. *Qui docet manus meas ad prelium & digitos meos ad bellum.*

Psal.143.1.

Tertiò, nota curæ dispensationem, superiori auctoritate insinuatam, *quia* (inquit) *Pater est*, ad quem potissimùm spectat totius familiæ, id est, Ecclesiæ cura, & dispensatio. Verùm obseruandum est Patrem tria cõnotare, prioritatem, vnitatem & communicabilitatem: Prioritatem quidem, quia Pater est natura prior filio, ius etiam tempore in hominibus, quia sicut præcedit filium ordine naturæ, & temporis, ita etiam debet præcedere exemplo vitę: Vnde debet esse talis, quòd opera eius, sint virtutum exẽpla filijs, propter quod Dominus dixit Iudæis Ioan. 8. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Hoc autem præcipuè cõpetit Patri spirituali, & maximè summo Pontifici, qui omnium Pater est, & ideo debet dare exempla bene viuendi, ita quòd mereatur dicere cuilibet Christiano illud Hier. 3. *Patrẽ vocabis me, & post me ingredi non cessabis.*

Hier.31.9. *Pater tria connotat.* *Ioan.8.39.* *Hier.3.19.*

Item Pater importat vnitatem, quia bene potest vnus Pater plures filios habere, sed non potest vnus filius habere plures patres, scilicet naturales, sicut etiam Ecclesiæ filij vnum tantum habent patrem generalem & spiritualem in terris, scilicet summum Pastorem, quia Christus dixit Iudæis Ioan. 10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus Pastor*: Qui quidem Pastor, est Pastor

Ioan.10.16.

omnium. Vnde dicitur Matth.24. *Vnus eſt Pater veſter.* Et ſicut eſt Paſtor & pater vnus, ita etiam debet filios, id eſt, Chriſtianos ad pacē & concordiam inducere exemplo Chriſti, qui vt filios Dei diſperſos in vnum congregaret mori voluit. Ioan.11.52.

Item Pater importat communicabilitatem, quia per generationem communicat filio ſuū eſſe, & per gubernationem ſua bona, hominibus & omnibus creaturis neceſſaria conferēdo: Sic ſummus Paſtor & Pater ſuum eſſe ſpirituale & ſtudioſum filijs & ſubditis per doctrinam & virtutum exempla communicare debet, & alimenta omniaque neceſſaria pauperibus prouidere, vt ſicut beatus Gregorius illud Iob 29. verè vſurpare poſſit. *Pater eram pauperum.* *Iob 29. 16.*

SECVNDO, in Themate Aſſumpto Numer.27.3. poteſt notari de noſtro ſanctiſſimo Patre defuncto, affectus charitatis, quia *noſter*, ſcilicet propter affectum charitatis erga nos. Ita vt verè dicamus, illud Eſa.63. *Tu enim Pater noſter es*: *Pater* ſcilicet, prælatione, *Noſter*, affectione & etiam humilitatis ſubiectione. Fuit ergo nobis Pater, paternitate prælationis Deuter. 32. *Ipſe eſt Pater tuus qui poſſedit te*, Scil. iure prælaturæ: Et ideo ſi obedire tenemur parentibus carnalibus, multò magis ſummo Patri ſpirituali. Hebr.12.9. *Patres carnis habemus eruditores & obediebamus eis.* Ergo multò magis patribus ſpiritualibus obtemperandum eſt. *Deut. 32. 6.*

Potuit etiam dici noſter, ex humilitatis re-

putatione, quia quamuis esset Dominus, tamen existimabat se seruum seruorum Dei, qui titulus vsurpatur in literis summorum Pontificum, vt se seruos omnium cogitent propter Christum, licet Domini sint Prælatione, iuxta illud Tren. 5. *Serui dominati sunt nostri*, Vnde quidam dixit, erant tibi Roma, olim Domini Dominorum, serui seruorum, nũc dominantur tibi, igitur subditos curent, sicut Domini seruos Marc. 10. *Quicunque voluerit inter vos primus esse, erit omnium seruus*. 1. Cor. *Omniũ seruum me feci*.

Mar. 10. 43.

TERTIO, quoque in Themate assumpto. Num. 27. 3. Notatur corruptibilitatis defect⁹, *quia* (inquit) *mortuus est*. Vbi notandum, quòd sicut medicina de se nõ est appetibilis nisi propter victoriam, sic mors, cùm sit vitæ priuatio, & malum appetitur tantùm, quatenus ad meliorem vitam conducit, hoc est futuram beatam & æternam. Verùm quia piè credendum est, defunctum nostrum Patrem ad illam iamiam transijsse, aut breui transiturum, ideo potest nobis lugentibus dicere illud ad Gal. 2. *Mortuus sum vt Deo viuam*. Quibus quidem verbis nobis de suo statu significat.

Ad Gal. 2. 19.

Primò, quidem ostendit se pertransijsse terminum vitæ temporalis.

Secundò, insinuat se peruenisse ad præmiũ vitæ immortalis.

Circa primum notanda est triplex libertas quam assecutus creditur.

Prima est, à peccato, quia amplius non potest maculari peccato. Anima enim in corpore existens flexibilis est ad bonum & ad malum, & nisi quis confirmetur in gratia, diuino quodam speciali priuilegio, vt diua Virgo Maria, potest peccato infici: Ratio est, quia licet voluntas à carne necessitari non possit, multùm tamen inclinatur ab ea, ob vehementes passiones quæ in nobis oriuntur illisque ad malum impellimur: Hinc D. Paulus dicebat. *Infœlix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum.* 1. Ioan. 1. 8. *Si dixerimus quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.* At verò morte à peccato liber est homo, neque enim amplius flecti potest in malum. Inquit D. August. post mortem bonis voluntas, malis verò facultas non potest esse peccandi: Sic mortui impeccabiles esse censentur. Ideoque mala damnatorum voluntas non culpa est, sed pœna. Noster igitur defunctus Pater Sacramentis optimè instructus, & à peccato purgatus decedens, non dubium est, quin hac libertate à peccato, donatus sit. Rom. 6. *Qui mortuus, iustificatus est à peccato.*

Libertas triplex hominis defuncti.

Rom. 7. 24.

Rom. 6. 7.

Secundò, morte à mundo separatus eius fallacijs, prosperitate, aut aduersitate, ampliùs decipi aut turbari potest, sicut enim in illo naturarum varietas apparet, ita & fortunæ. In elementis diuersæ sunt qualitates, in temporibus vicissitudines variæ, in

hominibus mutationes quamplurimæ ex ætatum & temperamentorum varietate. Sic in ijsdem fortunę mutabilitas manifestissima est, ex prosperitatis & aduersitatis mutatione. Vnde Boëtius 1. lib. de consolatione Philosophiæ, dicebat, *Quid me fœlicem toties iactatis amici? Qui cecidit stabili non erat ille gradu.* Nullus enim ita fœlix quin aliquando multa patiatur aduersa, & cuius animus non sæpissimè perturbationibus agitetur. Hinc Valerius Maximus, ait, nullam esse tantam fœlicitatem, quæ dentes malignitatis euadere possit. Et Boëtius refert humanam fœlicitatem multiplici amaritudine esse conspersam: Verùm his omnibus laboribus & anxietatibus noster defunctus ereptus gaudet & lætatur. Qua ex parte quibusdam mors melior videtur, quàm vita. Tob. 3. *Expedit mihi mori magis, quàm viuere.* Et Eccl. 4. 2. *Laudaui magis mori quàm viuere.*

Tob. 3. 6.

Societas malorum fugienda.

TERTIÒ, quia mortuus, etiam ab improborum consortio est liberatus, malorum enim collegium, nedum subditis sed etiam Prælatis est periculosissimum, subditis quidem, quia est impedimentum salutis, vnde Beato Arsenio quærenti viam salutis voce de cœlo dictũ est. *Arseni fuge homines & saluaberis.* Sicut enim elementa, vbi sese contingunt, alterantur, & corrumpuntur contrarijs qualitatibus in se inuicem agentibus, sicut terra ab aqua humectatur, aër infrigidatur, & ab igne inflammatur: Ita homo malorum consortio cui adhæret, fœdatur & inficitur, imò sicut totum gregem

morbida pecus inficit,& malus aliquis humor totum corpus corrumpit, sic vnus improbus totam congregationem sæpe polluit & contaminat. 1.Cor.5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Hinc D. August. tales è monasterio eijci iubet,ne contagione pestifera plurimos perdant,sicut medicus putridum membrum abscindit ne alia,imò totum corpus destruat. Est etiam periculosum Prælato, malorum habere consortium, ne eorum consilio fallatur,aut malus à subditis habeatur. Vnde Bernardus ad Eugenium,dixit, *Tu ne sanum dixeris dolentem latera, neque bonum innitentem malis.* Prælatus inter malos, si eos corrigere ex officio enitatur, bellum sustinebit implacabile,sin minùs eorum prauitatis & maliciæ particeps fiet: Quibus incommodis morte liberatur,quia si bene moritur, ad Angelorum & sanctissimorum consortium euolat, sancti enim inquit D. Grego. ad Angelorum ordines assumuntur, in cuius signum dicitur, Luc. 16. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur in sinum Abrahæ, per quem intelligitur requies beatorum.

1.Cor.5.6.

Similitudines.

Secundò, in auctoritate citata, ostenditur hic Pater noster defunctus peruenisse ad præmium vitæ immortalitatis, cùm dicit, vt *Deo viuat*: Nam licet sit mortuus mundo, viuit tamen Deo,& quidem vita perpetua, de qua vsurpari illud potest, Rom. 6. *Mors illi vltra non dominabitur,quod enim mortuus est peccato,mortuus est semel,quod autem viuit,viuit Deo.* Estque vita

Ad Gala. 2.19.

Rom.6.9.

gaudijs omnibus & voluptátibus repleta in Dei essentiæ visione, & omnium bonorum
Abac. 3. 18. possessione posita Abac. 3. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Id est gaudeo interiori oblectatione, diuinitatem contemplando, & exteriori, Iesu humanitatem intuendo. Ad quam beatitudinem perducat nos Iesus Christus. Amen.

IN FVNERE VNIVS CARDINALIS.

THEMA.

Vidi Dominum stantem super altare, & dixit: Percute Cardinem, & commoueantur superluminaria.
Amos 9. 1. Amos 9.

IN bello hoc vsu euenire solet, vt si viribus & animo fortiores vincantur, nec resistere hostibus possint, debiliores terreantur & fu-
1. Reg. 31. 7. giant. 1. Reg. 17. videntes Philistei fortissimum Goliath iacentem & mortuum, fugerunt. Ibidē cap. 31. filij Israel audita morte Saül & filiorum eius, relictis ciuitatibus, fugam arripuerunt. At verò constat post summum Pontificē in Romana Ecclesia superiores gradus Cardinales obtinere, Ideoq. aliquo eorū, per mortē honoribus, dignitate, & gloria priuato, nō dubium est quin inferiores Prælati & Præsbiteri

terreantur,& cõmoueri debeant ad mũdi cõtẽptũ, deteſtationẽ & odiũ peccati: Quod innuitur in verbis propoſitis in Them. Vbi Dominus dixit,Sup. morti, *Percute Cardinem*, id eſt, Cardinalem, *Et commoueantur ſuperliminaria*, id eſt, cæteri Prelati. Dicitur ergo in Themate. Vbi Dominum ſtantem &c. Quibus verbis Amos de iſto Domino Cardinale defuncto quatuor deſcribit.

Primò, quidem officium ſanctitatis.

Secundò, ſtatum dignitatis.

Tertiò, obitum humilitatis.

Quartò, exemplum humilitatis.

Circa primum obſerua, Chriſtum Dominum illum eſſe, quem vidit Amos ſtantem ſuper altare, qui in miſſa quotidie ſacrificatur & offertur: Qua in re Cardinalium officium potiſsimùm conſiſtit, atque etiam circa altaris miniſterium deſeruire. Quidam enim eorum ſunt Epiſcopi, quorum tituli ſunt ſeptem. Quidam Præſbyterj: Quidam Diaconi ad miniſterium Domini Papæ deputati. *Cardinaliũ officium.*

Verùm attendite quales debeant eſſe Domini Cardinales, vt dignè miniſterio ſuo fungãtur: hoc Propheta oſtendit Pſal. 25. dicens *Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuerſa mirabilia tua.* Quibus verbis oſtendit illis quinque eſſe neceſſaria, Primò munda ſint eorum opera, ideo dicit, *Lauabo manus meas*, id eſt, mundo *Pſal. 25. 6.* *Cardinales quales eſſe debeant.*

faciam opera mea, Sup. pœnitentia & confessione: Sed ne lepra inficiantur cauendum est,
Esa. 33. 15. hoc est, simoniæ macula, Esa 33. *Qui proiicit auaritiam ex calumnia, excutit manus suas ab omni munere*, subditur, *hic in excelsis habitabit*: Debet igitur sic manus excutere, vt ex acceptis muneribus non fiat simoniacus. Vnde Iob 15. dicitur,
Iob 15. 34. *Quòd ignis deuorabit tabernacula eorum*, id est, animas & corpora eorum qui munera libenter accipiunt. De quibus 1. Reg. 8. 3. *Acceperunt munera & peruerterunt iudicium*. Ideoque faciēdum est sicut dicitur, Iacob. 4. 8. *Emundare manus peccatores, & purificate duplices animo.*

Conuersatio bona. Secundò, necessaria est ministro Ecclesiæ bona conuersatio, quia inter innocentes cōuersari debet, ait Psalmista, quod non fiet, si domesticos & consiliarios habeat auaros, blādientes & adulatores. Astrologi enim planetas ex se beneuolos, ex malorum coniunctione maleuolos effici testantur. Vt Iupiter, si Marti coniungatur, aëris corruptio & bellum significabitur. Si Luna copuletur Saturno, qui propter frigiditatis & tarditatis excessum maleuolus habetur, malefica dicetur & infortunata. Si Ioui, erit fortunata & benefaciens. Idem hominibus contingit, testante Psalmista, cum Sancto Sanctus eris, & cum innocente innocens eris.

Psal. 25. 6. Tertiò, debet virtutibus exornari, quod docet Propheta, quando dicit, *Circumdabo altare tuum Domine*, quod debet intelligi de interiori altari cordis: Alioquin non dignè Christo

ministrabit. Non enim sine ratione qui ministrat altari varijs & pretiosis vestibus induitur: Illæ etenim, habitus diuersos diuersarum virtutum, quibus exornari & circundari debent, significare videntur. Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Hoc est, anima velut Regina quædam & sponsa regis æterni, astitit à dextris tuis, intentione bonorum æternorum, in ornamento bonorum operum, quæ auro charitatis sunt informata & circumdata. *Psal. 44. 11.*

Quartò docet delectari debere non adulatorum vocibus aut vanis cantilenarum sonis, sed diuinæ laudis & officij cantionibus, quibus Deus magnificatur & extollitur, quemadmodum Regius Propheta, dicens, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Psal. 33. *Septies in die tibi laudem dixi Domine* Psal. 118. *Psal. 33. 1.*

Quintò, enarrare debet vniuersa mirabilia Dei, doctrina, eruditione & prædicatione, nã sicut summus Pontifex est vicarius Christi, ita Domini Cardinales vices gerunt Apostolorũ, quorum munus fuit, prædicare Euangelium omni creaturę, de quibus Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, &c.* Dicuntur cœli propter altitudinem dignitatis & conuersationis. ad Philip. 3. 20. *Nostra conuersatio est in cœlis.* *Psal 18. 1.*

SECVNDÒ, in assumpto Themate de isto Domino defuncto status dignitatis describitur, quem in Ecclesia Dei obtinuit, cum Cardinem nominat. Fuit enim Cardinalis Sacro- *Amos. 9. 1.*

Cardinaliũ galerus rubeus. sanctæ Ecclesiæ Romanæ: Cardinalium porrò status non ad pompam & vanitatem in Ecclesia Dei est institutus, sed ad amorem & officium æternæ fœlicitatis, quod ostenditur illo rubeo Galero quo suum caput tegunt. Quid enim ille est Galerus ignei coloris, nisi cor inflammatum & incensum igne amoris diuini? In medio eleuatur & ad latera demittitur, quia charitas eorum feruens eleuari debet, per Dei timorem, & demitti ad dilectionem proximi. De his Deuter. 30. *Si ad Cardines cœli dissipatus fueris, inde retrahet Dominus Deus tuus, & assumet atque introducet in terram quam possederũt Patres tui.* Quibus verbis, tria breuiter de Dominis Cardinalibus describuntur. *Deut. 30. 4.*

Primò, sublimitas dignitatis.

Secundò, humilitas mortis.

Tertiò, fœlicitas beatitudinis.

Cardines terræ. Quoad primum, animaduerte illos hîc vocari Cardines cœli: Quandoquidem alij sunt Cardines cœli, & alij sunt Cardines terræ. Hi sunt Cardinales qui suum omne studium ad terrenas voluptates, diuitias, comparandas referũt. De his. 1. Reg. 2. *Domini enim sunt Cardines terræ, & posuit eos super orbem.* Dicuntur esse Domini, quia licet magni & sublimes, tamen eius potentiæ subijciuntur: Positi sunt super orbem, quia alijs dignitate & gubernatione præsunt: Si ad infima & terrena demergantur, non supra, sed infra orbem, hoc est in gehenna cruciabuntur. *1. Reg. 2. 8.*

Alij ſunt, qui Cardines cœli vocantur qui omne ſtudium, omnem amorem & affectum ad cœleſtia dirigunt, circa hos Deus perambulare dicitur. Nam ſicut de diabolo ſcriptum eſt, Iob. 1. *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Ita è contrario de Deo affirmatur Iob 22. 14. *Circa Cardines cœli perambulat*, hoc eſt, circa Cardinales cœleſtia ſpirantes, perambulat eos dirigendo & perficiendo: protegit, vt maneant: dirigit vt perficiant: perficit vt gaudeant.

Cardines cœli.

Iob. 1. 7.

Secundò, in auctoritate inducta deſcribitur humilitas mortis cuiuſlibet Cardinalis, cùm dicitur, *diſſipatus fueris*. Vbi obſerua, quod quilibet homo dupliciter dicitur diſſipari, vno modo, quantùm ad animam per peccatum, verùm per pœnitentiam reparari poteſt, aliàs non. De impœnitentibus Pſal. 34. 19. *Diſſipati ſunt, nec compuncti.* Hos non dubium eſt periri. Iob 6. 17. *Tempore quo fuerint diſſipati peribunt.* Altero modo diſſipatur homo ſecundùm corpus, per obitum & mortem, vita enim valetudo & pulchritudo diſſipantur, & carnis ſubſtantia in putredinem reſoluitur Eſa. 24. 3. *Diſſipatione, diſſipabitur terra, & direptione prædabitur.*

Deut. 30. 4.

Tertiò in auctoritate allata deſcribit Moyſes beatitudinis fœlicitatem ad quam media morte homo iuſtus perducitur. Porrò obſerua animam iuſti in morte triplici gratia exornari, ſcilicet, eductionis, deductionis & introductionis. Primò educitur à miſerijs

Deut. 30. 4.

Triplex gratia animæ exeuntis è corpore.

corporis, & tribulationum huius sæculi, vnde dicitur *te retrahet*, Sup. à loco dissipationis, quantùm ad animam in morte, & quantùm ad corpus in resurrectione quando ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis. Ergo in homine iusto fit retractio per mortem, à seruitute ad libertatem Rom. 8. *Liberabitur à seruitute corruptionis*, subditur, *in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Contrà in peccatore fit retractio à libertate in seruitutem. Nam qui baptizatur vel pœnitet, dimittitur liber à seruitute diaboli vel peccati, sed perpetrato peccato, fit retractio à libertate in seruitutem. Hier. 34. *Retraxerunt seruos suos & ancillas, quos dimiserunt liberos.* Secunda gratia, quæ fit iusto morienti, est deductionis. Ideo dicit, & assumet, quia quando assumitur ad gloriam, deducitur anima cum honore ab Angelis, tanquam sponsa ad nuptias viri: Sap. *Quæsiui sponsam eam mihi assumere.* De ista Assumptione, Deuter. *Assumet Ebria sitientem.* Ebria est Ecclesia triumphans, quæ inebriatur ab vbertate domus Dei, & assumit ad se animam iusti sitientem Psal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum &c.*

Rom. 8. 21. *Hier. 34. 11.* *Psal. 41. 2.*

Tertia gratia, est introductionis in gaudium Domini sui, vbi est gloria paradisi: Ideoque dicitur, introducet in terram, quam possederunt Patres tui. Patres nostri sunt Apostoli, qui iam possident terram viuentium. Si qui diuiderent hæreditatem aliquam, nullus partem expeteret, vbi cito

morerentur, ſed in loco ſalubri & bene conſtituto, vt Dauid, Pſal. 141. *Portio mea Domine ſit in terra viuentium.* In eiuſmodi terram introducitur anima iuſti poſt mortem, vbi nulla eſt infirmitas, nullus morbus, nulla penuria, nullum omnino malum, imò abundantia omnis boni. Deuter. 8. *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, aquarumque & fontium.* Et poſt, *Vbi abſque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris,* Sequitur, *vt cùm comederis & ſaturatus fueris benedicas Domino Deo tuo, pro terra optima, quam dedit tibi.*

Pſal. 141.7.

Deut. 8.7.

TERTIÒ, in Themate aſſumpto notatur obitus humilitatis, quia dixit, *Percute.* Nulla eſt arbor tam alta, quæ radicibus percuſſa, non proſternatur & humilietur: Ita nullus eſt adeo potens, & magnus, quem mortis ſecuris non deijciat, Matth. 3. *Ecce iam ſecuris ad radicem poſita eſt.*

Amos. 9.1.

Matt. 3.10.

Verùm obſerua, Deum, hominem aliquando leuiter percutere ad correctionem, aliquando fortiter ad occiſionem, aliquando fortiſſimè ad damnationem. De prima percuſſione dicitur Oſeæ 6. *Ipſe percutiet & curabit nos.* Iſta percuſſio eſt aliqua tribulatio vel infirmitas, qua Deus percutit nos, & hoc facit ad curationẽ: Si quis Apoſthemate moleſtetur, percuti debet, & aliquoties cõprimi, non ad mortem, ſed ad curationem: Sic Apoſthema

Oſ. 6.1.

Tribulatio cauſa ſanitatis.

peccati est infirmitas periculosa, quam Dominus premit aliquam immittendo tribulationem, ideoque multi à peccato curati sunt, & in melius vitam commutarunt: Non igitur Deus mortem, sed nostram curationem sibi proponit, ad maioris gloriæ cumulum.

Prou.23. 13. Prouerb. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberasti.* Vnde sicut falce percussum fœnum arescit, sic tribulatio peccati humorem exsiccat. Psal. 101. 5. *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum.* Iob 5. *Vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt.*

Percussio D.i.

Iob 5.18.

Secundò, percutit Dominus fortiter ad occisionem, aliquando morte subita & improuisa 2. Reg. 6. de Oza legitur, quòd iratus est indignatione Dominns contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est iuxta arcam Dei. Morte percussus est, qui irreuerenter arcam Domini tetigit, quæ significabat Ecclesiam: Igitur ampliori & duriori percussione & ira Dei erunt digni, qui res sacras irreuerenter tractauerint, & Ecclesias Dei malè, & indebitè rexerint.

Vel iuxta glosam illa arca corpus Dominicum significabat: Vnde si qui irreuerenter figuram tetigit, immatura morte fuit mulctatus, quantò maiori pœna, qui indignè corpus Christi sumpserit, punietur? Aliquãdo verò percutit Dominus hominem fortissimè ad damnationẽ æternã, vt de Antiocho manifestum

Corporis Christi indigna sumptio.

manifestum est, 2. Machab. 9. 5. & Hierem. 30 *Plaga inimici percußi te castigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua, insanabilis est dolor tuus.* Vbi apertè ostendit Dei iram in damnatum esse implacabilem, eò quod eius culpa, sit inexpiabilis: Verùm iste venerabilis Dominus Cardinalis licet fuerit percussus ad mortem corporis, non tamen ad mortem animæ, sed potius ad salutem & vitam æternã. Iuxta illud numer. 21. *Qui percussus fuerit, & aspexerit, viuet.*

Hier. 30. 14

Numer. 21. 8

Quartò, in assumpto Themate subditur exemplum vtilitatis, *Quia commota sunt superliminaria*, per quæ intelligi possunt Prælati inferiores: Qui videntes tantum virum è viuis excessum, de tam contraria & subita mutatione in admirationem rapi potuerunt, & insuper commoueri horrore mortis, Psal. 47. *Ipsi vidẽtes admirati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.* In quibus verbis tanguntur quatuor effectus qui ex morte huius Domini Cardinalis sequuntur.

Psal. 47. 5.

Ex morte quatuor effectus secuti

Primus est admiratio, nam ex visione & cõsideratione huius possunt adiuuari, qui cum intuentur, omnia, quæ magna in eo habebantur, in nihilum esse redacta, gloriam, potẽtiam, Sapientiam, honores, diuitias &c. Sap. 11. 14. *Commemorati sunt Dominum admirantes in finem exitus.* Scilicet mortis omnia annihilantis.

Secundus effectus est perturbatio, quia cõ-

turbati sunt, scilicet familiares, consanguinei & lugentes amici, propter dilectionis affectũ, qui quantò quis vehementiori amore alium diligit, tantò acerbiori luctu eum deflet quem amittit. Verùm spes melioris vitæ nos debet consolari, quia incipit gaudere, Ioãn. 14. *Si diligeretis me gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.*

Ioan. 14. 28. Et 1. ad Thessalo. 4. 13. *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut cæteri qui spem non habent.* Si doleat quis de bono particulari quo priuatur de morte alterius, consolatur felici exitu viri probi & in Deo morientis. Sicut Beatus Dominicus fratres consolabatur moestos & tristes, non me lugeatis (inquiebat) morientem, quia me vtiliorem habebitis mortuum, quàm viuum. Immoderata igitur, perturbatio manare videtur ex insipientia hominis non rectè viri iusti statum considerantis. Psal 75. *Turbati sunt omnes insipientes corde.*

Psal. 47. 5. Tertius effectus est commotio, ideoque dicitur commoti sunt, scilicet, ad compũctionem, nam perspecta alterius morte, timent sibi ipsis, & ad deflenda peccata incitantur, sic anima eorum sanatur, Psal. 59. Sana contritiones eius, quia commota est.

Quartus effectus est trepidatio, propterea dicit: *Tremor apprehendit eos.* Vbi nota naturam inducere ad mortis horrorem & timorem, fidem verò ad tremorem. Naturaliter omne animal horret & reformidat id quod sui esse est destructurum, atqui mors destruit vitam, ergo & eius esse, est enim, ait Ari-

ſtoteles, viuere viuentibus eſſe.
Vnde de Chriſto dicitur, Marc. 14. *Quòd tempore paſſionis cœpit pauere & tædere.* Nec id tantùm, nam fides etiam docet iudicium ſequi, Hebr. 9. *Statutum eſt omnibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium.* Quod quidem hominem non ſolùm ad timorem inducit, Pſal. 54. 5. *Timor & tremor venerunt ſuper me.* Qui ſi ad pœnitentiam nos moueat conſequemur gratiam, & in futuro ſæculo vitam æternam, ad quam nos perducat Dominus Ieſus.

Marc. 14. 33

Hebr. 9. 27.

AMEN.

IN FVNERE ALICVIUS ARCHIEPISCOPI VEL EPISCOPI.

THEMA.

Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, in his quæ ſunt ad Deum. Hebræ. 5.

Hebr. 5. 1.

SIcut Epiſcopi dignitas, dum viuit multis nominibus eſt honoranda, ita in morte plurimùm reformidanda, ipſe enim aliis præeſt, quos iudicare poteſt, ſed quando moritur à Deo iudicari, & pro ſuis reddere rationem debet.

Dignitas Epiſcopalis formidãda.

Vnde ſimilis videtur hoſpiti, qui quandiu in hoſpitio manet, humaniſſimè tractatur eumque tota familia reueretur.

Quando verò exitum parat, ab eo districta ratio exigitur, & de omnibus perceptis solutio & satisfactio exquiritur. Non desunt viuenti Episcopo multi amici à quibus maxima veneratione & honore afficiatur: Assumptus ad iudicium Dei, pro se & animabus commissis ratio seuerissima à Christo exigitur: Hoc est, quod innuitur verbis in Themate propositis. In quibus de defuncto Pontifice tria describuntur.

Primò, eius venerabile munus & officium.

Secundò, ineuitabilis exitus illius.

Tertiò, eius formidabile iudicium.

Circa primum, dico eius munus & officiū quo viuens functus est, sacrum & honorabile fuisse, quia Pontifex. Est enim Episcopus, medius inter Deum & homines, ideoque Deo debet & populo. Hinc quidem vt indigentibus misericorditer subuenire studeat, & gregē sibi commissum fideliter custodire noscat & curet. Deo vero deuotionem & feruentem ad eius præcepta intentionem debet. De his omnibus dicit Apostolus, Hebræ. 2. Loquendo de Christo, cuius præcipuè Pontifices & Pastores imitatores esse debent, aut: *Debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.*

Episcopus honorādus.

Heb. 2. 17.

In quibus verbis quinque tanguntur.

Primò, ostenditur qualis debeat esse Episcopus in communi conuersatione.

Secundò, qualis esse debeat, in miserorum subuentione.

Episcopus qualis esse debeat.

Tertiò, qualis esse debeat, in commissorum conseruatione.

Quartò, qualis debeat esse, in gregis sui deductione.

Quintò, qualis esse debeat in Dei veneratione.

Circa primum, Episcopus, eos omnes quibus præest, siue clericos siue laicos, exemplo Christi non seruos sed fratres reputare debet: Hebræ. 2. *Non confunditur fratres vocare eos, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* De Christo loquitur, & Christianis, quos ad imitationem Christi, Pastor Ecclesiasticus omnes ex charitate inducere debet: Et quia maior ex D. Dionysio, amantem rei amatæ assimilat. Vnde ait Hugo à Sancto Victore: Scio anima mea, quia in illius rei, quam diligis, similitudinem transformaris: Idirco ait Pontificem debere per omnia fratribus assimilari. Idque facit, quando cum omnibus honestè se gerit & versatur, illisque prodest: Est enim Episcopus persona communis, cuius est illa quæ ad omnium vtilitatem & commodum spectant procurare, quemadmodum diuus Paulus, 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes saluos facerem.* Vbi dicit glosa, quòd prudens & diuinus Apostolus, ita omnibus cessit, quòd formam veræ honestatis nunquam excessit. 1. Cor. 10. Dicebat idem Apostolus, *Sine offensione estote, & post, sicut ego per omnia omnibus placeo, nō quærēs quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiāt.* Vel per fratres defuncti sancti Pontifices intel-

Hebr. 2. 11.

1. Cor. 9. 22.

1. Cor. 10. 32.

ligi debent, quibus in omnibus debet assimilari, vt eis associetur in gloria. Eccl. *Similem illum fecit in gloria sanctorum.*

Secundò ostenditur, qualis debeat esse episcopus in miserorum compassione, & subuentione, *quia misericors*: Misericors enim dicitur quasi miserum cor habens, scilicet per compassionem afflictorum: Vel misericors dicitur, qui ex corde miseretur, id est magno affectu indigentibus subuenit. Sed quid de illis dicemus qui sua non largiuntur pauperibus sed parentibus vt diuites & magni fiant? hi caueant ne eis dicat Deus Esa. 3. *Rapina pauperum in domo vestra.* Hieronimi ratio est, *quia* (inquit) *bona Ecclesiastica pauperum sunt.* Quæ tamen etiam in cultum diuinum & in necessitates ministrorum expendenda sunt: ideoque si de eo quod vsui deputatum est, sibi aliquid detrahere velit & consanguin eis tradere, episcopus aut clericus non peccat: dummodo illud temperatè faciat, id est, vt non indigeant, non autem vt ditiores fiant. Vnde ait Ambrosius, in lib. de officijs. *Est approbanda liberalitas vt proximos seminis tui ne despicias, si egere cognoscas:* Non tamen vt illi diuites se velint esse, ex eo quod tu conferre potes inopibus.

Misericordia episcopi.

Esa. 3. 13.

Sed quid rursus dicemus de illis, qui pauperibus & indigentibus subtrahunt vt thesaurum possint cumulare, vel possessiones suas augere? Certè dicit sc. Thomas de Aquino, quòd bona Ecclesiæ vsibus pauperum deseruire debent, & ideo si quis necessitate non immi-

Bona Ecclesiæ quomodo distribuenda.

nente prouidendi pauperibus, de his qui ſuperfluunt, ex prouentibus Eccleſiæ poſſeſſiones emat, vel in theſauro reponat vt in futurum pauperibus conſulat, laudabiliter facit.

Si verò neceſſitas immineat pauperibus erogandi, cura inutilis & ſuperflua eſt, in futurum bona conſeruare, Matth. 6. *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum*, id eſt in futurum: ſequatur igitur epiſcopus conſilium Tobiæ 4. *Quomodo potueris ita eſto miſericors.* *Math. 6. 25.* *Tob. 4. 8.*

Tertiò oſtenditur etiam qualis debeat eſſe epiſcopus, in commiſſorum conſeruatione vel etiam diſpenſatione, quia ſcilicet debet eſſe fidelis, vt plus curet ſalutem animarum, quàm acquiſitionem pecuniarum. Dixit enim Dominus Petro, *Paſce oues meas*, non dixit, tunde oues meas: vnde qui aliter facit, infidelis cenſendus eſt, Prouerb. 12. *Qui fideliter agunt placent ei Deo.*

Eſt etiam epiſcopis commiſſa, bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatio non ſpiritualium ſolùm, ſed etiam temporalium. *Hic ergo*, vt ait Apoſtolus 1. Cor. 4. *Iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* De propriis verò bonis, quæ epiſcopi poſſident, & de Eccleſiaſticis aliter iudicandũ eſt. Propriorum enim bonorum verum dominum hanebt, vnde non obligantur alijs elargi, ſed poſſunt ſibi retinere: in qua conſeruatione inordinatè agent, ſi ſibi plura conſeruent, quàm oporteat, vel ſi alijs ex *Pro. 12. 23.* *1. cor. 4. 2.*

debito charitatis pauperibus non succurrant: Nec propterea ad restitutionem tenentur, eo quòd illarũ rerum sint verissimi Domini: Bonorum verò Ecclesiasticorum Episcopi sunt tantùm dispensatores. Ait enim D. August. ad Bonifacium. *Si priuatum poßideamus, quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed illorum, quorum procurationem gerimus non proprietatem nobis damnabili dispensatione vindicemus.* Ad dispensationẽ autem requiritur bona fides, Luc. 12. *Quis putas fidelis est dispensator.* Bona autem Ecclesiasti-
Luc. 12. 42. ca, ad diuersos vsus debent dispensari. Vnde dicitur 12. q. 2. *De redditibus Ecclesiæ vel oblatione fidelium sola Episcopo ex his vna portio remittatur, Duæ Ecclesiasticis fabricis & erogationi pauperũ à Presbitero, sub periculo sui ordinis ministrentur, vltima clericis pro singulorum meritis diuidatur.* Si ergo distincta sint bona, quæ debent vsui Episcopi cedere, ab his, quæ sunt pauperibus & ministris & cultui Ecclesię eroganda: & Episcopus sibi aliquid retinuerit de his, quæ sunt pauperibus eroganda, vel in vsus ministrorum, aut cultum diuinum expendenda, non est dubium quin contra fidem dispensationis agat, mortaliter peccet & ad restitutionem teneatur: Si verò illa bona non sunt distincta, eorum distributio fidei eius cõmittitur. Quod si in modico deficiat vel excedat, fiet absque fidei detrimento, cùm præcisè haud fieri possit, quod agendum est: Si multùm excedat, bonæ fidei videtur repugnare, ideoque peccat. Debet ergo ita fideliter & prudenter dispensare, vt pos-

ſit de eo illud vſurpari, Matth. 24. *Fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Matth. 24.

Quartò oſtenditur qualis debeat eſſe Epiſcopus in ſui gregis deductione, *quia debet eſſe* Pontifex, id eſt Pontem ei faciens, ad tranſeũdum per hanc vallem lachrymarum, à bonis præſentibus ad bona futura, Heb. 9. *Aſsiſtens Pontifex futurorum bonorum.* Debet enim Deo aſſiſtere, pro grege ſuo, orationes fundendo, & ſacrificium ſingulis diebus offerendo: Debet etiam eſſe Pontifex futurorum bonorum, exẽplum, benè & rectè viuendi exhibendo. Põtifex quid Hebr. 9. 11.

Quintò, oſtenditur qualiter Epiſcopus habere ſe debeat ad Deum hoc eſt comparet ſibi deuotionem, humilitatem, Dei amorem, diuinorum contemplationem: Atque Dei & Eccleſiæ præceptorum obedientiam, potius quã hominum vanitatem amplectatur & colat, omneſque intẽtiones, curas & vigilias ad Chriſtum & hominum ſalutem dirigat, eique frequentiùs oratione & rerum cœleſtium meditatione aſſiſtat, vt cum Pſalmiſta dicere poſſit, Pſal. 72. *Mihi adhærere Deo bonum eſt.*

Secundò, oſtenditur in Themate aſſumpto, ineuitabilis exitus mortis, per quã, ex hominibus aſſumptus eſt, ad aliam vitam: Separat enim mors ab hominibus hîc viuentibus, ita vt iucundiſſimo aſpectu Patris, Matris, filiorum, fratrum, amicorum & parentum amplius gaudere non valeat: Ecce qui domeſticis, ſeruis, Ancillis, miniſtris abundabat. Hebr. 5. 1.

Daniel.4.29 Iam his omnibus caret, nemoque inuenitur qui illi ministrare hîc velit, Daniel 29. *Eijcient te ab hominibus.*

Item mors assumit, id est, aliud sumit, Sup. *Deut 32.11.* ad alium statum. Est ergo mors sicut Aquila, de qua dicitur, Deutero. 32. *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eos.*

In quibus verbis describuntur quinque de morte.

Primum est, ipsius officium.

Secundum est, ipsius beneficium.

Tertium, ipsius iudicium.

Quartum, ipsius instrumentum.

Quintum est, morientum premium.

Mors similis Aquilæ. Assimilatur mors aquilæ, propter duo, Primò, quia officium mortis est educere vinctum è carcere, id est, spiritum de corpore. Quem *Mortem sācti expetunt* exitum sancti vehementer exoptant, sicut Dauid, qui sic Deum orabat: *Educ de custodia animam meam.* Et D. Paulus ad Philip. 1. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* *ad Philipp. 1. 23.* Mali è cōtrario illum reformidant, ne ad supplicium deducantur, velut Ioab, qui nolebat egredi tabernaculo, ne occideretur 3. Reg. 2. Hoc officium mortis in aquila representatur, de qua Ezech. 17.3. *quæ volauit ad Cedrum & tulit medullam Cedri*: Altitudo Cedrorum, est superemi- *3.Reg.2 46.* nens ordinis Episcoporum dignitas, Ezech. 31. 8. *Cedri non fuerunt altiores eo*, Sup. Episcoporū ordine. *Medulla latens interiùs.* Grandis verò aquila est mors, quæ tantæ magnitudinis & po-

tentiæ eſt, vt nullus ei poſſit reſiſtere, & aquilæ volatus eſt inopinatus mortis euentus. Modo ergo aquila volauit ad Cedrum, quando noſtrum inuaſit Epiſcopum & medullam eius tulit, quia ipſius animam è corpore eduxit. Ezech. 17. ait mors: *Sumam ego de medulla Cedri ſublimis.* Dicit de medulla, quia anima non eſt ſeparabilis à corpore, niſi ſecundùm partem intellectiuam, vnde colligitur eius immortalitas, quia aliæ potentiæ, quæ eius partes potentiales dicuntur, vt ſenſitiuum & vegetatiuum, non remanent actu in anima ſeparata, ſed virtualiter tantùm, non ſicut intellectus, qui nullius partis corporis eſt actus. *Ezech. 17. 22.*

SECVNDÒ, ſub ſimilitudine aquilæ tangitur beneficium mortis, quia prouocat ad volandum pullos ſuos. Pulli mortis dicuntur peccatores, qui ſunt filij mortis, ſiue mortis temporalis, ſiue æternæ, quia vtraque propter peccatū introducta eſt, *Vnde anima quæ peccauerit ipſa morietur* Ezech. 18. Et ſtipendia peccati mors. Volatus pullorum, eſt velox cōuerſio peccatorum, ergo aquila, id eſt mors, per ſui cōſideratione & terrorē prouocat pullos ſuos, id eſt homines peccatores ad volandū, hoc eſt, vt velociter conuertātur, & non differant, quia tēpus eius aduentus incertus eſt. Eccl. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* *Mortis pulli peccatores.* *Ezech. 18. 4.* *Eccl. 5. 8.* *Conuerſio nō differēda*

Stolida auis vidēs arcū paratum ad emittēdū ſagittā, differt volatū quouſq. percutiatur, & occidatur. Ita peccator Deum perſpiciens

manibus arcum paratum & vibrandam sagittã tenere, à peccatis ad pœnitentiam velocissimè auolare debet, ne fortè telo mortis percutiatur, & in inferno sepeliatur, Apoc. 12. 14. *Datæ sunt mulieri*, id est, animæ nostræ, *Duæ alæ*. timor mortis, & tremor gehennæ, vt volaret in desertum, id est, ad pœnitentiam.

Apo. 12. 14.

Sed cogitationes stultorum, & vana somnia, eis longa vitæ spatia promittunt ne ad pœnitentiam prouocentur. Tren. 2. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.* De his qui velociter conuertuntur, Esa. 16. *Erit sicut auis fugiens, & sicut pulli de nido auolantes.*

Tren. 2. 14.

Esa. 16. 2.

Tertiò in prędicta figura aquilæ, tãgitur mortis iudicium, cũ dicitur, *super eos volitans*. Quãdo miluus diu volitat super locũ, vbi sunt pulli gallinarum, signum est, aliquem arripere velle, quis sit ignoratur, quousque rapuerit. Idẽ mors præstat, circa nos perpetuò volitat, sed nescitur quis primus sit rapiendus iuuenis an senex, diues an pauper, nisi dum moritur. Verùm timore perterriti ad matrem fugiunt, quæ suis alis eos protegit: sic peccatores ad pœnitentiam confugere debent, tanquam ad matrẽ charissimam, & portum tutissimum.

Aquila cõparatur morti.

Vel mater seu gallina est Ecclesia, eius alæ sunt Sacramenta, ad quas debent pulli se conferre, hoc est filij quando timent Diabolum & mortem obstinati aliud agunt de quibus Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos & no-*

Matth. 23. 7.

luisti. Ergo timenda est mors, cùm quotidie super nos volitet, vt aliquem rapiat, & non sit qui eripiat.

Quartò, tanguntur instrumenta mortis, quæ sunt valentia, & naturæ defectus, *quia expandit alas suas.*

Duæ sunt alæ mortis, siue duo modi moriẽdi, vnus naturalis, alter violentus. Violentũ dicitur, secundum Aristotelem, cuius principium est extraneum, inferens vim passo: Quælibet istarum alarum constat multis pennis, id est, habet multas causas, variosque modos, qui ad omnes extenduntur mortales, Esa. 8. 8. *Erit extensio alarum eius, implens latitudinem terræ.* Iob 29. *Plumescit accipiter extendens alas suas ad Austrum.* *Mortis duæ alæ siue duo modi moriendi.* *Iob. 29. 29.* *Mors per accipitrem significata.*

Accipiter qui rapit aues, signat mortem homines rapientem, plumescit quãdo homo canescit & senescit, vel quando ægrotare incipit: Sed alas expandit, quando hominem extinguit, siue naturali morte, siue violenta. Fit ad Austrum ista expansio, quo Dei iudiciũ significatur, *quia Deus ab Austro veniet.* Abac 3. Expandit igitur mors alas ad Austrum, quia ducit omnes ad iudicium diuinum: *Statutum enim est omnibus semel mori post hoc autem iudicium.* Hebræ 9. 27. *Aba. 3 3.* *Hebræ. 9. 27*

Perpetrato aliquo facinore aliquando multi rapiuntur in carcerem, qui tamen postea innocentes inueniũtur, & vt tales cum honore liberantur. Ita mors rapit omnes & sepulchris includit: Qui innocentes apparebunt, & om-

nino purgati ad gloriam cœlestẽ libertate donabuntur, mali verò in ignem æternum mittentur. Matth. 24. 40. *Duo erant in agro*, scilicet huius mundi. *Vnus assumetur* scilicet ad gloriã, *& vnus relinquetur*, scilicet ad pœnam.

Hebra. 5. 1. Tertiò ostẽditur in Themate assumpto, quòd iste Pontifex defunctus, peruenit ad formidabile iudicium, Sup. Dei, vbi post mortem omnis defunctus constituitur, vt reddat rationem de omnibus operibus suis, Episcopus quidem, de his quæ ad curam animarum spectant. Tria illa sũt potissima. Primò requiritur quomodo intrauerunt, Sup. ad Ecclesiasticam dignitatem & curam animarũ, Simoniacè an Canonicè. Dicetur illi, qui non Canonicè intrauerit, illud Matth. 22. *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Et cùm ille obmutuerit dicet Rex ministris, ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.*

Ratio reddenda ab Episcopo in die iudicij.

Matth. 22.

Secundò examinabuntur Episcopi, quomodo gregem suum custodierint, dicetque vnicuique eorum supremus iudex. *Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclitum tuum?* Tunc de malis Pastoribus implebitur illud, Ezech. 34. 2. *Væ Pastoribus Israel qui pascebant semetipsos, nonne greges, à Pastoribus pascuntur? Quod infirmum fuit nõ consolidastis, quod ægrotum non sanastis, Quod confractum est non alligastis, quod abiectum est, non reduxistis*: Vers. 4 eiusdem cap.

Hier. 13. 20.

Tertiò, examinabuntur quomodo se & alios rexerunt, ideoque sibi prouideant, & cũ

Ezech 34. 2.

Abac. 2. dicant, *Contemplabor vt videam quid dicatur mihi, & quid respondeã ad arguentem me.* Iste arguens erit Christus de quo Act. 10. *Constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Fœlix ergo erit Episcopus si fidelis dispensator & prudens fuerit. Luc. 12. 44. *Verè* (inquit Christus) *Dico vobis, quia super omnia mea bona constituam eum.* Scilicet in vita æterna. Ad quam nos perducat Rex omnipotẽs Deus qui viuit per omnia sæcula sęculorum.

Abac. 2. 1.

Act. 10. 42.

AMEN.

IN FVNERE ALICVIVS PRÆPOSITI.

THEMA.

Percussit Dominus plebem, plaga magna. 1. Reg. 6.

1. Reg. 6. 19.

SIquis ense alteri caput putaret, magno ictu & ingenti plaga percussus diceretur, hinc plebi seu Ecclesiæ idem hodierna die contingit, hæc enim quoddam corpus est, singulis cõstat tanquam membris, caput eius est hic defunctus præpositus: Sed heu ense suo mors populo caput abstulit, virum probum summæ prudentiæ, & integerrimæ vitæ, sanum & omni virtutum genere præditum: Propterea verè percussit Dominus plebem suam plaga magna: Quibus verbis tria describuntur,

Percussio magna quãdo bonus præpositus obit.

Primò, præmittitur aliquid, quod inducit ad patientiam,

Secundò, ponitur aliquid, quod exigit prouidentiam.

Tertiò, subditur aliquid, quod prouocat ad tristitiam.

Circa primum, percussio hæc à Domino est, non ab homine, ideo patienter ferenda: Nam aliter Deus malos, aliter bonos percutit: Malos ad correctionem, sicut Chirurgus vlcus infirmi, ad sanandum, & hoc est misericordiæ, Esa. 19. *Percutiet Dominus Ægyptum*, id est peccatorem, *& sanabit eam, & reuertentur Ægyptij ad Dominum, & placabitur eis.* Vel ad damnationem, sicut iudex percutit & occidit malefactorem. Tren. 3. *Percussisti nos, occidisti, nec pepercisti*: quod de damnatis explicari solet.

Percussio, cur à Deo.

Esa. 19. 22.

Tren 3. 43.

Signum autem quòd percussio præsens sit initium damnationis æternæ, est quando nulla inde sequitur emendatio, Hierem. 2. *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* Boni autem viri non percutiuntur odio sed amore, vt cum filius castigatur à Patre, *quia meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Prouerb. 27. Percutit igitur Deus probos non ad interitum, sed ad virtutis profectum, vt miles dum calcaribus vrget equum, quem amat.

Hiere. 2. 30.

Pro. 27. 6.

Quia igitur hęc percussio quam patimur ob mortem Patris nostri defuncti, Dei amore erga nos est illata, & vt illi vitam largiretur meliorem, patienter ferenda est. Ad quod referri

illa

illa verba possunt. Iudith. 9. *Percuties eum ex labijs charitatis meæ.* *Iudith.9.10*

In quibus verbis triplex innuitur ratio, cur æquo animo mortem huius præpositi nostri ferre debeamus. Prima, quia à Deo est, vnde dicitur *Percuties*. Sup. tu Deus. Secunda, quia eum percussit: *Granum enim nisi sit trituratum, percussum, & à paleis erutum, non ad horreum defertur.* Ideoque placuit Deo, vt hic noster charissimus Pater è vita decederet, vt in cœlis eius remuneraret labores & merita: Lætemur igitur nec doleamus, Ioan. 14. *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.* Quia est etiam potius expetendum bonum amici, quàm damnum illius. Prouerb. 12. *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est.* Omnes itaque amici eius, parentes & consanguinei animæ illius congratulari debent. Luc. 1. *Vicini & cognati eius, congratulamini ei, quia magnificauit Dominus facere misericordiam suam, cum illa.*

Mors præpositi patienter ferenda.

Patientia.

Ioan.14.28.

Luc.1.58.

Tertia ratio petitur ex parte nostri, id est cuiuslibet nostrum, & ideo dicit *ex labijs charitatis*. Duplex est charitatis præceptum, vnū de dilectione Dei, & hoc est labium superius, alterum de dilectione proximi, quòd est labium inferius. Vtraque igitur dilectio ad patientiam nos inducit. Vnde patientia habenda est, propter charitatem. Charitas enim Dei, amicitia est quædam ad Deum. Amicorum autem est idem velle & nolle in rebus honestis, ait Tullius. Cùm ergo Deus voluerit

Charitas duplex.

nos hoc charissimo Patre priuare, dissentiremus à Deo, si illius mortem ægrè molesteque ferremus.

1.Cor.13.8. Idem nobis charitas proximi suadet, hæc desinere non debet, 1.Cor.13. *Charitas nunquam excidit*, Ideoque etiam post mortem eius animæ bona vehementer exoptare debemus & tenemur: propter quæ non dubium est, quin Deus eum à nobis subtraxerit, igitur patientes simus necesse est. 1. Cor.13. *Charitas patiens est*, id est ad patientiam inducit. 1.Cor. 13. 4.

1.Reg. 6.19. SECVNDÒ, in Themate assumpto ponitur aliquid quod exigit prouidentiam, scilicet, ex parte plebis, in eo quòd nominat plebem, quia sublato Pastore, de successore cogitandum est, qui sit tantæ virtutis & bonæ vitæ, vt de illo vsurpari possit illud Ecclesi. 30. *Mortuus est Pater eius, & quasi non est mortuus, reliquit enim similem sibi.* Imò si fieri poterit etiam meliorē. Qualis autem præpositus sit huic plebi necessarius ostenditur Ecclesi. 37. vbi dicitur, *est sapiens animæ suæ, & fructus sensus illius laudabiles sunt, Vir sapiens plebem suam erudit, & animæ suę suauis est.* Eccl.30.4. Eccl. 37.25.

Præpositus quatuor habere debet. Quibus verbis quatuor continentur, quæ maximè necessaria sũt in huius plebis rectore.

Primò, vt sit homo bonæ & ordinatæ conscientiæ.

Secundò, vt sit homo laudabilis vitæ.

Tertiò, vt sit homo sufficientis scientiæ.

Quartò, vt sit homo sanæ & fructuosæ scientiæ.

Ait Philoſophus ſapientis eſſe ordinare, ideoque eſt ſapiens animæ ſuæ, qui ſcit animã ſuam, debitè ordinare per conſcientiæ puritatem, obedientiæ humilitatem, & iuſtitię æquitatem. Tunc anima in ſeipſa eſt bene ordinata, quando morſus peccati non eam affligit, à quo libera eſt: Nam vbi eſt peccatum, ſemper eſt aliquid inordinatum. Ait enim D. Auguſt. *Peccatum non eſt natura, ſed vitium naturę appetentis illud, quod non eſt ſui ordinis*: Et ideo non eſt pax in anima, quia nõ eſt ibi debitus ordo, Tunc enim eſt pax & trãquillitas ſumma, quãdo vnumquodque ſuo ordine collocatur. Sicut quando ratio & voluntas, legi Dei ſubijciuntur, cæteræque inferiores animæ vires, rationi. Hinc ait D. Gregor. Nazianſ. quòd prima ſapientia eſt vita laudabilis, & apud Deum pura mens, per quam puri puro coniũguntur, & ſancti ſancto ſociantur. At verò quia mens fit pura per confeſſionem peccatorum, ille eſt ſapiens animæ ſuæ, qui integrè peccata ſua confitetur. Iob 15. *Sapientes confitentur, & non abſcondunt peccata ſua.* Etiam pertinet ad ſapientem, vt poſt confeſſionem à peccatis abſtineat, ne nouiſſima fiant deteriora prioribus. Eccl. 3. *Cor ſapiens & intelligibile abſtinebit ſe à peccatis.*

Sapiens animæ ſuæ, quis.

Sapientia vera.

Iob 15.18.

Eccl. 3.32.

Item qui eſt ſapiens animæ ſuę, ordinat eam ad Deum, per obedientię humilitatem, quemadmodum ita hominem inſtituit, vt ipſo obediente Deo & eius præceptis, animalia cætera & inferiores creaturæ ei ſubijcerentur & ob-

Obedientia temperarent. Ita illo rebellante legi diuinæ, creaturæ illi rebelles factæ sunt. Accidit sæpe vt malè viuentibus prælatis suscitet Deus aduersarios & hostes, perspicuum est in Salomone, qui quamdiu Deo obediens fuit, & bene vixit, ei Deus pacem cum omnibus dedit, cōtemptis verò Dei ab illo præceptis, quamplurimos aduersus eum suscitauit hostes, sicut habetur 3. Reg. 11. Si igitur Sapiens Prælatus plebem obedientem experierit & humilem, Deo sit obediens & humilis Exod. 35. *Quis vestrum sapiens est, veniat, & faciat quod Dominus imperauit.* Matth. 7. 24. *Qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti.*

Exo. 35. 10.

Iustitia quid. Item qui est sapiens animę suæ, ordinat eam ad proximum per iustitiæ æquitatem. Iustitia enim, vt ait Tullius, *Est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Id pręstare debet Prælatus, & nō aliena rapere, gratis enim subditus à Prælato sacramenta excipere debet nō pretio, itē verbis & exēplis instrui. Quod qui non agit, lædit animam suam nec sapiens appellari potest, contra illud Prouer. 23. *Esto sapiens, & dilige animam tuam.*

1. Reg. 6. 19. Secundum, quod ostenditur in auctoritate inducta esse necessarium in Rectore plebis, est vt sit vitæ laudabilis, & de tali subdit, quòd fructus sensus illius laudabiles sunt. Sicut arbor mala & bona, ita sensus hominis, malus & bonus est. Et sic ex arbore mala, fructus malus prodit, quia non potest arbor mala fructus bonos facere: Ita & ex homine malo, opus

malum prodit, Et vt arbor bona, facit fructus bonos, sic sensus bonus, opera bona. Est ergo sensus malus, à quo fructus minimè laudabiles procedunt. Id est mala opera. De hoc Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant illa quæ non conueniunt*, id est vitiosa opera. Fructus igitur arborum minimè laudabiles sunt, insipidi, amari, frigidi, crudi, duri, corrupti & putridi. Insipidi referuntur ad pigros, qui non agunt spiritualia cum sapore delectationis, sed cum tristitia cordis, habent enim infectum palatum cordis febre iniquitatis. Prouerb. 15. *In fructibus impij conturbatio.*

Rom. 1. 28.

Pigritia.

Prou. 15. 7.

E contrario fructus laudabiles, sunt fructus sapidi, id est, actiones bonæ quæ fiunt cum suauitate deuotionis, & cum dulcedine & sapore delectationis spiritualis. Cant. 2. *Fructus illius dulces gutturi meo.*

Fructus autem amari referuntur ad inuidos, quia in inuidis est zelus amarus de quo Iacob 3. *Quòd si zelum amarum habetis inter vos*: Vnde Iudæi qui Christum ex inuidia tradiderunt, felle amaritudinis potauerunt eum. Sed è contrario vir Sanctus qui proximo nõ inuidet, fructus generat suaues & vtiles, id est opera vtilia, grata & laudabilia, Eccl. *Initium dulcoris habet fructus illius*, Sup. Qui initiatur dulcedine charitatis.

Iac. 3. 14.

Fructus autem acetosi ad iracundos referũtur. quia ira cor pungit, & alios pungere facit. Fructus verò laudabiles, sunt mãsuetorũ id est,

Iracundia.

qui non ex iracundia sed in suauitate mansuetudinis opera sua perficiunt. Isti sunt vt ficus quæ non producunt ficus asperos, sed mites & suauissimos. Iudic. 9. *Dixit ficus ad arbores. Nũquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos?* Fructus autem indigesti, referuntur ad gulosos, quia vt plurimum indigestio, promanat ex superfluitate ciborum, cuius causa esse solet, gulæ appetitus. Item cibus indigestus est impurus, quia per digestionem humoris purum ab impuro separatur, & gulę satietas immunditiam & impuritatem generat. E contra fructus mundos & laudabiles facit temperantia & abstinentia quæ valet ad immunditiam peccatorum animę & corporis purgandam. Mich. 6. *Dabo fructum ventris mei, pro peccato animæ meæ.* Fructus autẽ frigidi & crudi referuntur ad auaritiam, quæ extinguens, calorem charitatis in anima, & frigidam eam reddit, in amore tam Dei quàm proximi. Vnde dicitur, 1. Ioan. 2. *Qui diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Et ideo D. August. ait, *Quod rerum temporalium cupiditas est charitatis venenum, augmentum verò eius, cupiditatis diminutio, perfectio verò, nulla cupiditas.*

Iud. 9. 11. *Gula.* *Mich. 6. 7.* *Auaritia.* *1. Ioan. 2. 15.*

Facit etiam auaritia fructus crudos & acerbos, quia auari sunt alijs crudeles & asperi, & inhumani in pauperes. Crudi fructus malos humores generant & nutriunt, & gustus corrumpunt, præcipuéque pueris & debilibus nocent. Auaritia etiam affectiones & desideria noxia gignit & alit. 1. ad Timoth. 6. *Qui*

volunt diuites fieri incidunt in tentationes & in laqueũ diaboli, & in desideria multa & inutilia &c. 1. ad Timo.

Item appetitus auaritiæ corrumpit gustum animę, vt illi spiritualia insipida videantur, & terrena tantùm sapiat. ad Collo. 3. *Quæ sursum sunt sapite non quæ super terram.* Ad Coll. 3. 2.

Item debilibus & imperfectis maximè nocent temporalium occupationes, quas auaritia multiplicat. De talibus ergo fructibus id est operibus auarorum dicitur Sap. 4. *Fructus illorum inutiles & acerbi.* Sed contra fructus laudabiles, sunt fructus liberalitatis & pietatis. Sap. 4. 5.

Fructus autem duri referuntur ad superbos, quorum corda propter defectum pietatis & gratiæ sũt arida & dura, eis enim sub typo mõtium dicitur. 2. Reg. 1. *Nec ros nec pluuia veniat super vos.* Et ideo sunt fructus humilium. Laudabiles sunt, Eccl. 24. *Flores mei fructus honoris.* Flores sunt cogitationes humiles, sed fructus humilium, opera sunt ad quę sequitur exaltatio honoris, quia qui se humiliat exaltabitur. *Superbia.* 2. Reg. 1. *Humilitas.*

Fructus corrupti & putridi sunt peccata luxuriæ, quæ propter sui turpitudinem, erubescentiam & confusionem inducunt Hierem. 12. *Confundimini à fructibus vestris.* Fructus verò continentiæ & castitatis, sunt fructus laudabiles propter quos dicitur Malach. 3. *Non corrũpet,* Sup. Luxuria, *Fructus terræ vestræ,* id est corporis vestri. Isti ergo fructus laudabiles, hominis verò sensati, propterea dicitur alibi, fructus sęnsus illius fideles. *Luxuria.* Hier. 12. Malac. 3.

Tertiò, requiritur in rectore vt sit sufficiẽs *Scientia in Rectore.*

in eo scientia seu literatura, literáti enim vulgò dicuntur sapientes: Toleratur tamen in præfecto non eminens sed mediocris scientia, vt quis habeat aquam, eat ad fontem necesse est, ita si clericus vel curatus aqua indigeat sapientiæ, ad fontem hoc est ad scripturã sacram eundum est, ex ea enim omnia hauriũtur flumina. Sicut viator calore & siti confectus, ad fontẽ accedens auidè bibit, vt sitis eius extinguatur & refrigeretur: Ita maxima auiditate, ad studiũ diuinę scripturę sese clericus applicare debet, vt aqua salutaris sapientię potetur, Eccl. *Aqua sapientiæ salutaris potabit eum.* Cuius aquæ fons est scriptura sacra: De quo Damascenus, si erimus affectuosè discentes, erimus multa discentes Eccl. 26. *Sicut viator sitiens ad fontem os aperiet.*

Similitudo.

Eccl. 26. 15.

Sed conqueritur scriptura de clericis, qui nescio quibus alijs studijs vanis & scientijs inuigilant, melioraque contemnunt, Hier. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dißipatas, quæ continere non valent aquas*, Sup. salutares.

Studia vana clericorum.

Sed qua ratione, quis de fonte scripturarum, aquam sapientię haurire queat, docetur figuratè Numer. 20. Vbi legitur, quòd populus ad terram promissionis proficiscens, nimio calore & labore in deserto sitiens, *Moyses & Aaron rogauerunt Dominum dicentes, Domine aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ*: Tuncque de mandato Domini percussit virga bis silicem & scaturiuit fons, vt abũdãter

Numer. 20. 6.

Scriptura fons aquæ viuæ.

biberet populus & iumenta. Hic populus figurat Christianos tendētes ad terram promissionis vitæ æternæ, quæ est terra viuentium, quàm repromisit Deus diligentibus se: indiget aqua sapientiæ ad extinguendum sitim, & subleuandos labores, ad quam impetrandam orationes iustorum plurimùm valent Sap. 7. *Sap. 7. 7.* *Inuocaui & venit in me spiritus Sapientię.* Dicat igitur cum Samaritana. Da mihi hanc aquam, sed debet virga, id est, subtilitate intellectus & virtutis studio, silicem hoc est, textum diuinæ scripturæ difficilis, bis percutere, primò, ad sensum literalem intelligendum, secūdò ad sensum mysticum & spiritualem percipiendū.

Vel quia homo speculatiuè in scriptura sacra, vel practicè studere debet ad intelligendum & seruandum, quę necessaria sunt ad salutē, & tunc hauriet aquas sapientiæ, Matt. 7. *Omnis* *Matt. 7. 24.* *qui audit verba mea, & facit ea, comparabitur viro sapienti.* De hac aqua potantur homines & iumenta, id est, subtiliores & simpliciores.

Quartò requiritur in Rectore sana & fru- *Eccl. 37. 25.* ctuosa doctrina, ideoque dicitur in citata auctoritate, erudit plebem suam. Ista eruditio fit duobus modis, verbo & exemplo, magisq. ad bene agendum exemplum confert, quā verbū: Ratio est, quia simile generatur à simili, sicut homo ex homine, equus ex equo, sed magis assimilatur operi exemplum quàm verbū, ideoque ad virtutem magis incitant exempla bona quàm verba, vtroque igitur modo plebē suam erudire debet Parochus.

Rector erudire debet verbo & exemplo.

Luctus præpositorum.

TERTIO, in Themate 1. Reg. 6. 19. ponitur aliud, quoad tristitiam, scilicet, (*plaga magna*), qua defuncto nostro Curato, afflicti sumus. Legimus enim in veteri testamento, quòd quãdo Rector multitudinis alicuius aut Princeps moriebatur, si bene & sapienter rexisset populũ, omnes tristabãtur, & plãgebant, quia se maxima plaga percussos existimabãt, ita mortuo Moyse planxerunt eum omnes filij Israel triginta diebus. Deuter. vlt. Item mortuo Samuele, *congregatus est omnis Israel, & planxerunt eum nimis.* 1. Reg. 25. 1. Et mortuo Iuda Machabæo, Duce Inclyto & generosissimo, fleuit eũ omnis populus Israel planctu magno, & lugebãt eum dies multos. 1. Machab. 9. 20. In morte igitur istius patris spiritualis, qui sua misericordia fuit egenorum sustentator: sua sapientia indoctorum eruditor & Doctor: sua potẽtia oppressorum defensor: sua iustitia vitiorũ corrector: sua gratia & beneuolentia dissidentiũ conciliator, verè populus iste magno vulnere percussus est, idcirco magnam lugendi habet materiam. Vnde hodierna die impletur quod dicitur. 1. Reg. 6. *Luxit populus eo quòd percussisset Dominus plebem plaga magna nimis.* Rogemus tamẽ eũ, qui vulnerat & medetur, percutit & sanat, nostrã curet plagã, & animæ patris nostri gloriam æternam sua misericordia largiatur, deque alio nobis idoneo sufficiente & optimo Rectore prouideat, cũ quo hîc consolemur in gratia, & tãdẽ summo gaudio perfruamur in gloria. Ad quam nos perducat Iesus Christus Dei filius. AMEN.

Deut. vlt. 8.

1. Reg. 6. 19.

IN FVNERE ALICV-IVS SACERDOTIS.

THEMA.

Solet ante iudicium causam reddens facti sui, & moriatur sacerdos, Iosue. 10.

MOs inualuit apud omnes, vt à suis œconomis & officiarijs Domini rationē exigant, & quidem strictiorem ab ijs quibus maiora & præstantiora peragenda negotia cōmiserunt. Atqui Sacerdos ille est, cui Deus Optimus Maximus grauissimum & excellentissimum contulit officium, pertractare videlicet corpus & sanguinē Christi, animas hominū soluere & ligare, quas tanto prosequitur amore, vt pro illarum redēptione, seipsū cruci moriendū tradiderit. Vnde hunc nostrū sacerdotē defunctū citauit Deus, vt coram illo pareat ad iudicium, rationem factorū suorū redditurus. De quo in persona Dei dicitur, *Stet ante iudiciū &c.* In quibus quidē verbis tria describuntur. *Sacerdotis officium.*

Nam primò, præmittitur citatio hominis.

Secundò, subditur sententia iudicis.

Tertiò, exprimitur dignitas ordinis.

Circa primum notandum est, quòd citatio fit duobus modis. Primò enim citatur, vt coram iudice compareat, secundò, vt rationē reddat,

& ideo subdit causam, *reddens rationem facti sui.* Quoad personarum citationem sciendum est, quòd ille qui vult coram iudice comparere, primò suum ius discutere, dirigere, & præparare debet, & ea securè producere: Nam vt ait Apostolus 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur*, Sup. Iudicio condemnationis: Teneat igitur ille consilium sapientis Eccl. 18. *Ante languorem adhibe medicinam & ante iudiciũ interroga teipsum &c.* Quibus verbis duplex datur consilium, vnum contra culpam.

Præparatio ad mortem.

1. Cor. 11. 31.

Eccl. 18. 20.

Alterum contra pœnam.

Primò ergo, dat nobis remediũ contra culpam, cùm dicit, *Ante languorem adhibe medicinã.* Si quis malè se habeat, & noxijs humoribus repleatur, quibus futura infirmitas aliqua formidatur, audit à Medico, opus est aliquam accipias medicinam. Sic qui deprauatis affectionibus, & sanguine corrupto peccati abũdat, curari nequaquam potest, nisi per pœnitẽtiæ medicinã, quę omnibus in prõptu est, non autẽ medicamẽtũ corporale: Nã sũmus noster medicus ad animi morbos sanandos, vnicam tantũ omnibus efficacissimã & pretiosissimã medicinã confecit, quæ est sanguinis eius pretiosissimi, & quidẽ gratis eã exhibet, ideoq. qui ad pœnitentiã confugit, remediũ habet præsẽtissimũ & potentissimũ: Vnde ait Sapiens Ecc. 38. 4. *Altissimus creauit de terra*, id est, *de carne sua, medicinam, & vir prudens non abhorrebit eam.*

Sanguis Christi medicina.

Eccl. 38. 4.

Porrò quãtò infirmitas eſt prolixior & diuturnior, tantò magis ad eam curandam medicus laborat. Languor peccati eſt à principio mundi, & ad finem vſque durabit: Non igitur ſine multis grauiſſimiſque laboribus potuit hoc confici medicamentum, quo omnes animi morbi præteriti, præſentes & futuri ſanandi erant, quale fuit paſſio Chriſti Eccl. 10. *Languor prolixior grauat medicum.* Ingens dolor eſt, cùm filius eſt extrahendus ferro in partu è ventre matris: Idem contigit in conficienda illa medicina è carne & latere Chriſti. Itẽ mater maiorẽ dolorem patitur, ſi plures liberos paritura ſit, quàm ſi vnum Eſa. 53. *Vere languores noſtros ipſe tulit.* Et ideò ad pœnitentiam quę medicina eſt, debet confugere infirmus, quia per eam nobis paſſio Chriſti applicatur. Ideoq. ſicut Chriſtus in animo triſtitiã paſſus eſt, & in corpore pœnã, ita in vtroque per pœnitẽtiã peccator patiatur neceſſe eſt vt curetur.

Pœnitentia medicina.

Eccl. 10. 11.

Eſa. 53. 4.

Secundum verò ſapientis conſiliũ eſt, de remedio contra pœnam, *Cùm ſubditur & ante iudicium interroga teipſum &c.* Si quis criminis cõſcius ante iudicẽ vocatus ſit certò ſciẽs quòd ſi cõparuerit, ſe mortẽ & ſuppliciũ non euaſurũ, omnẽ ille mouet lapidẽ vt ante cõdẽnationem iudicem ipſum placare poſſit, ita peccator quotidie per infirmitates, per ſenectutẽ, & alios multos & incertos caſus, ad iudiciũ Dei citatur, ſi cõpareat, cadet ſua cauſa & cõdẽnabitur, quidni iudicẽ mitigare & placare õnibus modis nitetur? & vitã in meliꝰ cõmutare? Sap. 1.

Eccl. 18. 20.

Sap. 1. 9.

In cogitationibus impij interrogatio erit. Vnde Ecc. 18.19. dicitur, *Ante iudiciũ para iustitiã, & inuenies propitiationẽ.* Eccl. 17.27. *Magna misericordia Domini, & propitiatio illius, conuertentibus ad se.*

Secunda citatio ad iudiciũ est, ad reddẽdum rationẽ factorũ suorũ, & ideo subditur in Themate, *causam*, id est rationem reddens facti sui.

Iudicium generale & particulare.

Verùm nota in ratione reddẽda triplicẽ differentiam. Prima ex parte causæ, in hoc differt particulare iudiciũ, quod fit in morte, & iudicium generale, quod fiet in fine mundi, quia in iudicio particulari sola anima iudicabitur, Tren. 3. *Iudicasti Domine causam animæ meæ*: In finali non solùm erit animæ, sed etiã corporis iudicium, Apost. 2. Cor. 5.10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum.*

Tren. 3.58.

Ratio reddenda quomodo.

Secunda differentia, quia in iudicio particulari, redditur ratio, non voce sed mente. Quod quidã frater Prædicator defunctus alteri cõfirmauit ei apparens dixit, ad purgatoriũ sentẽtia supremi iudicis adiudicatum fuisse, sed priùs illi Deum permisisse, vt ad fratrẽ veniret, suffragiaque ab eo efflagitaret. Qui interrogatus qua ratione sententiã Deus ferret, & ratio ab animabus defunctis redderetur. Respõdit fieri solere mentaliter, & in momento, quia anima illuminata Dei præsentia, statim omnia facta tam bona quã mala in mente apparent, & videt, sicque quali pœna vel præmio sit dignus confestim intuetur. Vnde post suffragia accep-

ta diſparuit.1.Cor.4. Ait Apoſtolus, *Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* 1.Cor.4.5.

In iudicio verò finali, vbi omnes aderunt induti corporibus, quidã aſſerũt homines rationẽ reddituros non tantũ mentali examinatione, ſed etiã corporali voce. Ratio eſt, quia Chriſtus non ſolũ iudicabit vt Deus, ſed etiã vt homo, vnde iudiciũ fiet modo diuino & humano. Hinc maius gaudiũ ſẽſibile bonorũ ſequetur, & maior ſenſibilis dolor & confuſio reproborũ. D. Thomas tanquã probabilius tenet iudiciũ illud generale, ſiue ſpectetur diſcuſſio meritorũ, ſiue accuſatio malorũ, ſiue cõmendatio bonorũ, mentaliter perfici. Quia ſi facta ſingulorũ eſſent voce exprimenda & declaranda, tẽporis infinita & ineſtimabilis magnitudo ad hoc requireretur, quod eſt abſurdũ. Vnde probabile eſt, illa verba Matth. 25. *Eſuriui & non dediſtis mihi comedere.* Non vocaliter, ſed mẽtaliter eſſe intelligenda & proferenda. Tunc ergo homines ſicut dicitur 1. Petr. 4. *Reddẽt rationem ei, qui paratus eſt iudicare viuos & mortuos.* Matt.25.35. 1.Pet.4.5.

Tertia differentia eſt, ex parte perſonæ iudicandę, quia ſacerdos non curatus, de factis proprijs rationem eſt redditurus, ſicut quilibet alius. Rom.14. *Vnuſquiſque noſtrum, pro ſe rationẽ reddet Deo.* Et ideo dicitur in Themate, *rationem reddens facti ſui*, ſcil. à ſe commiſſi vel omiſſi. Rom.4.12.

Reprobi enim duplici de cauſa damnabũtur, Primò, quia peccauerunt cõtra iuſtitiã, tranſgrediendo præcepta iuſtitiæ, & ſummæ Damnatio Cur?

æquitatis: & ideo iusta sententia ad gehennam æternam damnabuntur, & dicent. Luc. 14. *Nos quidem digna factis recipimus.*

Secundò, damnabuntur reprobi, quia peccata non redemerunt per opera misericordiæ, *Iudicium enim sine misericordia fiet illi, qui non facit misericordiam*, Iacob. 2. Sancti ergo in aliquo modo, cum damnatis conueniunt: Primò, quia omnes, peccauerunt: sed in hoc differunt, quia boni peccata sua operibus bonis & eleemosinis redemerunt, propterea saluabüntur. Tob. 4. 12. *Fiducia magna erit coram Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam.* Sed sacerdos curatus, cui cura animarum commissa est, non solùm de factis proprijs, sed parochianorum, etiam ratio erit reddenda. Hinc Apostolus dixit, Heb. 13. *Obedite præpositis vestris & subiacete illis: Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Iaco. 2. 13.

Heb. 13. 17.

SECVNDÒ, in Themate assūpto subditur sententia iudicis, quādo dixit, *Moriatur* Cōsueuerūt iudices reos ad mortem cōdemnare, sed secundū rationem iuris in lege statutā. Natura enim humana in primis parētibus mortis reatū incurrit, quia comederunt cibum vetitum à Deo, sub pœna mortis. De quo Gen. 2. 17. *Quocumque die comederitis ex eo, morte moriemini.* Hinc secutum est generale decretū hoc, quòd omnis homo moriatur. Hebræ. 9. *Statutum est omnibus, semel mori.*

Hebr. 9. 27.

Mors expetitur à bonis.

Porrò viri Sancti à malis huius vitę liberari expetentes, exonerāt se libēter ab hoc statuto,

mortem precantes, cuius rei figura habetur, Ionæ.4 vbi dicitur: *Percußit sol super caput & æstuabat & petiuit animæ suæ, vt moreretur.* In quibus quidem verbis tangitur triplex ratio, quare Sancti viri libenter moriuntur. *Ion.4.8.*

Primò quidem, vt liberentur à mundi corruptione, quæ his verbis significatur, *Percußit sol super caput Ionæ, &c.* Sol enim est prosperitas mundi, quæ caput id est, mentem hominis percutit vulnere inordinati amoris, & tunc æstuare facit ardore auaritiæ vel ambitionis. *Mundi corruptio.* Scias igitur mundum duobus modis homines corrumpere, in prosperis per superbiam, in aduersis per impatientiam, à quibus è vita decedens liberatur. Vnde tunc accidit illud, *Psal.120.6.* Psal. 120. *Per diem sol non vret te, neque, luna per noctem.* Ita exponit glosa, neque per diē prosperitatis vret te sol elationis, neque per noctem aduersitatis, vret te luna deiectionis.

SECVNDÒ, appetunt mortem Sancti viri, vt securi sint à periculis, ideo petit animæ suę, id est pro securitate animæ suæ: Nam quandiu viuunt Sancti semper mundi reformidant pericula, *quia totus mundus in maligno positus est*, id est in malo igne, 1. Ioan. 5. 19. vnde exire cupiunt de mundo tanquam è domo ruinosa & inflammata incendio. Hinc Elias morte perterritus, fugiens Iezabel per desertum, petiuit animæ suæ, vt moreretur, & dixit, *Sufficit mihi Domine, tolle animā meā.* 3. Reg. 19. Nam illa pessima mulier Prophetas Domini persequebatur nec vera dicere & annuntiare permittebat. *3.Reg.19.4.*

Tertiò appetunt Sancti viri mortem, pro premiorum assecutione, sicut operarius appetit finem diei, vt mercedem recipiat. Sācti autem quandiu viuunt laborant, & operantur, vt æternæ beatitudinis mercedem assequantur post mortem. Hinc Ionas petiuit vt moreretur, ita Sancti, scientes, *quia beati sunt mortui, qui in Domino moriuntur*, Apocal. 14. 13.

Sacerdotalis dignitas.

Tertiò, in Themate assumpto tangitur dignitas ordinis, quia inquit, *Sacerdos*: Tanta enim est dignitas sacerdotalis ordinis, vt in sacra scriptura Sacerdos Angelus nominetur, Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.*

Mala. 2. 7.

Quibus verbis quadruplex debitum officij Sacerdotalis describitur.

Primò, quidem Sacerdos debet esse cautus in verborum prolatione.

Secundò, debet esse idoneus in sui officij executione.

Tertiò, debet esse peritus in aliorum instructione.

Quartò, debet esse mūdus in sua conuersatione.

Sacerdos qualis esse debeat.

In illa verba, *labia Sacerdotis custodiunt sciētiam*, ait glosa D. Hieronimi, vt congruo tempore verbum enuntiet. Sicut Ioseph custodiuit frumentum, quod distribueret tempore opportuno, idque est maximæ prudentiæ. Sed considera, in dicta parte auctoritatis, tria. Primò locutionis instrumētū, *quia labia*, quibus Sacerdotes docētur, quomodo alios instruere

debẽt. Labia enim ſunt mollia & carnoſa; verba etiam ſacerdotis eiuſmodi eſſe debent, vt mollificent & tẽperent duritiẽ peccatoris: Vel sũt mollia vt oſtendãt, *quod reſponſio mollis frãgit irã: nã verbũ dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Itẽ labiorũ eſt, vocẽ formare articulatam, cuius eſt mentis sẽ'a exprimere, ideoque Sacerdos verba ſenſata dicere & pronuntiare debet. Item labia virtutis interpretatiuæ propriè ſunt organa, quibus docẽtur Sacerdotes eorum officium eſſe ſcire & interpretari ſcripturas, & ad virtutem incitare. Cui talia erunt labia, dicetur verè illud, Pſal. 44. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* *Pſal.* 44.3.

Secundò, conſidera in eadẽ auctoritate citata depoſitum, quia cuſtodiũt. Sunt enim labia velut oſtia oris, ad cuſtodiam cordis interioris, domo enim non bene ſeruata nec clauſo oſtio, eã hoſtis aliquando ingreditur, qui interiùs habitãtes expoliat, occidit; & vulnerat, ſicut accidit Iſboſeth. 2. Reg. 4. 6. Ita ſæpiſſimè apertis labiis ingreditur peccatum, quod animã ſpoliat & occidit. Hinc Prouerb. 21. *Qui cuſtodit os ſuũ & linguã ſuã, cuſtodit ab Anguſtia animã ſuã.* Tertiò in parte auctoritatis, cõſidera theſaurum id eſt, ſciẽtiã. Qui quidem theſaurus debet in arca memoriæ recondi, vt nõ deficiat, & iterũ aliis cõmunicare. Eſt enim ſciẽtia nobilis poſſeſſio animi, quæ diſtributa ſuſcipit incrementũ, & auarũ dedignata poſſeſſorem elabitur Eccl. 20. Scientia abſcõſa & theſaurus abſcõditus, quæ vtilitas in vtriſque? & Prou. 15.

Mala. 2. 7. *Pro.* 21. 23. *Mala.* 2. 7. *Scientia in Sacerdote.* *Eccl.* 20. 32.

8. *Labia sapientū dissēminabunt sapientiam.*

Sacerdos nomē officij.

SECVNDO ostenditur in auctoritate inducta; Sacerdotem debere esse capacem ad suū munus obeundum: Quod specialiter ostenditur ex nomine Sacerdotis, quod quidē est officij & ministerij præstantissimi, ideoque maximè sit idoneus requiritur. Est autem duplex officium, siue actus Sacerdotis. Vnus præcipuus; qui est consecrare corpus Dominicum, & quoad hunc actum est summus minister, quia nō dependet à potestate superiori, nisi diuina: Alter est secundarius, scilicet, respectu membrorum, præparare fideles ad dignam Sacramenti præparationem, non præparatione remota; sed propinqua, ligando videlicet & soluendo. Et quoad hunc actum potestas eius dependet à potestate superiori, vt illam exerceat, quia ordinatum regimen multitudinis dicitur procedere ab vno vniuersali Rectore, per multos medios generales, vsque ad plurimos immediatos, & particulares. Quia igitur Sacerdos quoad suum principalem actum seu officium & potestatem ligandi & soluendi, summus est minister & à Deo immediatè, in eo requiritur summa idoneitas. Quæ significatur preciosis vestibus, quibus induitur, cùm consecrat in altari.

Sacerdotis idoneitas.

Sacerdotis vestes explicantur.

Primò enim induitur alba camisia, totum corpus cooperiens, quæ puritatem in moribus designat. Amictus in humeris bonorum fortitudinem, Cingulum quo renes stringuntur, continentiam: Manipulum quasi sudarium ad extergēdam lippitudinem oculorum accipit,

id eſt, ad omnem fugandam negligentiam circa Diuinum miniſterium: Stola verò ſuper vtrumque humerum ponitur, ad ſignificandũ arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris in ſuſceptione proſperitatis & aduerſitatis. His additur planeta rotunda, ad innuẽdam charitatẽ, quæ omnium ſuprema eſt virtutum. Propter hæc ait Pſalmiſta, Pſal. 131. *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam*: per quam iuxta Philoſophum, omnis virtus intelligenda eſt. *Pſal. 131. 9.*

Tertiò, oſtenditur in auctoritate citata, Sacerdotem peritum eſſe debere, vt alios docere *Malach. 2. 7.* queat, quia legem requirent ex ore eius. Vbi conſiderandum eſt, duos eſſe actus ſacerdotis. Vnum principalem ſuper corpus Chriſti verũ. Alterum ſecundarium, ſuper corpus Chriſti myſticum, ſecundus dependet à primo, ſed nõ è contrariò Et ideo aliqui ad Sacerdotium promouentur, quibus committitur primus actus tantùm, ſcilicet conſecrare corpus Chriſti, ſed cura animarum eis non committitur: ab his non requiritur lex, ſed quòd Sacramenta conficiant. Ideo talibus ſufficit ſcientia, quæ neceſſaria ſit ad ritè perficiendum ſacramentum. Alij promouentur ad alium actum, qui eſt ſupra corpus Chriſti myſticum, à quibus populus legem requirere debet.

Vnde ſcientia eorum in eis eſſe debet, quæ populus credere & obſeruare tenetur: ad Epiſcopos verò pertinet illa ſcientia, quâ difficiliores ex lege, quæſtiones diſſoluant & doceãt, ita vt de illis dici poſſit, *Lex veritatis fuit in ore*

cius,&c. Malach. 2. 6.

Quartò, ostenditur in auctoritate inducta, quòd Sacerdos debet esse mundus, in conuersatione, quia Angelus Domini exercituum est: de Angelo enim D. Dionysius ait, speculum esse mundum, propterea Sacerdoti maximè conuenit puritas mentis & corporis, & Angelica conuersatio, Act. 6. *Viderunt faciem eius*

Act. 6. 15. *tanquam faciem Angeli.* 1. Reg. 29. *Bonus es tu sicut Angelus Dei.* Qui talis fuerit, ad consortiũ

1. Reg. 29. 9. Angelorum beatorum tandem perueniet, & vita æterna fruetur. Ad quam nos perducat Iesus Christus Dei filius, cui laus honor & gloria in sæcula sæculorum. AMEN.

IN FVNERE VNIVS ABBATIS.

THEMA.

ad Rõ. 8. 15. *Clamamus Abba Pater.* Rom. 8.

Dolores gignũt clamores.

VVlgari fertur prouerbio, vbi sunt magni dolores, ibi sunt magni clamores, quod in mulieribus parientibus manifestum est, quæ

Esa. 26. 17. sicut magnos sentiunt dolores, sic magnos emittunt clamores, Esa. 26. *Sicut quæ concepit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis.*

Quia igitur mors huius venerabilis Patris magnam nobis suppeditat doloris materiam

Idirco non debet mirum videri,quôd voces eiulatus, & clamores emittamus,ſicut dicitur in verbo propoſito in Themate. In quibus verbis tria Apoſtolus innuit de Patre noſtro defuncto.

Primò, iudicium doloris.

Secundò officium honoris.

Tertiò affectum dilectionis.

Circa primum notandum eſt, homines in morte ſuorum conſueuiſſe ad indicandum interiorem dolorem eiulando clamare,qui tãtò ſentitur acrior, quantò ille defunctus dum viueret erat vtilior. Sed vt plurimùm quatuor ſunt,quæ hominem aliis vtiliorem reddũt, Sapientia, potentia, amicitia & miſericordia. *Vtilis homo ob quatuor.*

Nam ſapientia hominem reddit vtilem in conſiliis,potentia in auxiliis,amicitia in aduerſis,miſericordia in indigentiis: Et quia Abbas, & quilibet Prælatus eſt perſona cõmunis & publica,qui debet nõ ſibi tantũ eſſe vtilis,ſed etiã multis prodeſſe,ſicut ait Apoſtolus 1. Cor. 10. *Non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis.* Ita prædicta ſunt ei maximé neceſſaria,vt ſapiat in conſulendo, poſſit in defendendo,amet in auxiliando, ſit miſericors in ſubueniendo. *1.Cor.10.33.* *Fletus & dolor.*

Quando igitur moritur aliquis Abbas aut Prælatus talis meriti,æquum eſt omnes doleãt & clamores emittãt: Imperiti quidam, quia ſuum cõſiliariũ & doctorem perdiderunt: Oppreſſi quia ſuum protectorẽ amiſerunt: Amici quia adiutore ſuo priuati ſunt: Egeni quia ſuo benefactore deſtituti. Vnde Hierem.

Clamabunt homines & vlulabunt.

Verùm licet in talibus toleretur dolor, est tamen magis laudabilis clamor officij Diuini & sanctæ orationis, quæ ad Deum fieri debet, vt animam huius Patris defuncti misericorditer suscipiat, & lugentibus summum auxilium & consolationem infundat, scriptum est enim Psal. 106. *Clamauerunt ad Dominum cùm tribula-*

Psal. 106. 6. *rentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos.*

In quibus quidem verbis de clamoribus o-

Orationis conditiones, rationum, & ipsis orationibus ostendit quatuor. Primò, feruidas esse debere, & ideo dicit

Ps. 118. *clamauerunt*: Nam magni clamores, secundùm D. August. magna sunt desideria, Psal. 118. *Clamaui in toto corde meo.* Secundò debere altas

Ps 54. 18. esse, *quia ad Dominum.* Oratio inquit D. Damasc. est ascensio mentis ad Deum, Psal. 54. *Ego autem ad Dominum clamaui, & Dominus exaudiuit me.* Tertiò ostenditur opportunas orationes esse debere: Tunc enim maximè opportunùm est orare, quando quis affligitur, Psal. 119. *Ad Dominum cùm tribularer clamaui & exaudiuit me.* Quartò ostenditur quòd eiusmodi orationes impetratiuæ sunt, quia de necessitatibus eorum liberauit eos, Psal. *Saluasti de necessitatibus animam meam.* 1. Machab. 9. *Clama-*

1. Machab. 9. 46. *te in cœlum, vt liberemini de manu inimicorum vestrorum.*

Secundò in Themate assumpto ad Ro. 8. 15. ponitur officium honoris, cùm dicitur,

Abbatis officium. *Abbas.* Sic enim hodie Prælati maiores, in quibusdam religionibus vocantur Abbates. Quã-

tæ autem dignitatis & excellentiæ sit officium Abbatis tripliciter.

Primò, respectu Sacramenti ordinis, quia possunt tres minores ordines conferre dist. 69. ca. 1. & 2. Quod est intelligendum de Abbatibus qui sunt Præsbiteri, & quibus imposita est manus ab Episcopo secundùm morem præficiendorum Abbatum, prout dicitur eodem capite.

Item apparet dignitas & potestas Abbatis etiam respectu Episcopi, ex eo scilicet quòd aliquando minus est deferendum seu obediendum Episcopo, quàm Abbati, verbi gratia, si Episcopus vellet Monachum Prælatum instituere in Ecclesia sæculari, Abbas autem nollet, debet monachus obedire, non Episcopo sed Abbati: 16. q. 1. & 2. Dicit tamen Hostiensis, quòd si exigeret vtilitas Ecclesiæ, cogendus esset Abbas consentire & Monacho licentiam concedere, vt in ca. pro vtilitate, & hæc compulsio fieret per superiorem.

Item spectatur dignitas Abbatis in vocabulo: Quia conuenit ei nomen Dei Patris, quia Abba idem significat quod Pater in Hebræo siue Syro sermone ad Gal. 4. *Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra, clamantem Abba Pater id est facientem nos clamare.* *Abbatis dignitas.* *ad Gal. 4. 6.*

In quibus quidem verbis tria præcipuè notantur.

Primum est, diuina processio.

Secundum est, humana inspiratio.

Tertium est, effectiua inuocatio.

Processio in diuinis Quoad primum ergo dicit, quòd misit Deus, Sup. Pater spiritum. Nam Spiritus Sanctus ab eo mitti dicitur, à quo procedit. Quia missio duo importat, Primò, habitudinem missi ab eo, à quo mittitur. Secundò, habitutidinem missi ad terminum, ad quem, mittitur, Sed ratione primi, per hoc quod aliquis mittitur, ostenditur processio quędam missi à mittente.

Processio autem in diuinis personis, attenditur secundùm originem vnius personæ ab alia.

Et ideo solùm illæ personæ mitti dicuntur, quę ab alio procedunt, sicut filius & Spiritus sanctus. Pater autem qui à nullo alio procedit mitti non dicitur. Igitur missio alicuius diuinæ personæ importat processionem originis. Ab eo mitti aliqua persona diuina dicitur, à quo secundùm originem procedit, sicut filius, qui à Patre est genitus, à Patre missus dicitur.

Ioa.10.36. Ioan. 10. *Quem Pater sanctificauit & misit in mũdum*, ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum, &c.* Vn-

ad Gal.4.4 de quia Spiritus Sanctus à Patre procedit secundùm illud, Ioan. 15. 26. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*, Ideo à Patre mitti dicitur. Sed quia etiam procedit à filio, propter quod in auctoritate inducta dicitur Spiritus filii, Sup. quia etiam ab ipso procedit, secundùm illud Athanasii. *Spiritus Sanctus à Patre & filio non factus nec creatus nec genitus, sed procedens.*

ad Gal.4.6. Secundò in auctoritate citata, ponitur humana inspiratio, cùm dicitur, *In corda nostra*, id est, in mentes nostras per inuisibilem in-

ſpirationem, ſiue per gratię ſuæ infuſionem. Verùm quia omne agens aſſimilat ſibi paſſum, ſicut ignis agendo in lignum vel in ferrum aſſimilat ſibi ipſum calefaciendo & igniendo. Ideo etiam quando aliqua diuina perſona inuiſibiliter mittitur ad aliquem immutandum, oportet quod fiat aſſimilatio illius ad ipſam diuinam perſonam, quæ mittitur ad eam per aliquod gratiæ donum.

Vnde quia filius Dei eſt verbum ſpirans amorem. Ideo quãdo ipſe mittitur ad aliquem aſſimilat ſibi intellectum eius per inſtructionem ad cognitionem, quæ dilectionem ſui operatur. Et ideo ait D. Auguſt, quod filius Dei mittitur, cùm à quocunque cognoſcitur, atque percipitur: quæ perceptio per affectum amoris, quę propriè dicitur ſapientia, fit: Ergo quia Spiritus Sanctus amor eſt, ſiue charitas, quando mittitur in corda noſtra aſſimilat ſibi ea per donum charitatis. Et ideo Apoſtolus dicit Rom. 5. *quòd charitas diffuſſa eſt in cordibus* *Rom. 5. 5.* *noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.*

Tertiò, in auctoritate inducta ponitur effectiua inuocatio, *quia clamantem*, id eſt clama- *Abba quid* re facientem, hoc eſt, cum affectu inuocare, *ſignificet.* Abba Pater. Vbi animaduerte Abba idem ſignificare hebraicè quod Pater. Attribuitur autem Prælatis maioribus monachorum, quia aliquid participant de Dei poteſtate. Nam Deo Patri appropriatur potentia, Vnde Chriſtus dixit Mar. 14. *Abba Pater, õnia poſſibilia sũt tibi.* *Mar. 14. 36.*

Ergo quia talis Prælatus, ratione prælationis, Dei potentiæ aliquo modo est particeps, dicitur Abbas ad similitudinem Dei Patris.

Tertiò, ponit in Themate assumpto affectũ dilectionis, cùm dicit, Pater: Quia enim Pater est amantissimus filiorum ratione etiam charitatis quia subditi sunt diligendi, meritò Pater vocatur. Ioan. 16. *Ipse enim Pater amat vos.*

Ioan. 16. 27.

Rom. 8. 15.

Porrò alia ratione dicitur Deus Pater noster, & alia ratione Abbas, dicitur Pater, nam Deus dicitur Pater noster ratione creationis, quia scilicet, creauit nos ad imaginem & similitudinem suam, quam aliis creaturis inferioribus non impressit. Deuter. 32. *Ipse est Pater tuus qui possedit, fecit & creauit te.* Hinc honor illi debetur Exod. 20. honora Patrem tuum. Qui honor in tribus consistit.

Deuter. 32. 6

Honor patris.

Primò in laudis deuotione, quoad ipsum Deum, Psal. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me*, non tantùm ore, sed etiam corde, ne dicatur illud, Esa. 29. 13. *Populus hic labiis me honorat, cor autem longè est à me.*

Psal. 49. 24.

Idem consistit in corporis puritate, 1. Cor. 6. 20. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

Idem in iudicij æquitate, Psal. 98. *Honor regis iudicium diligit.*

Psal. 98 3.

Sap 14 3.

Dicitur etiam Deus Pater noster ratione gubernationis, Sap. 14. *Tua pater omnia gubernas prouidentia.* Alia vt seruos, nos verò quasi Dominos. Et ideo dicitur Sap. 12. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum*

Sap 12. 18.

magna reuerentia disponis nos.

Hac autem ratione tria Deo debemus: Primò obedientiam, Patri enim Carnali obedire debemus, ergò multò magis Deo, Hebræ. *Patres carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos.* Secundò imitationem. *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* Hier. 3. In duobus autem Deum Patrem imitari debem⁹. In puritate continentiæ, Hier. 3. 4. *A modo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ.* Et in misericordia Luc. 6. *Estote misericordes sicut Pater vester, qui in cœlis est.* *Imitatio.* *Hier. 3. 19.* *Luc. 6. 36.*

Tertiò debemus Deo humiliationem, dum castigamur ab eo, Hebræ 12. 7. *Quis enim filius quem non corripit Pater, &c.*

Item Deus dicitur Pater ratione adoptionis, quia aliis dedit quasi munuscula, nobis autem hæreditatem, quia si filij & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi de quo Hebræ. 1. *Quem constituit hæredem vniuersorum,* & post. *Ego illi in Patrem & ipse erit mihi in filium.* Ex his sequitur proximos nostros intimè tanquam fratres esse diligendos & cohæredes, Malach. 2. *Nunquid non Pater vnus omnium nostrum?* Verùm iste noster defunctus Abbas quibusdam fuit Pater Prælatione, scilicet suis monachis, qui modò dicere possunt illud Tren. 5. *Pupilli facti sumus absque Patre.* Aliis spirituali affectione: Multis beneficiorum collatione, vt pauperibus miseris & calamitosis, sicut Iob. qui dicebat, cap. 29. *Pater eram pauperum.* Idirco non est obliuioni tradendus, sed *Filij adoptionis.* *Hebr. 1. 2.* *Malach. 2. 10.* *Tren. 5. 3.* *Iob. 29. 16.*

orandum pro eius anima, ne fortè de his dicatur illud, Ps. 77. *Obliti sunt benefactorum eius.* Quod quidem Apostolus dissuadet, dicẽs
Heb.13. 16. Hebr. 13. *Beneficentiæ nolite obliuisci.* Ingratis enim illud accidit Sap. 16. *Ingrati fides tanquam hybernalis glacies tabescet & despiciet tanquam a-*
Sap.16.29. *qua superuacua.* Sed gratis augetur in præsenti sæculo gratia, & in futuro gloria conferetur. Ad quam nos perducat, qui sine fine viuit & regnat. AMEN.

IN FVNERE ALICVIVS PRIORIS.

THEMA.

Ioan.20. 4. *Venit Prior ad monumentum.* Ioan.20.

LIcet ius naturale requirat, vt qui prior est tempore alio, & antiquior ætate, priùs
Hebr. 8. 13. mori debeat, quia quod senescit, prope interitum est, Hebræ. 8. tamẽ aliæ sunt causæ propter quas, qui iunior est citiùs ex hac vita decedat quàm senior. Hoc est, quod in figura ostenditur, Ioan.20. cùm dicitur, *Iunior scilicet Iohannes prior venit ad monumentum*, quàm Petrus qui erat antiquior. Tamen illud Petrus prior ingressus est, quo significatur debitum naturæ. Sed quoniã hic noster defunctus, qui modò ad monumentum est deferendus, Prioris fungebatur officio, eo modo quo hodie in

quibusdam Ecclesijs Prælati vocantur Priores, possumus etiã verba proposita ad ipsius mortem & sepulturam transferre, vt scilicet de ipso dicamus. *Venit prior ad monumentum.* In quibus quidem verbis de ipso tria principaliter describuntur.

Primùm, quidem officij præeminentia.

Secundùm, mortis ipsius instantia.

Tertiùm, loci congruentia.

Circa primum obseruandum est, Priorem, & omnem Prælatum, cui animarum cura incumbit, non solùm alios dignitate & prælatione sed etiam omni virtutum genere & perfectione superare debere, sicut Pastor gregẽ excedit naturæ perfectione & regimine vitæ. Id docet B. Gregor. in Pastorali. Tantùm debet actionem populi, actio transcendere Præsulis, quantùm distare solet, à grege vita pastoris. Oportet namque vt mereri tanta solicitudine studeat, quanta rectitudinis tenendæ necessitate constringitur, sub cuius æstimatione grex populus vocatur. Sit ergo cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis cõtemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentes per zelũ iustitiæ erectus, internorum curã exteriorũ occupatione nõ minuens Hinc fiet, vt sicut Priores & Prælati sunt maiores in imperiis, sint etiam perfectiores in donis iuxta illud Gen. 49. *Prior in donis maior in imperio.* In quib[9] quidẽ verbis figuratè acceptis prioratus

Prælatus cæteris sit præstantior virtute.

Gen. 49 3.

officium commendatur ex tribus.

Primò, ex præeminentia dignitatis.

Secundò ex sufficientia bonitatis.

Tertiò, ex obedientia sublimitatis.

Aduerte, quòd hîc prior non dicitur tempore vel ætate, sed dignitate & imperio, quasi principalior & honorabilior, sicut Ioan. 1. *Post me venit vir, qui ante me factus est; qui prior me erat.*

Ioa. 1 27.

Differentia verò est inter malum & bonum Prælatum seu Priorem. Malus ea quæ sunt oneris imponit subditis, quæ verò sunt honoris & vtilitatis capit sibi. Aliis duras leges & statuta grauia decernit, sibi verò accipit delitias: de quibus Matth. 23: *Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere.*

Prælatus malus.

Matth. 23. 4

Prælat⁹ bon⁹

Sed bonus è contrario apud se illud meditatur, quod est extra de constit. Cùm omnes, vbi dicitur. Quod quisquis iuris in alterum statuit, ipse eo vti debet: Quia Sapientis dicit auctoritas, Patere legem quam ipse tuleris: Vnde bonus Rector & Prælatus in his quæ onerosa & laboriosa sunt ad dandum exemplum aliis, vult ipse esse prior, vt illis dicere possit, non ite, sed venite.

De hoc habetur figura 2. Reg. 18. vbi ait speculator Dauidi. *Cõtemplor cursum prioris, quasi cursum Achimas filij Sadoch*: Et ait Rex, *Vir bonus est*, nã Achimas interpretatur onus fratris, & Sadoch, id est iustitiæ filius, qui scilicet prior currit ad onera, quæ fratribus & subditis im-

2. Reg. 18. 27

imponit. Vnde bonus Prælatus, primus ordinat vitam suam & conscientiam, & postea dirigit vitam subditorum. Eccl. 32. *Precurre prior in domum tuam, & illic aduoce, & illic lude, & illic age conceptiones tuas: id est*, ab exterioribus mentem sollicitè reuoca, & cum gaudio, quod Deo placet diligẽter exequere & cogita quæ tibi & aliis facienda sunt. Eccl. 32. 15.

Secundò, ponitur in auctoritate allegata superiùs sufficientia bonitatis, quæ requiritur in Priore, maximè quantùm ad dona, quæ ad aliorum gubernationem sunt necessaria ex hoc quod dicitur *in donis*. Sunt enim illa de quibus Apostolus ait, Rom. 12. *Habentes donationes secundùm gratiã quæ data est nobis, differentẽ, siue prophetiam siue ministerium in ministrando*, id est dispositionem sacramentorũ, & ministrando ea non Simoniacè, non pigre, non indeuotè, non irreuerenter, sed purè & castè. *Siue qui docet in doctrina*, id est, qui gratiã docẽdi habet ad vtilitatẽ aliorum. Debet enim illuminare intellectum, inflammare affectum, & mouere ad actum. *Siue qui exhortatur in exhortando*, id est, qui habet gratiam exhortandi & exhortatur: Nã sicut colloquia praua, corrumpunt bonos mores, ita bonæ exhortationes etiam hominum simplicium, ædificant. *Qui tribuit in simplicitate*, Sup. elemosynas, bona intentione, vt nesciat sinistra tua, quid faciat dextra. *Qui præest in solicitudine*, quia solicitudo annexa debet esse prælaturæ & dominio: Vnde Tullius, quò celsior fueris, eò magis te Gen. 49. 3. Rom. 12. 6.

2.Cor.11.28 anxium & sollicitum esse oportet. 2. Cor. 11. *Instantia mea quotidiana solicitudo omnium Ecclesiarũ. Qui miseretur* id est, qui opera misericordiæ exercet in charitate, quia hilarem datorẽ diligit Deus.

Gen.49.3. Tertiò, ponitur in auctor. allegata obediẽtia sublimitatis, *quia* (inquit) *maior in imperio.*

Porrò in Ecclesiasticis officijs, qui maior est auctoritate & potestate imperandi, debet minor esse in humilitate & charitate seruiendi. *Simile.* In corporibus cœlestibus quæ videntur esse minora, mole & quantitate maiora sunt, sicut stellæ fixæ, comparatione Lunæ. Minima enim stellarum fixarum, secundum traditionem Alfragani est decies maior ipsa terra, Luna autem est vna pars de 39. partibus terræ. Videntur ergo minores, propter elongationẽ ab aspectu nostro.

Humilitas in Prælatis. Sic ergo qui maiores sunt potestate & dignitate, seruiendi humilitate minores sese ostendant necesse est, Id ipsum præcipit Christus, Matth. 20. *Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister.* Gen. 25. *Maior seruiet minori.*

Matth. 20. 27.

Gen.25.23.

Non debet etiam ille cum austeritate & seueritate imperare, sed cum mansuetudinis & charitatis dulcedine. Vnde Ezech. 24. redarguit Dominus Pastores Israel. *Cũ austeritate imperabatis ei, & dispersæ sunt oues meæ* D. Chris. Circa vitã tuam esto auster⁹, circa aliorũ benign⁹.

Ezech.24.4

Hinc Apostolus ad Philemonem. *Multam fiduciam habens imperandi tibi, quod ad rem atti-*

net, propter charitatem magis obsecro. &c.

Secundò, in Themate assumpto describitur mortis instantia, *Venit inquit ad mortem.* Vbi notandum mortis instantiam multùm humanam superbiam humiliare, quia mors annihilat ea omnia de quibus homo superbire cōsueuit dignitates, potentiam, rerum abundantiam, diuitias, honores, &c. *Ioan.20. 4.* *Cognitio sui ipsius.*

Exemplum habemus in rege Antiocho, de quo instante infirmitate ad mortem dicit scriptura: 2. Machab. *Cœpit ex graui superbia deductus ad cognitionem sui venire, diuina admonitus plaga*, id est mortis instantia, cui diuina sententia adiudicatus fuerat. Genes. 2. *In quocunque die comederis ex eo morte morieris.* *2. Machab. 9.11.* *Gen.2.17.*

Hæc autem instantia mortis, triplicem effectum habet.

Primus est humilians, quia deducit hominem à superbia.

Secundus est illuminans, Sup. ad cognitionem sui venire faciens.

Tertius, est corripiens, Sup. per admonitionem.

Circa primum notandum est, graue aliquid cognosci, ex descensu ipsius, atqui superbia in ignominiosā culpam & grauem pœnam descēdit, est igitur grauissima culpa: Deus enim viros elatos superbia permittit in turpissima dilabi peccata. Rom. 1. ait Apostolus Philosophos propter elationem cordis traditos in reprobum sensum, vt faciant ea, quę non conueniunt. Nam sicut in syllogisimis *Superbia grauius* *Rom.1.*

ad impossibile ducentibus, quandoque aliquis conuincitur per hoc, quod ducitur ad inconueniens magis manifestum. Ita ad conuincēdam superbiam hominum, Deus aliquos punit, eos permittens cadere in peccata carnalia, quę etiam si sint minora, tamen manifestiorem turpitudinem continent. Vnde Isidorus ait lib. de summo bono, omni vitio deteriorē

Pœna superbiæ. esse superbiam, vel quia eam amplectantur viri primates, vel quia iustitiæ opera labefactat, minusque percipitur & sentitur, quàm aliud quodcunque vitium. Qui detinetur superbia & non sentit, labitur in carnis luxuriam, vt per hanc humiliatus à confusione exurgat. Hinc colligitur peccati huius grauitas.

Simile. Sapiens medicus vt grauiori morbo remedium adhibeat, patitur infirmum in leuiorem morbum incidere, igitur grauius peccatum superbiæ iudicatur, quòd pro eius remedio, hominē permittat in alia ruere peccata, Prouerb.

Hier. 13, 9. 29. *Superbum sequitur humilitas*, Hier. 13. *Putrescere faciam superbiam Iuda.* Ita superbiā sequuntur grauissimæ pœnę, Esa. 14 11. de lucifero dicitur, *Detracta est ad inferos superbia tua, & 23. 9. Dominus exercituum excogitauit hoc, vt detraheret superbiam omnis gloriæ.*

Secūdò ostēditur in auctoritate citata, quòd mortis instantia intellectum illuminat, eò

2. Machab. 9. 11. quod hominem venire facit in cognitionem suæ imbecillitatis, nuditatis, & iniquitatis. Videt enim se morti resistere non posse, quemadmodum Alexander, qui omnium victor

fuerat, cognouit tandem ſe à morte vincendũ, 1. Machab. 1. 6. de Alexandro hæc verba legimus. *Poſt hæc decidit in lectum, & cognouit quòd moreretur*, hoc eſt, à morte vinceretur.

Item ducit in cognitionem ſuæ nuditatis, quia mors compellit hominem mundum relinquere, ita vt nihil ſecum deferre poſſit, Eccleſiaſt. 5, *Sicut egreſſus eſt nudus de vtero matris ſuæ, ſic reuertetur & nihil afferet ſecum de labore ſuo.* Item morte homo ſuam iniquitatem cognoſcit, quia mors eſt quædam citatio hominis ad iudicium diuinum, quia ſtatutum eſt omnibus ſemel mori, & poſt hoc iudicium, Hebr. 9. & hoc cognoſcimus per fidem. Pſal. 139. *Cognoui quia faciet Dominus iudicium.* Propterea cogimur noſtrorum recordari maleficiorum, & ea in memoriam reuocare, vt de his ſententiam à Deo recipiamus, Sap. 4. *Veniet in cogitationes peccatorum ſuorum timidi.*

Nuditas morientis.

Eccl. 5. 14.

Pſ. 139. 13.

Sap. 4. 20.

Tertiò, quoque inſtantia mortis oſtenditur eſſe correctiua, Sup. per admonitionem, quia hortatur ad pœnitentiam & correctionem morum, ideo dicitur: *Diuina admonitiue plaga*, ſcilicet infirmitatis, & timore mortis admonet peccatorem vt relicta malitia ad Deum redeat per fidem & charitatem, Sap. 12. hos qui erant ex partibus, & de quibus peccant admones & colloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine, imo etiam ex morte alterius admonetur, homo de fine ſuo vt cogitet quid futurum ſit de ſe ipſo, vnde ait Eccleſiaſt. cap. 7. *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij*,

2. Machab. 9. 11.

Mortis vtilitas.

Eccleſiaſt. 7. 3.

In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.

Ioan.20. 4. TERTIO, in Themate assumpto ponitur loci congruentia; quia ad monumentum. Monumentum enim dicitur, quasi monens mētem, non de memoria tantùm mortis habenda, sed etiam de pœnitentia peragenda. Quod

Ioa.20.22. figuratè exprimitur in Maria Magdalena quæ venit ad monumētū foris plorās. Dū ergo fleret inclinauit se, & prospexit in monumētū, & vidit duos Angelos in albis sedentes. In quib⁹ quidē verbis peccator de quatuor admonetur.

Primò, de interiori contritione.

Secundò, de exteriori confessione.

Tertiò, de humili satisfactione.

Quartò, de consolabili consolatione.

Circa primum aduertendum est, interiorem peccati contritionem tria requirere: Primò,

Contritio tria requirit interiorem discussionem, & hoc est, monumentum visitare, quia monumentum est, in quo clauditur corpus mortuum, quod conscientiam significat in qua latet peccatū mortale. Debet enim pœnitens eam visitare per diligentem discussionem, & inuento peccato pudorem & horrorem inducere. Vnde dicitur Ioan.20. quòd Maria Magdalena quæ pœnitētiam significat, venit mane cū adhuc tenebræ essent ad monumentum. Ad discutiendam igitur conscientiam manè, hoc est sollicitè venit, quia vsque ad sero senectutis, & noctem mortis conuerti minimè distulit: sed adhuc ibi erāt tenebræ peccatorū quæ ingerunt sui displicētiā & dolorem, ita vt dicat illud, Tob.5.

Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?

Secundò, cõtritio interior requirit culpæ abominationem, quæ prouocat ad vomitũ cõfessionis, & hoc est de ratione cõtritionis, Sup. peccati abominatiò cũ amaritudine cordis, & cũ proposito cõfitendi, Tren. 2. *Magna est velut mare contritio tua, quid medebitur tibi?* *Tren. 2. 13.*

Tertiò, requirit cõtritio pœnitẽtiæ cõtinuationẽ. Quod ostenditur in auctoritate citata, *Ioa. 20. 13.* Maria quia stabat; Nam cæteris recedentibus nõ recessit à monumẽto, & sic nõ debet homo à pœnitentiæ dolore recedere toto tempore vitæ: hinc August. ait, dolor in pœnitentia perpetuò custodiatur. Porrò duplex est pœnitentia, interior & exterior, interior quidẽ est, qua quis dolet de peccato cõmisso. Eaque durare debet vsque ad finẽ vitæ, si enim homini placeret peccasse, iã ex hoc ipso peccatũ cõmitteret, & fructum veniæ amitteret. Displicẽtia autẽ dolorẽ causat, in eo qui est susceptiuus doloris, qualis est, homo in hac vita nõ autem in futura. Pœnitẽtia verò exterior est, quãdo quis exteriora signa doloris ostendit, & verbotenus peccata sua cõfitetur sacerdoti absoluẽti, & impositã ab eo satisfactionẽ perficit. Nec est necesse vt eiusmodi pœnitẽtia duret vsque ad finẽ vitæ, sed vsque ad determinatũ tẽpus secũdũ mensurã peccati. Secundò, admonetur pœnitens in supradicta figura Magdal. de exteriori cõfessione, *quia stabat foris plorãs*. Nã quãdo solũ in corde cõteritur, adhuc pœnit. quasi intus latet *Pœnitentia interior & exterior.* *Ioan. 20. 11.* *Confessio.*

ſed dum Sacerdoti confitetur, quaſi foris prodit.

Hoc videtur innuiſſe Chriſtus, quãdo venit ad monumentum Lazari, & clamauit, *Lazare veni foras, & ſtatim prodijt &c.* Dixit Ieſus. *Soluite & ſinite abire.* Quibus verbis innuitur abſolutio. Sed quia lachrymoſa debet eſſe confeſſio, dicitur de Maria Magdalena quòd ſtabat foris plorans. Nam lachrymę confitentis, quæ prodeunt per foramina oculorum ſunt ſigna interioris triſtitiæ peccatorum, Hier. 48. *Plorans*

Hier. 48. 5. *aſcendet in fletu, quoniã in deſcenſu Oronaim*, Quod interpretatur, iuſtitiæ & foramen mœroris, *hoſtes vlulatum contritionis audierunt.*

Satisfactio. Tertiò admonetur pœnitens in ſupradicta figura de Maria Magdalena de humilitate ſatisfactionis, cùm dicitur, *Quia inclinauit ſe, & perſpexit in monumentum.* Ferunt camelum onus ſuſcepturum, ſeſe inclinare genu flectendo: Sic pœnitens & inclinare ſe debet, hoc eſt humiliare ſuſcepturus onus pœnitentiæ & ſatisfactionis, Pſal. 117. *Inclina cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas.* Sup. per opera ſatisfactoria.

Pſ. 118. Debet etiam proſpicere ad monumentum, id eſt, ad conſcientiam, vtrum ſit aliquis ibi mortuus, hoc eſt aliquod peccatum mortale non confeſſum, vel non purgatum per ſatisfactionem.

Reſurrectio pœnitentis duplex. Quartò, agitur in ſupradicta figura de remiſſionis teſtificatione, cùm dicitur, quòd vidit

duos Angelos,&c.

Isti duo Angeli testes resurrectionis Christi, significant duas resurrectiones pœnitentis, à mortalibus peccatis.

Vna est respectu præteriti, de qua 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Secunda respectu futuri, scilicet deliberata voluntas in posterum non amplius peccandi. Vel hi duo Angeli significant propositum firmum & constans tentationibus resistēdi, vel ardens desiderium in bono proficiendi, Luc. 24. *Venerunt dicentes se visionem Angelorū vidisse, qui dicunt eum viuere.* Et hi dicuntur sedere in albis, qui non reperiuntur nisi vbi sunt pacatæ & mundæ conscientiæ. Act. 1. 10. *Duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis.* Hi ergo annunciant resurrectionem à morte culpæ ad vitam gratiæ, per quam ad gloriam peruenitur, ad quam ducat nos Iesus Christus.

1. Cor. 4. 4.

Luc. 24. 23.

AMEN.

IN FVNERE ALICVIVS ABBATISSÆ.

THEMA.

Mater mirabilis & bonorum memoria digna. 2. Machab.7.

2. Machab.

SIcut qui Monachis præsunt, Abbates vulgò nominantur, ideſt, Patres ratione gubernationis, alicubi verò Priores, ratione prelationis. Sic etiam & monialium Prælatæ poſſunt eadem ratione dici matres, vel etiam Prioriſſæ: inter quas nonnullæ aliquando reperiũtur, quæ ita religioſè & Sanctè viuunt, vt omnibus ſint admirationi, & poſt mortem laudabiles & memoria dignæ. De his, verba Thematis vſurpari poſſunt, quibus quidem tria deſcribuntur.

Primum eſt, communitas Prælationis.

Secundum, honeſtas conuerſationis.

Tertium, communitas recordationis.

Circa primum notandum eſt, Abbatiſſam dici matrem, ob diligens ſtudium, & curam erga filias ſibi commiſſas, ita vt dicat illud, Eccl. 24. *Ego mater pulchræ dilectionis & timoris & agnitionis, & sanctæ ſpei in me gratia omnis vitæ.* In eo quod dicitur pulchræ dilectionis oſten-

Abbatiſſæ virtutes.

Eccl.24.24.

ditur erga suas bene affecta voluntas prout: *mater timoris*, notatur sollicitudo & cura: quatenus *mater agnitionis* significatur studium: Spes etiã veram virtutem indicat & non vanam expectationem, qualis est in improbis hominibus, & minimè religiosis. Sed quia etiam in ea fuit gratia omnis vitæ, ostenditur quanta fuerit in ea religio, per quam suis fuit exẽplo omnis deuotionis, pietatis & bonæ vitæ.

Vel possumus dicere commendari à charitate, ab humilitate, sagacitate, securitate, & communitate. A charitate, quia sicut dilectio carnalis, est turpis & immunda, ita spiritualis pura & pulchra. Hinc Beatus Augustinus ait, in Regul. *Non carnalis sed spiritualis sit inter vos dilectio.* *Abbatissæ cõmendatio.*

Dicitur ergo Abbatissa mater, quando affectu misericordiæ & charitatis sorores diligit, eis compatitur, earum defectibus subuenit, discretamque correctionem excessibus adhibet, ita vt illis dicere possit quod est Esa. 49. *Nunquid obliuisci potest mater infantem suum, vt non misereatur filij vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar sui.* Esa. 49 15.

Dicitur itaque mater dilectionis, quando verè non fictè aut simulatè diligit. Cùm enim amare sit alicui velle bonum, ille amat verè, qui alteri bonum appetit & intendit: Vnde quando quis alium diligit, ita vt non illius, sed proprium bonum intendat, non vera dicitur dilectio, sed ficta & simulata *Amic. ver.*

Verus amicus damnum suum negligit, vt
1. Cor. 10. 33 proximi vtilitatem quærat. 1. Cor. 10. *Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis prosit.* Tales sunt Abbatissæ, quæ pro filiarum bono & consolatione, plurimũ laboris sustinent, &
Rom. 12. 9. patiũtur. Est illa de qua loquitur D. Paulus, *Dilectio sine simulatione*, Rom. 12.

Est mater pulchræ dilectionis, quando sua sollicitudine & diligentia efficit vt conuentus rebus necessariis, & bonis spiritualibus & tẽporalibus abundet, vt dicere possit. *Pulchritudo agri mecum est*, hoc est, abundantia segetum & fructuũ. Quod erit illi facile, si quæ religionis sunt, seruanda curet.

Eccl. 24. 24. Secundò in auctoritate allegata, Eccl. 24. cõmendatur Abbatissa ab humilitate Timor enim
Humilitas multùm humiliat & deijcit hominem, debent enim filiæ matrem Abbatissam tanquam superiorem reuereri, Abbatissa verò humilita-
Ephes. 5. 21. tis gratia omnibus inferiorem se reputare debet, Ephes. 5. *Subiecti inuicem in timore Christi.* Ratio reddenda de subditis, Prælato & Abbatissæ timorem incutere debet, Iob. 23. *Conside-*
Iob 23. 15. *rans eum timorẽ, sollicitor.* Vnde Prælatis dicitur
2. Paral. 19. illud, 2. Paral. 19. *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.*

Tertiò, commendatur à sagacitate, quia cũ Abbatissa sit iudex actionum subditarũ sibi, eas sagaciter & studiosè cognoscat necesse est. Prouerb. 27. 23. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.*

Quartò à securitate, ideoque dicitur esse

mater sanctæ spei: Spes enim sancta & vera, non in hominibus, sed in Deo ponitur & collocatur. Prouerb. 11. 7. *Mortuo homine impio nulla erit spes vltra, & expectatio sollicitorum peribit.* Bene dicit de homine impio, quia de iusto & sancto viro etiam mortuo, bene sperandum est, vt testatur Sanctus Dominicus, qui moriens promisit fratribus suis lugentibus fore illis vtiliorem post mortem, quàm ipso viuente.

Prouerb. 11. 7.

Spes in Deo collocanda.

Vnde in eius officio cantatur, O spem nostram quam dedisti, mortis hora te flentibus, dum post mortem promisisti te profuturam fratribus: Imple Pater quod dixisti, nos tuis iuuans precibus. Igitur quia à Deo habēt quod iuuare non possunt, Spem in eis ponere est, nō in hominibus sed in Deo sperare.

Spes verò quæ habetur in bonis temporalibus firma & certa dici non potest, cùm & deficere & decipere possunt, Eccl. *Vana spes & mēdacium viro insensato.* 4. Reg. 18. *An speras in baculo arundineo confracto?* Talis baculus est mundus. Ergo in Deo sola est spes vera & certa. Eccl. 2. 11. *Nullus sperauit in eo & confusus est*, quia illa securitatem & quietem efficit. 1. Machab. 2. 61. *Omnes qui sperant in eum non infirmantur.*

4. Reg. 18. 21

Mundi spes.

In afflictione enim consolatur & subleuat. Hier 17. 17. *Spes mea tu in die afflictionis.* Rom. 12 *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Succurrit egenis & pauperum necessitati. Iob. Et erit egeno spes. Psal. 144. 16. *Oculi omnium in te*

Rom. 12. 12.

sperant Domine, & tu das escam illis, in tempo-
Esa. 25. 4. *re opportuno.* Esa. 25. *Factus est fortitudo paupe-rum, fortitudo egeno in tribulatione sua. Spes à turbine, vmbraculum ab æstu.*

Quinta commendatio nostræ Abbatissæ est à vitæ communitate, quia fuit in ea gratia omnis vitæ & actuæ & contemplatiuę, vel quia eius vita fuit omnibus exemplaris. Ita vt illius filiæ dicere potuerint, in vita tua viuimus, id est exemplum vitæ optimæ habuimus. In te omnis gratia vitæ, quia vsque ad extremum vitæ, in gratia Dei perseuerasti. Eiusmodi sunt in conscientia puri Iob 27.
Iob. 27. 5. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea, & iustificationem meam quam accepi tenere non de-*
Perseuerentia. *seram, neque etiam reprehendit me cor in omni vita mea.* Ad hanc perseuerantiam hortabatur D. Paulus & Barnabas fideles Act. 13. 43. *Loquentes suadebant eis, vt permanerent in gratia Dei.*

1. Machab. 7. 20. SECVNDVM, quod describitur in Them. assumpto est honestas conuersationis, quæ tanta esse debet, vt omnes eam mirentur, dicitur *Mater mirabilis.* Erit autem illa mulier mirabilisquę in terra posita non obstante sexus fragilitate Angelicam vitam duxerit: Nam in carne præter carnem vitam ducere, Angelicum est non humanum, sicut ait D. Hie-
Virginitas. ronimus. Valde enim mirabile videretur ignem in aqua existentem non extingui, sed præualere. Aqua est caro nostra, seu concupiscentia incontinens flexibilis, & ad malum

propensa. Sed si ignis diuini amoris, tantùm habeat efficaciæ & virtutis, vt carni præualens, ipsa continens & virgo semper maneat, nihil mirabilius excogitari potest. Sap. 16. *Quod enim mirabile erat, in aqua, ignis valebat.* Sap. 16. 17.

Quibus verbis tria describuntur.

Primò, laus castitatis.

Secundò, fluxus carnalitatis.

Tertiò, virtus charitatis.

Mirabilis dicetur illa virtus, quæ corpus in spiritum transmutaret, aut de terra cœlum fabricaret. Eiusmodi est virtus continentiæ & castitatis, nam de corpore spiritum facit, quia à nuptijs abstinentia, imitatio est Angelorum. Vt docet D. Damasc. Propterea dixit, *Christus in resurrectione, quando neque nubent neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei*, Vnde corpus dicetur spirituale. *Continētia.* *Castitas.*

Item virtus continentiæ de terra cœlum facit, quia per incorruptionem castitatis corpus efficitur cœleste; Duo cœlum habet. Alterum quod non sit ponderabile: Alterum quod sit incorruptibile.

Quæ duo virtuti continentiæ competunt. Eccles. 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Sap. 6. 20. *Incorruptio facit esse proximum Deo.* Quidam Philosophus cum paratus esset cum muliere peccare, continuit se dicens, Erubesce, cœlum intrare Eccl. 26. 20.

cœnum, quasi diceret, per continentiam te habes vt cœlum, per luxuriam efficeris vt cœnum. Ergo propter castitatem potest mulier dici mirabilis, Hier 5. *Stupor & mirabilia facta sunt in terra, Stupor*, propter sexus fragilitatem, *mirabilia*, propter incontinentiæ difficultatem, qua frequentius impugnatur. Nam inter cætera Christianorum certamina duriora sunt prælia castitatis, vbi frequens pugna est, & rara victoria. *Facta sunt in terra*, id est in carne humana terrestri & corruptibili.

Hier. 5. 30.

SECVNDO, in auctoritate allegata describitur fluxus carnalitatis, scilicet, in aqua: Aqua enim propter sui liquiditatem fluxibilis est, & labilis. Sic caro nostra est admodum labilis naturæ, *quia omnes secundùm carnem morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* 2. Reg. 14. Est etiam fluxibilis propter concupiscentiam, de qua Gen. 49. *Effusus es sicut aqua non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Sed coarctanda est illa aqua, ne labatur infra limites aluei, id est matrimonij, quod conceditur ne deficiat genus humanum, & ne effluat aqua concupiscentiæ, per luxuriæ modos illicitos, quibus animæ salus subuertitur, Iob. 12 *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur.*

Sap. 16. 17. *Caro labilis.* *2. Reg. 14. 14* *Gen. 49.* *Matrimon.* *Iob. 12. 15.*

Quia si omnes essent continentes, natura deficeret humana, *Et emiserit eas*, id est ad libitum exerceatur carnalis concupiscentia, *subuertent terram, hoc est animæ fructum & salutem.*

Tertiò

Tertiò, in auctoritate allegata describitur virtus charitatis, quia, Sup. Plus ignis valebat, quàm aqua: Quod fit, quando in continente amor charitatis, superat amorem carnis, Sap. 16. 19. *In aqua supra virtutem ignis exardescebat vndique*. Eccles. 38. *Vapor ignis*, scilicet diuini, *vret carnes*.

Assimilatur ergo charitas igni, Primò, propter formã, quia inter cętera elementa multùm habet formæ, parùm materiæ. Sic charitas hominem plurimũ afficit circa bona spiritualia, parũ circa temporalia. Vt iam non carnaliter carnalia, sed spiritualiter spiritualia diligat. *Charitas.* Qui duo modi ad diuinum amorem spectant. Ezech. 15. *Vtramque partem consumpsit ignis*, *Ezech. 15. 4.* Sup. Diuini amoris, quia quando caro & spiritus spiritualiter diliguntur, quicquid in vtroque est vitiosum, consumitur, & purgatur. Greg. tantò ampliùs peccati rubigo consumitur, quantò peccatoris cor magno charitatis igne crematur.

Tertio, in Themate assumpto, describitur congruitas recordationis, *Quia beatorum memoria digna*. *2. Mac. 7. 20* Duplici ratione memoria alicuius in pretio esse potest. *Memoria alicuius in pretio, Cur?* Prima est, si sit in memoria bonorum, nemo enim expetere debet à viro improbo laudari, cũ laus eorum potiùs de fama detrahat, quã illã augeat. Ideoq. ait Seneca, *Tãtũ sit si lauderis à turpibus, quã si lauderis ob turpia.* Mali enim sũt mẽdaces, superbi, & dolosi, *Laus à malis.* propterea sceleratos & improbos potiùs quàm iustos, bonos & sapientes homines

Eccl.15.7. commendare solent & commemorare. Item mala potius, quàm bona. Vnde Eccl. 15. Postquam locutus est sapiens de sapientia & iustitia, subdit, *homines stulti non videbunt eam*, quæ longè abest à superbia & dolo. Viri igitur mẽ-

Esa.5.20. daces illius memores non erunt, estque laus eorum paruifacienda. Esa.5. *Væ qui dicitis malũ bonum, & bonum malum ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum dulce, & dulce amarum.*

Item bonorum memoria est multò defunctis vtilior memoria malorum, qui boni pro eis orant, magisque illis prosunt, quàm peccatores Prouerb.12. *Qui bonus est hauriet sibi gratiam à Domino.*

Memoria commendabilis. Secundò, memoria est commendabilis, si de his habeatur quæ sunt memoratu digna. Vbi obserua apud antiquos eos dignos laude & memoria habitos fuisse, qui fortiter bella gesserint, insignemque victoriam fuerint consecuti. Vnde talibus decernebantur triumphi. De quibus Valerius Maximus refert, Lib. 2. cap.3. Lege cautum fuisse, ne quis triumphum obtineret, nisi quinque millia hostium vna acie occidisset, quibus ad perpetuam memoriam

1.Reg.15.12. fiebat arcus triumphalis, in quo eorum victoria figuris & imaginibus repræsentabatur. Post victoriam de Amalech habitam 1. Reg.15. refertur, Samueli nunciatum fuisse, quòd venisset Saül in camelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem Sup. in memoriam victoriæ quã obtinuerat.

Sic in Ecclesia Christi memoria & commẽdatione digni habentur homines triplicis victoriæ gratia. Aut quia per castitatem & virginitatem carnem debellarunt, Sap. 4. *O quàm pulchra est generatio casta, cum claritate &c*: Aut quia mundum vicerunt, prospera contẽnendo & aduersa non pertimescendo, sicut dicitur de Moyse Hebr. 11. *Qui negauit se filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei*, quàm temporalis peccati voluptate frui: Aut quia diabolũ debellarunt, fortior enim & difficilior est pugna aduersus dæmones, quàm cõtra homines: Igitur gloriosior & memorabilior est victoria, qua dæmones vincuntur: Quæ quidem potẽtia, astutia, & perseuerantia obtineri potest. Verùm his tribus dæmones hominibus præstant. Primò, potentia naturali, quia vt dicitur Iob 41. *Non est potestas super terram quæ comparetur ei.* Secundò, astutia intellectuali & experimentali Gen. 3. 1. *Serpens erat callidior cũctis animantibus terræ.* Tertiò, instantia & perseuerantia, quia ob naturam spiritualem, carne nõ grauatur nec morbo aut morte aut somno impeditur ne bellum inferat. Vnde ait D. Paul. ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates &c.* Ideo à principio creationis mundi, ad finem vsque à pugna non cessabit. Verùm adest nobis Deus Pater qui sua potentia nos corroborat, Deus filius qui nos sua sapientia illuminat, Deus Spiritus Sanctus, qui nos sua gratia sustentat, ne pugnæ assiduitate vincamur. Ergo

Victoria de carne, mundo, & diabolo.

Sap. 4. 1.

Heb. 11. 24.

Dæmonum potentia.

Iob 41. 24.

Ad Ephes. 6. 12.

qui dæmones vincunt memoria magis digni sunt, quàm qui homines. Huius victoriæ ha-
1.Mach.3.6. bemus figuram 1. Machab. 3. de Iuda Machabæo, de quo narratur, *quòd repulsi sunt omnes inimici, præ eius timore, & omnes operarij iniquitatis, conturbati sunt: & directa est salus in manu eius, & exacerbabat reges multos, & lætificabat Iacob in operibus suis, & in seculum memoria eius, in bene-*
Matt.25.34. *dictione.* Scilicet illa, qua dicetur Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi & gloriam sempiternam.* Ad quam perducat nos Deus Opt. Max.

AMEN.

IN FVNERE ALICVIVS RELIGIOSI.

THEMA.

Ad Phil.2.8 *Factus est obediens vsque ad mortem.* Ad Phil. 2.

DIcitur extra de Regul. & transeuntibus ad religionem C. porrectū. Et C. ex parte. Habitus non facit Monachum, sed professio regularis, quæ votū solēnizat, vt dicit glosa. Cōmunis autē forma quæ in professione seruatur, est obediētiā promittere vsq. ad mortē, exēplo Domini Iesu Christi, qui pro nobis factus est obēdiens vsq. ad mortē. Illud Christi

exemplũ secutus est, defunctus hic frater noster, non solùm verbo, sed etiã efficaci professione & opere, omnia quę sunt obedientissimi Religiosi, cũ maxima omnium commẽdatione adimpleuit, ideoque verè dicitur de illò, *Quòd factus est obediens vsque ad mortem*: Quibus verbis tria describuntur.

Primũ est; incoatio cõuersationis spiritualis.
Secundũ est, executio regularis professionis.
Tertiũ est, limitatio corruptionis naturalis.

Circa primũ, nota hîc dici hominẽ factum, non simpliciter, sed secundũ quid, quia mutauit statum, sicut quando dicimus talẽ factũ esse Episcopũ, aut doctorem, aut militẽ, ita quispiam transiens à vita sæculari ad statum religionis, factus est quodammodo nouus homo, qui sibi nouũ viuendi modũ elegit, vt per dilectionẽ Deo sit propinquior. Licet enim secularis Deo placere possit, faciliùs tamen est Religioso, magis Deũ diligere, illique seruire, de quo Sap. 4. *Placens Deo, factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est*, In quibus verbis triplex studiũ notatur, cui omnibus neruis bonus Religiosus incumbere debet.

Religiosus bonus.

Sap. 4. 10.

Primum est, respectu Dei, vt eius gratiam consequatur.

Secundum est, respectu proximi, vt inter homines innocenter viuat.

Tertium est, respectu sui, vt ad gloriam transeat.

Dicitur ille cõparasse sibi beneuolẽtiã alterius, cuius actio ei grata est & iucunda, ita

vt ad eum amandum moueatur, sola enim quæ nobis placēt diligimus duo igitur præstat gratia. Primum vt exequamur quæ Deo grata sūt. Secundum vt diligamur à Deo. Propter primū dicitur Sap. 4. 10. Deo placens. Similes aliquis, domesticus Regis Galliæ fieret, ipse tamen pluris faceret Regis Hyspaniæ negotia, quàm Domini sui, nec verus & fidelis esset miles, nec Regi suo placeret. Quilibet Christianus est miles & domesticus Christi Domini: Multi tamen de his, quæ sunt mundi, carnis, & diaboli, potius sunt solliciti quàm quæ sunt Christi: Vnde plura & grauiora libentiùs sustinent, vt delitijs mundi fruantur, & corporis voluptatibus gaudeant, quàm vt in Dei obsequio permaneant. In eos ait D. Paul. 2. ad Timo. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit*. Dicit glosa, donauit. Vnde quia clerici & Religiosi præcipuè sese donarunt militiæ Christi, ideo specialiter interdicta est eis negotiatio secularis, quia nimis auocat animum à rerum diuinarum speculatione, ad quam illi specialiter sunt deputati. Porrò nonnulla sunt negotia ex se mala & inhonesta, & quæ sine peccato exerceri non possunt, vt contractus vsurarum, symoniæ, & similia. Hæc omni hominum generi sunt prohibita, cuiuscumque sint conditionis & ætatis 14. q. 4. Nec hoc prætereundum 1. q. 1. Reperiuntur in fine. dist. 88. fornicari. Extra de delictis puerorum C. Pueris.

Gratia duo præstat.

2 ad Timot. 2. 4.

Negotiatio sæcularis interdicta religiosis.

Alia sunt quæ ex natura sua non sunt mala,

vt emptio, venditio, locatio, conductio & similes contractus, & etiam exercitium artium mechanicarum, vt artis textoriæ &c. Ista concessa sunt Laicis, dummodo fiant debitis circunstantijs, non mala intentione sed in bonũ finem, vt suæ familiæ in necessarijs prouideãt, & opera misericordiæ exerceant, dist. 86. Non satis. 11. q. 1. Sicut enim. Item si fiant congruo tempore, non diebus festiuis, quibus vacandũ est diuinis officijs & orationibus, & ab omni seruili opere cessandum. Item in decenti loco, non in Ecclesia Dei, est enim locus orationis, non negotiationis, teste Christo. *Domus mea, domus orationis vocabitur, à qua eiecit ementes & vendentes.* Matth. 21. 13 Nec in Cemeterijs & claustris. Item si fiant debito modo scilicet vt non sit vitiosus contractus, cum deceptione & fraude pretij. Verùm huiusmodi negotia sunt Religiosis prohibita, Vnde in Psal. 70. Iuxta alicuius interpretationem, *Quoniam non cognoui negotiationem, introibo in potentias Domini.* Ait Hiero. vt habetur 88. dist. *Negotiatorem, clericum & ex paupere diuitem, & ex ignobili gloriosũ, quasi quandam pestem fuge.*

Templum locũ orationis.

Psal. 70. 17.

Potest tamen Clericus si indigeat, recipere possessiones excolendas ad quintã vel quartã partem, vel conducere ad sustentationem suã & suorum. argu. dist. 86. Peruenit, vbi auaritiæ, causa 91. Clericus. Potest etiã Clericus artificio suo honesto, sibi quærere victũ, dummodo diuinis obsequijs non desit. dist. 91. per totum. de consecr. distinct. 5. Nunquam, Extra

nec clerici vel Monachi. Ca. 1.

Si ergo negotia secularia ad peccatum inducant, vel à bono auertant, qui militat Deo, eis non se debet implicare, Eccl. 35. *Beneplacitum est Deo, recedere ab iniquitate*, quod de omnibus est intelligendum, & potissimùm de Religioso, qui Deo magis est cōsecratus. Hinc de Enoch, id est dedicans, vel dedicauit, vel cum Deo ambulans. Dicitur, *quòd placita erat Deo anima eius*, Sap. 4.

Eccl 35.

Sap. 4. 14.

Secundum quod facit gratia Dei in homine est, eum à Deo dilectum. Diligit enim Deus eos, qui illi placent, optimè igitur ait Sapiens. *Placens Deo, factus est dilectus*. Cæterùm hæc Dei dilectio puritatem & charitatem in nobis requirit: Quia dilectio & amor, amantem rei amatæ coniungit, atqui Deus animæ non vnitur, nisi puræ à peccato. Propterea ait D. Gregor. Naziansenus, *quòd prima sapientia est vita laudabilis, & apud Deum pura mens, per quam puri puro iunguntur, & sancti sancto sociantur.*

Sapientia.

Item ignis causat calorem rei in quam agit, vt patet in ligno & ferro, ita etiam amor, quo Deus hominem diligit; causat in homine, cui Deus vnitur, charitatem, qua ipse Deum diligit. Ergo hominem debet præuenire amor diuinus & puritas, vt sequatur in eo charitas: Cantic. 5. *Dilectus meus candidus, & rubicundus*. In candore intelligitur puritas conscientiæ, quæ ad omnem virtutem dispositio est necessaria, sicut albus ad omnem alium colorem. Pictores enim primò dealbant pa-

Cant. 5. 10.

Puritas cōscientiæ.

rietem, deinde alios imprimunt colores. Ita Deus non prius virtutes infundit animæ, quàm puritate sit dealbata. Apo. 1. *Caput eius, & capilli eius candidi velut lana alba & tanquam nix.* Apo. 1. 14.

Per ruborem intelligi debet charitas. Experientia enim docet, cùm corpus frigidum appropinquat calido, calorem in corpus approximatum imprimi. Cùm ergo puritas Deo animam approximet, necesse est ipsa Diuinam aliquam formam recipiat, quę est charitas.

Rubicundum est cœlum, id est, anima per mundiciam cœlestis gratiæ. Hi itaque duo colores candor puritatis, & rubor charitatis, in dilectis Dei, spiritualem pulchritudinem efficiunt. Hinc. Tren. 4. 7. *Candidiores Nazarei eius niue*, per puritatis conseruationem: *Nitidiores lacte*, per mansuetudinem & dilectionem: *rubicundiores ebore antiquo*, per charitatis feruorem: *Saphyro pulchriores*, per cœlestem conuersationem. In Saphyro enim est æreus color cum splendore: sequitur, *Denigrata est super carbones facies eorum*, Sup. quos Deus odio habet. Carbo enim extinctus immundus est & niger, & amittit suum splendorem & calorem, hoc est honestam conuersationem & charitatem. Treno. 4. 7.

Secũdum, quod bonus Religiosus maxima cũ diligentia seruare debet, est, vt vitam etiam inter malos laudabilem & irreprehẽsibilem agat. Dicitur propterea auctorit. superiùs citata, *inter peccatores*. Vbi animaduertendum, *Religiosi vita pura esse debet & irreprehensibilis.* Sap. 4. 10.

carbonē ignitum inter carbones mortuos & extinctos, si parum ignis habeat extingui, si multùm, non solùm non extingui, sed eos accendere & vitam illis impertire. Idem dicendum videtur de homine iusto, pio, & deuoto inter malos: Si habeat charitatem sed debilē, facilè extinguetur, si feruens sit, alijs communicabitur, & perfectiores gradus acquiret. Vides igitur quàm sit periculosū, imperfecto & infirmo inter malos cōuersari, corrūpūt enim bonos mores colloquia praua & exēpla vitiosa. Idcirco D. Thomas Christianis simplicibus & infirmis prohibet infidelium Iudæorum & hæreticorum familiaritas, nisi maxima necessitas maximè vrgeat. 28. q. 1. nullus & ca. omnes.

Conuersatio cum malis periculosa.

Verùm qui feruēt charitate & amore diuino, sapientiæque splendore abundant non solùm non peruertuntur consuetudine malorū, imò eos conuertunt, & ad meliorem vitam alliciunt. His propterea non prohibetur cum Etnicis & infidelibus communicatio, vbi necessitas aut salus illorum id requirit: Vnde qui ad eos, concionandi gratia proficiscuntur, eorum cibis vti possunt, seruata temporis qualitate id est ne diebus prohibitis ab Ecclesia Catholica, illis vescantur. Extra de Iudæis & Sarracenis. ca. quàm sit laudabile. Et sic intelligitur 11. q. 3. Ad mensam quod intelligendum est, nisi ille cibus esset idolis consecratus, tunc enim inquit D. August. satius esset mori, quā idolothito vesci 32. q. 4. sicut satius. Quidam

opinantur id licitum esse in extrema necessitate, dummodo non fiat in reuerentiam idoli. Qui igitur ita versatur cum malis vt eos in melius conuertat, dicere potest, *Non moriar sed viuam, & narrabo omnia opera Domini.* Psal. 117.

Tertiò, ita bonus Religiosus vitam dirigere debet, vt tandem perueniat ad æternam, quod notatur in his verbis, *translatus est.* Contingit nonnunquam vt qui maxima fuerit miseria oppressus, tandem ad summum honoris gradum efferatur, quia patienter omnia perpessus est, vt in Iosepho manifestum est, qui de carceris squalore translatus est ad totius Ægypti regimen & dominium. Sic qui sæculi huius, forti & generoso animo, cum integritate vitæ, ærumnas & tribulationes tulit, tandem in regnum æternum transfertur. De his D. Paul. ad Colos. 1. *Eripuit nos de præsenti sæculo nequam, & transtulit nos in regnum dilectionis filij sui.* *Similitudo.* *Ad Colos.*

SECVNDÒ, in assumpto Themate describitur professio, in qua obedientia promittitur, propterea dicitur *obediens.* Obedientia verò triplex est: Vna necessaria, quando quæ de iure communi aut speciali, præstare tenemur. Secunda est perfecta, qua quis omnibus licitis obtemperat. Tertia est indiscreta, per quam quis omnibus indifferenter & indistinctè obediens est. Quæ licet respectu hominũ indiscreta videatur, non tamen respectu Dei; Quia indistinctè præcipienti in omnibus non est obediendum, nam homo errare potest, in præcipiendo, & deficere à iusto præcepto, ideo- *Ad Phil. 2. 8.* *Obedientia triplex.*

que indiscretū esset homini, in omnibus morem gerere: Sed non sic Deo, quia neque deficere, neque errare potest. Vnde Acto. 5. *Magis obediendum est Deo, quàm hominibus.* In quibus verbis tria de obedientia describuntur.

Act. 5.29.

Primum est, eius necessitas.

Secundum est, eius congruitas.

Tertium est, obedientiæ quantitas.

Obedientia quàm necessaria.

Obedientia optima, & necessaria dicitur dupliciter. Primo modo, vt seruetur ordo diuinitus institutus. Nam sicut actiones rerum naturalium à potentijs naturalibus ortū habent, ita actiones humanæ ab hominis voluntate, & vt in illis, inferiora à superioribus mouentur, ita in his, necesse est inferiores facultates à superioribus excitentur imperio rationis & voluntatis, quod est præcipere. Ordine igitur à diuina bonitate instituto, & etiam naturali, inferiores superioribus obedire tenentur. Vnde & Dominus Matth. 23. Contra Pharisæos qui minora legis mandata de decimandis oleribus obseruabant, & maiora transgrediebantur, ait, *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*: Ostendens in omnibus obediendum esse, legi & ordini diuinitus instituto.

Matt. 23.23.

Obedientiæ fructus.

Secundò, obedientia multos gignit fructus. Primus est diuina inhabitatio, cuius figura habetur Luc. 4. *Vbi Dominus introiuit in domum Symonis, qui obediens interpretatur.* Item tunc filius Dei in vtero virginis conceptus est, cùm Maria verbo Angeli obediuit, dicens, Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum

Luc. 4 3.

tuum. Secundus eſt impetratio, hinc cæcus natus dixit, Ioan. 9. *Quis Dei cultor eſt, & vo-* Ioan.9 21.
luntatem eius facit; hunc exaudi. Vnde Iſidorus dixit, Si quod præcepit Deus, facimus, ſine dubio, illud quod petimus obtinebimus. Et Sanctus Auguſt. Citiùs exauditur vna obedientis oratio quàm decem millia contemptoris. E contrario, Prouerb. 28. *Qui* Prou.28.9.
obturat aurem ſuam ne audiat, oratio eius erit execrabilis.

Tertius fructus obedientiæ, eſt victoriæ aſſecutio. Prouerb. 21. *Teſtis mendax peribit,* Prou.21.28.
vir obediens loquitur victoriam. Teſtis mendax eſt qui profitetur & non ſeruat, qui perit, quia in bello ſpirituali ſuccumbit. Exemplum habemus in populo Iſraelitico, qui promiſit legem ſeruare, & non fecit. Exod. 19. *Omnia* Exod.19 8.
quæ locutus eſt Dominus faciemus. Ideo ab hoſtibus victi ſunt & debellati. Sed vir obediens loquetur victoriam, quia obedientia vbique eum cuſtodit, tuetur, & defendit. Eccl. 15. 16. *Si volueris mandata Dei ſeruare, conſeruabunt te.* Sic caſtrum cuſtodit ipſum cuſtodientem: Obedienti enim obediūt omnia, ſcilicet, Creator & creatura Ioſ. 10. *Non fuit antea & poſtea,* Ioſ.10.14.
tam longa dies obediente Domino voci hominis. Greg. Si obediētes fuerimus prępoſitis noſtris, obediet Dominus orationibus noſtris.

De creaturis patet in vitis Sanctorum Patrum, de illo qui adduxit Leænam ligatam & de illo ad cuius iuſſionem, aqua aſcendit vſque ad os putei.

Act.5 29. Secundò, ostenditur obedientiæ cõgruitas, cùm dicitur in auctoritate allegata Deo: Nam ei qui aliquid præciperet contra iustitiã, charitatem vel bonos mores, non esset obediendũ. Non sic de Deo dici potest, qui nihil, nisi bo-
Gen.22. 2. num præcipere potest: Genes. cap. 22. *Dominus præcepit Abrahamo filiũ suũ occidere.* Exod.12. *Præcipit Iudæis res Ægyptiorum furari.* Quæ videntur esse contra iustitiam: Et Oseæ, mulierem fornicariam accipere, quod videbatur contra castitatem, & tamen non est: Quia sicut Deus nihil operatur contra naturam, est enim naturale cuiusque rei, id quod in ea Deus operatur: Ita operatur quando vult aliquid supra solitum naturæ cursum: Eodem modo Deus nihil præcipere potest contra virtutem, quæ in eo principaliter consistit, & humanæ voluntatis rectitudo, vt Dei voluntati conformetur, illique obediatur: Vnde sicut præceptum de filio Isaac innocente occidendo, non fuit contra iustitiam, quia Deus est auctor mortis & vitæ. Sic nec illud de auferendis bonis Ægyptiorum, quia Deus omnium bonorum est Dominus, & cui placuerit, largitur. Quamuis sit contra rectum virtutis modum consuetum. Nec etiam est contra castitatem illud quod Oseæ imperatum est de accipienda muliere adultera, est enim Deus humanæ generationis ordinator, & debitus modus vtendi mulieribus, est ille quem Deus instituit. Ergo Deo in omnibus obediendum est. Deut. 26. *Obediui voci Domini Dei mei, & feci omnia, si-*

eut præcepisti mihi.

Tertiò ostenditur diuinæ obedientiæ quã- *Obedientia quantitas.*
titas, id est quantùm debeas Deo obedire, quia magis quàm hominibus, id est, cum maiori subiectione & humilitate. Est enim in omni obedientia necessaria humilitas. Inquit D. August. *Obedientia non nisi humilium esse potest, quia humilis à sensu suo vacuus, recipit alienum:* Ci- *Similitudo.*
bus enim nimio sale conditus, est inutilis, quia detrahi non potest, non ille, cui parum, quia apponi facile est. Humilis videns sensum deficere, acquiescere alteri debet, sed magis Deo. Item celeriùs, quia de præceptis humanis potest dubitare, de diuinis nequaquam. Vnde August. *Verus obediens non procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri &c. Et sic totum se colligit, vt mandatum impleat imperantis.* Item maiori cum reuerentia Deo obediendum est, nam id debemus parentibus propter Deum. Ergo multò magis Creatori animarum nostrarum. Hebr. 12. *Patres* *Heb. 12 9.*
carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos: Num multò magis obtemperabimus patri spirituum, & viuemus.

TERTIÒ, in Themate assumpto describi- *Ad Phil 2. 8*
tur limitatio corruptionis naturalis, *quia vsque ad mortem: Nam sicut mulier viuente viro alligata est legi, Cùm autem mortuus fuerit vir, soluta est à lege viri,* Rom. 7. 2. Imò etiam si ipsa moreretur, & postea resurgeret dissolutum esset matrimonium. Sic etiam de professo, existimãdum est, alligatur enim religioni, tantũ vsque

ad mortem, vnde hic noster defunctus Religiosus, ab obedientia solutus effectus est, quam eo superstite, humillimè exercuit, multumque in ea profecit, & sanctissimè vixit, ita vt de eius beatitudine nemo dubitare debeat, secutus sapientis consilium. Eccles. 18. *Non verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei in æternum.* Illa est vita æterna ad quam nos perducat Iesus Christus Dei filius.

Eccl. 18. 22.

AMEN.

IN FVNERE ALICVIVS BONI RELIGIOSI.

THEMA.

Consummatus in breui expleuit tempora multa: Placita enim erat Deo anima eius; propter hoc properauit educere illum, de medio iniquitatum. Sap. 4.

Sap 4. 13.

NOnnullos fructus citò maturescere videmus, eosdemque citissimè colligi, ne in arbore putrescant. Sic inter Religiosos nõnulli statim à iuuenili ætate, & in ipso nouiciatu, tantos progressus fecerunt paruo temporis spatio in ijs quæ ad pietatem & religionem spectant, vt omnes mirentur: Hos Deus sæpissimè diutiùs permanere non sinit, sed tãquã fructus

fructus iam maturos, & sibi gratissimos per mortem colligit, ne ab ipso bonitatis & amoris diuini feruore, quo sunt accensi deficiant. Vnde de huiusmodi vsurpari possunt verba Thematis. *Consummatus in breui*, &c. In quibus verbis quatuor describuntur.

Primum est, vitæ modicitas.

Secundum, meritorum fœcunditas.

Tertium, meritorum iucunditas.

Quartum, mortis celeritas.

Animaduertendum est primò, fratrem hunc nostrum defunctum, breui spatio temporis cursum ætatis, religionis & vitæ fœliciter cōsummasse: si negotiator vel artifex quispiam breuissimo tempore, adhibita maxima diligentia & industria eas res perageret, quas alter propter desidiam & inertiam non conficeret, nisi diuturno tempore: Profectò prudentia, labor, & sollicitudo illius, huius ignauiam & pigritiam condemnaret. Nam omnes in hanc lucem sumus editi, vt diligentissimè vitæ æternæ negotia curemus, & bene viuamus. Si ergo aliquis reperiatur, qui breuissimo tempore illa omnia peragat, bene operando & religiosè viuendo ita vt ob merita maximum lucrum vitę æternæ faciat: Alius verò longissimo tempore gratiam Dei, bona animi, & æterna gaudia, malé viuendo amittat, nonne breuis illius vita, huius diuturnam condemnabit? Sap. 4. *Cōdemnat iustus mortuus, viuos impios, & iuuentus celeriùs consūmata, longā vitā iniusti.* In quibus verbis describitur triplex iudicium

Similitudo.

Bonorum vita.

Sap. 4. 16.

Primum, prouenit ex differentia, quæ est inter iustum & impium viuum.

Secundum, sumitur ex distantia quantitatis, quæ est inter breuem vitam iuuenis iusti, & longam vitam hominis iniusti.

Tertium sumitur ex ignorantia cœcitatis, quia videbunt finem sapientis; & non intelligent.

Circa primum obseruandum est, exemplo & quadam comparatione iustum mortuum viuentes impios condemnare: Ille enim eo superstite, aut semper fuit iustus, aut non: Si primum, tunc manifestum est, eius vitam comparatam ad impium, eum maximè reprehendere, quia tunc eius impietas maximè apparet: Qui enim iustè viuit, nec discrepat ab extremis, eiusque voluntas suo principio vnita & fini vltimo conformis effecta est, recta via ambulare dicitur, iuxta illud, Esa. 26. *Rectus callis iusti ad ambulandum.* At impij licet impiè agant, nusquam tamen impij haberi volunt, ideoque vnum intendunt, aliud prætendunt, sic à principio & fine discordant. Propter non rectè sed in circuitu ambulant, Psal. 11. *In circuitu impij ambulant.* Qui enim in circuitu ambulat eandem sæpe viam reiterat, sic qui in eadem peccata frequenter incidit & perpetrat, circuire dicitur. Vita igitur impij semper est curua & obliqua: At obliquitas baculi maximè apparet, iuxta baculum rectum: Rectum enim (inquit Philosophus) est iudex sui & obliqui: Sic vitæ impij peruersitas quanta sit,

Vita bonorū vitā malorū cōdēnat.

Esa. 26. 7

Psal. 11. 9.

Vita malorū curua.

ex rectitudine iusti maximè apparebit, potissimùm si vsque ad vltimum vitæ spiritum, in integritate iustitia & sanctitate permanserit. Ergo vita iusti sui comparatione impietatem hominis deprauati condemnat. Propterea dicitur, sap. 16. *Iustus mortuus*: Vel quia iustus mortuus, gloriam regni cœlestis sibi comparauit, quam impius malè viuendo amisit. Sap. 10. *Tulerunt iusti spolia impiorum.*

Obserua porrò iustos impios factos, acquisitis omnibus meritis priuari nisi per pœnitentiam resurgant: Nec tamen omnino inutilia sunt, prosunt enim aliquo modo perseuerantibus iustis. Iob. 27. *Hæc est pars hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorum*, & post. *Si comportauerit terrã quasi argentum*, hoc est, puritatem boni operis amiserit, conuersus ad terrena, *& sicut lutum præparauerit vestimenta*, hoc est, Si merita quibus anima eius fuerit vestita pro luto, hoc est, pro vili peccato amiserit: *Præparabit quidem sed iustus vestietur illis & argẽtum innocens diuidet*. Suscipiens meritum. Si autem iustus mortuus aliquando impius fuerit, & postea conuersus ad pœnitentiã, factus est iustus, tunc ille suo exẽplo viuẽtes impios, qui per pœnitentiã nolũt resipiscere, cõdẽnat. Matth. *Viri Niniuitæ surgẽt in iudicio cũ generatione ista, & cõdemnabũt eã, quia pœnitẽtiã egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce plusquã Ionas hic*. Et tamẽ, Sup. nõ cõuertuntur ad eius prædicationẽ.

Secundò, describitur in auctoritate alle-

Sap. 10. 20.

Iob. 27. 13. 16

Sap. 4. 16.

gata iudicium sumptum à distantia quantitatis, videlicet inter breuem vitam iuuenis, & longam iniusti hominis. Tãgitur verò duplex ratio istius condemnationis: Altera sumitur ex ætatis qualitate, quæ alia est iuuentutis, alia senectutis. Iuuentus enim propensior est ad peccandum: quia iuuenes vt docet Arist. 2. lib. Rhetoricorum, alliciente concupiscentia magis abundant, & ira impellente, minùs verò ratione refrenante & experientia ac animi sagacitate, quàm aliæ ætates. Propter quæ sæpissime iuuenes in diuersa collabuntur vitia. Maximè igitur est laudabilis qui in iuuentute senibus est exemplo virtutis & bonæ vitæ: Vnde commendatione sunt digni, qui generoso & forti animo vitiis resistunt & diuinis præceptis obtemperare semper parati, de his, 1. Ioan. 2. *Scribo vobis iuuenes. quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.* Dicunt igitur cum Psalmista. Psal. 128. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: Etenim non potuerunt mihi.* Et illud Matth. 19. 20. *Omnia mandata Dei custodiui à iuuentute mea.*

Iuuentus prona ad peccandum.

1. Ioan. 2. 14

Psal. 128. 1.

Secunda sumitur ratio cõdemnationis prædictæ ex temporis diuturnitate, quia iuuenis ille defunctus in florenti ætate, paruo tẽpore iustè optimèque vixit, ergo per cõparationem eum qui longissimo tempore vitam egit malam & deprauatam reprehendit. Sicut qui suauem & bonum liquorem in malo vase animaduertit esse reconditum, ne destruatur, quamprimùm extrahit, & in alio vase reponit, vt

vinum vel oleum.

Ita Deus bonum & virtutibus iuuenem præditum, deuotum & pium ex hac vita in aliam citò transfert, ne à sua bonitate & pietate mutetur, & deficiat. Soph. 1. *Consummationem cum festinatione faciet.* Igitur sicut breuis vita iusto non obest, ita iniquo peccatori, & impio vita nocet diuturna, eò quòd malitia quotidie augeatur & crescat, sitque semper paratus ad grauius supplicium damnationis æternæ sustinendum. Sap. 3. *Si longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus.* Soph. 1. 18. Sap. 3. 17

Tertium iudicium sumitur ex ignorantia cæcitatis, vnde dicitur in auctoritate inducta, *Videbunt*, Sup. insipientes peccatores finem sapientis iusti & non intelligent. Finis porrò sapientis duplex est: Vnus corporeus ratione sensus externi: Alter spiritualis, propter intellectum. Ille qui sensu percipitur est mors, estque indifferens & communis sapienti & insipienti, quia moritur doctus pariter & indoctus Eccl. Spiritualis verò finis intellectu tantùm apprehenditur, estque vita æterna. Rom. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* In hoc differt sapiens à stulto. Eccl. 6. *Quid habet amplius sapiens à stulto, & quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita æterna?* Sapiens quis Rom. 6. 22. Eccl. 6. 8.

Sapientia.

Sapiens dicitur qui non tantùm cognoscit, sed Deum amat & desiderat, & iuxta Platonem ille est, qui Dei cognitor, amator, &

Stult' quis. imitator est, idem sentit. D. August. lib. 8. de ciuitate Dei cap. 4. Stultus dicitur, qui nescit prouidere in posterum, vel quæ appetenda & fugienda sint, ignorat. Pauper autem qui humilis spiritu infirmitatis propriæ est conscius, & de peccatis cōtritus. Vnde D. Greg. lib.

Paupertas. 6. Moral. *Pauper est quisquis de suo sensu elatus non.*

Humilitas. Beneque vniuntur inter se sapiens & pauper siue humilis, quia vbi humilitas ibi sapiētia. Vult ergo dicere, quòd sapiens qui diligit, cognoscit, & Deum imitatur, & pauper est ille, qui defectum suum cognoscit, habet hæc ampliùs stulto, id est, improuido, quantum ad futura, quia Sapiens nusquam non omnes suas actiones ad vitam beatam dirigit. Econtrario stultus pergit vbi æterna mors. Videbunt ergo stulti finem sapientis, Sup. corporalem, qui est mors, sed non intelligent spiritualem, Sup. beatitudinis æternæ, Luc. 8.

Luc. 8. 10. *Vt videntes non videant, & audientes non intelligāt* Ioan. *Vt qui vident cæci fiant.*

Sap. 4. 13. SECVNDVM, quod describitur in Themate assumpto, est meritorum fœcunditas, *quia expleuit tempora multa.* Ille enim explet tempora multa, quia breuissimo tempore multa acquirit merita. Sicut mercator diligentissimus & ingeniosissimus, multò plura acquirit & lucratur paruo tempore, quàm piger, desidiosus

Simile. & hebes temporibus multis. Et cursor velox breui tempore plus itineris conficit quàm tardus longissimo. Sic deuotus & pietate feruens assiduis actionibus bonis plura sibi comparat

bona quàm negligens tẽpore multo, eò quòd bene agere eum pigeat,

Merendi porrò radix est charitas, quia iuxta D. Gregor. nunquam est amor Dei otiosus, operatur enim magis, si est, omniaque etiam sæua & immania tollerabilia, & prope nulla efficit. D. Bernard. Qui amat vehementius, currit velociùs, & peruenit citiùs. Illique dici potest: *Tempus tuum, tempus amantum.* Ezech. 16. 8. Dicuntur etiam iusti explere multa tempora, quia eorum merita, per multa tempora remunerantur, Eccl. 11. *Mitte panem tuum, super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies illum*: In quibus verbis describuntur quinque conditiones quæ in elargiendis elemosynis debent obseruari.

Charitas radix meriti

Amor impellit ad agendum.

Ecclesiast. 11.1.

Prima est, vt dentur prompto & hilari animo, & ideo ait, *Mitte*, non enim semper est expectandus pauper, sed quærendus, maximè verecundus si sit: hac enim ratione promptitudo & hilaritas maximè ostenditur, Neem. 8. 11. *Mittite partes his, qui non præparauerunt sibi*, Esdræ. *Mittite partes his, qui non habent.*

Elemosyna quomodo danda.

2 Esd. 11.

Secunda est vt vtiliter conferentur, id est, illa, quæ vtiliora sunt, cui dãtur, propterea dicit, *panem*: Panis enim præcipuum est ad vitã sustentãdã alimentũ, ideoque nomine panis intelligitur quicquid ad vitã humanã fouendã necessariũ est, Esa. 58. 7. *Frange esurienti panẽ.*

Panis significat omne alimentum.

Tertia vt elemosyna detur de proprio & nõ de alieno. Tob. 4. *De substãt. tua fac elemosynã* Quarta est, fiat cum humanitate & patientia, ideoq.

Tob. 4. 7.

dicit, *super transeuntes aquas*, id est, tribulationes patienter ferendo. Per aquas enim tribulationes significantur, Psal. *Transiuimus per ignem & aquam.* Ignis denotat tentationum feruorem, aqua tribulationum fluctus & innundationes. Nam vt ait quidam Poeta, *Rarò iacturam videas contingere solam: Vna refert aliam velut vnda recolligit vndam.*

Quinta est vt dentur elemosynæ, propter Deum, & æternam retributionem, ideo ait auctoritas. *Quia post multa tempora inuenies illum.* Sup. in futuro, non in præsenti, sicut qui seminat, sed expectat multos menses, ad Galat. 6.9. *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus, non deficientes.*

Ecclesiast. 11. 1.

Tertiò in Themate assumpto, est meritorum gratiositas, *quia placens Deo est anima illius.* Obseruandum est hoc loco, per religionis ingressum animam Deo coniungi, sicut sponso, 1. Cor. 7. *Quæ nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Sic & anima boni religiosi, eò omnes curas & studia refert, vt placeat Deo. Sed differentia est inter virum incontinentem & honestum, quia homini incontinenti & libidinoso placet vxor ob pulchritudinem: honesto autem viro, propter bonitatem & virtutem: Sic ob vitæ sanctitatem placet Deo anima nostra. Phinees significat virum religiosum, de quo dicitur Eccl. 45. *In bonitate & alacritate animę suæ placuit Deo.* In quibus verbis obseruandum est, animã viri religiosi, vt sit Deo sponsa, tribus indigere.

Sap. 4. 13.
1. Cor. 7. 34.
Eccl. 45. 29.

Primum est, vt virtute prædita sit

Secundum, alacritate impulsa.

Tertium, gratia exornata.

Quemadmodum sponsa, vt corpus suum exornet multùm laboris, operæ, & temporis insumit, sic sponsa Christi spiritualis, anima nostra, ornatui mentis omni studio intendere debet, qui quidem honestus est habitus, in quo animæ præstantia & nobilitas consistit. Aristot. lib. 5. Ethic. Virtus bonum facit habentem, & eius opus: Vniuscuiusque enim rei bonitas in virtute est posita: Vt medicina dicitur bona, quia habet virtutem curandi, & equus dicitur bonus, quia vehendi & portandi virtute præditus est, & sic de alijs. Idem de anima sentiendum est. Hinc ait D. August. *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo malè vtitur, quàm Deus in nobis sine nobis operatur.* Hunc habitum virtutum sponsa, id est anima adeo recipit, ideoque dicet cum Sapiente cap. 8. Sap. *Sortitus sum animam bonam.*

Virtus animæ ornamentum.

Anima nobilitas in virtute.

Virtutis definitio.

Sap. 8. 19.

Secundò, anima Dei sponsa virtutum opera alacriter exercere & persequi debet, vt ex alacritate exteriori, interior virtutis habitus manifestetur. Si enim quærat aliquis qua ratione anima ornata habitu virtutum dignosci poterit. Respondeo, ex operatione exteriori, nam occultæ virtutes etiam rerum naturaliũ, ex operatione externa & visibili percipiuntur, sicut Saphyri virtus veneni expulsione, & virtus iaspidis restrictione fluxus sanguinis: Ita virtutes mentis exterioris operis bonitate, & honesta conuersatione demonstrantur. Hinc

Virtus in actione manifestatur.

Iacob. 2. 18. Iacob. 2. loquens de fide, *Ostende mihi* (inquit) *ex operibus fidem tuam*. Non dicit ex opere, sed ex operibus, quia ex vna tantùm actione neque generatur, neque cognoscitur habitus virtutum, sed ex multis, si cum facilitate & alacritate exerceantur.

Virtus quomodo cognoscitur. Confirmatus virtutis habitus, teste D. Thoma, ex tribus cognoscitur: Primò, si constanter agat homo virtute præditus, ea enim quæ à sola dispositione pendent, facilè immutantur. Secundò, si operetur celeriter & in promptu. Tertiò, si cum delectatione, quod fieri nō potest nisi per habitū, qui cū sit per modum naturæ, operationem sibi propriam quasi naturalē reddit, & per consequens, delectabilem, est enim conuenientia delectationis causa. Qui ergo his tribus modis virtutē, & bona opera exercent & persequuntur, alacriter operari dicuntur, quia secundùm Papiam, Alacer, fortis & velox dicitur, quasi ab alę velocitate, & gaudens in quantum operatur delectabiliter fortis quia constanter, & velox celeriter. De hac

3 Reg. 8. 66. re habemus figuram 3. Reg. 8. Vbi dicitur de filijs Israel, *Profecti sunt in tabernacula sua, lætanter alacri corde*. Tabernacula lætantium sunt mansiones regni cœlorum, Psalm. 83. 1. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum.* Ad hæc proficiscuntur homines per bona opera, quæ prompto & hilari animo præstari debent.

Eccl. 45. 29. Tertiò, debet anima esse sponso suo grata, propterea dicitur, *Deo grata quia negotia sæ-*

culi dereliquit. 2. ad Timo. 2. 4. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus &c..* Item quia carnalia desideria repressit Rom. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non poßunt*, Item quia Deo fideliter adhæsit. Hebr. 11. *Sine fide impoßibile est placere Deo.* *Rom 8 8.*

QVARTVM, quod describitur in Themate assumpto est mortis celeritas: *quia properant educere illum de medio iniquitatis.* Vbi obserua triplicem gratiam quam Deus ipsi defuncto elargitus est. Prima est, in accelerando, quia properauit, ne scilicet ab hostibus raperetur, sicut Pater familias hostium insultum reformidans, vxorem vel familiam properat educere è loco non munito & in tuto reponere. Sic Deus animam iusti properat ad se vocare ne à dæmonibus capiatur, & à vitijs corrumpatur, & eam in loco securo collocat, cum sanctis Angelis & animabus beatis. Hanc accelerationem expetebat illa mulier 4. Reg. cap. 4. *Propera ne mihi moram facias*, Nam est periculum in mora. Item properat euocare Deus sæpe animam iusti ex hoc mundo, ne cœlestis gaudij diuturna priuatione & expectatione crucietur & affligatur. Hinc Deus loquens animæ ait, Propera amica mea & veni. Quosdam tamen longiorem vitam degere permittit propter maius meritum & bonum aliorum, quibus prodesse possunt, Abac. 2. *Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet*, Extraxit etiam hunc defunctum Deus è carcere corporis, quod tanquam beneficium Dauid à

Sap 4.13. Gratia defuncto exhibita.

4. Reg. 4. 24.

Abac. 2. 3.

Domino precabatur, Psal. 141. 10. *Educ de custodia animam meam.*

Psal. 56. 5. Tertia gratia fuit illi collata, quando extraxit eum de medio iniquitatum, Psal. 56. *Animam meam eripe de medio catulorum Leonum.* Catuli Leonum sunt iniquitates, quia à Leonibus seu dæmonibus oriuntur per suggestionem, & nutriuntur per delectationem. Ab his ergo iniquitatibus est ad gaudia cœlestia translatus & perductus, ad quæ nos perducat Dominus Iesus Dei filius qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. AMEN.

IN FVNERE ALICVIVS BONI RELIGIOSI.

THEMA.

Tren. 3. 27. *Bonum est viro, cùm portauerit iugum, ab adolescentia sua.* Thren. 3.

Luc 14. 19. DIscrimen est inter spirituale iugum & corporale, quòd hoc imponatur bobus, sitque mundi, de quo. Luc. 14. *Iuga boum emi quinque*: Illud verò est iugum Domini, quod hominibus conuenit. De quo ait Christus discipulis, Matth. 11. 29. *Tollite iugum meum super vos &c.* Hoc de obedientia intelligi potest, quam Religiosi profitentur in Ecclesia Dei. Sub hoc iugo noster defunctus religiosus cha-

Iugū Christi.

rissimus frater, ab adolescentia cum maxima omnium laude laborauit. Vnde meritò ei cōpetit quod dicitur in Themate, *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.* Tren. 3. 27. Quibus verbis Propheta de iugo Sanctę Religionis, tria describit.

Primò, vtilitatem hominis.

Secundò, facilitatem oneris.

Tertiò, prolixitatem temporis.

Circa primum obseruandum est obedientiæ, & Sanctę Religionis iugum, esse homini bonum, quia bonum illum reddit: Nam sicut quod igni adhæret, calidum efficitur, ita quod fonti religionis, id est, Deo vnitur, religiosum redditur. At potissimùm Deo per iugum regularis vitæ homo adhæret, quia remouet omnia impedimenta, quibus à Deo auocamur & abstrahimur. Quidam dicunt argentum auro non posse coniungi, nisi caueat à puluere, vento, & humore, quæ tria coniunctionem illam impediunt: Vnionem animæ cū Deo hæc tria impediunt, puluis auaritiæ, ventus superbiæ, & humor luxuriæ: Quæ tria status religionis remouet: Primò, puluerem auaritię per proprietatis abdicationem, quia religiosis habere proprium non licet: Quod ad perfectionem Christianam spectat vt habetur 12. q. 1. per totum: Vbi satis ostenditur & propria debere propter perfectionem contemni. Vnde Apostolis & primis Christi fidelibus, à quibus Religionis Christianæ incœpit perfectio. dicitur Act. 4. *Quod nec quidquam eorum quæ possidc-*

Religionis iugū omnia remouet salutis impedimenta.

Simile.

Paupertas religiosa.

Act. 4. 32.

gata iudicium sumptum à distantia quantitatis, videlicet inter breuem vitam iuuenis, & longam iniusti hominis. Tãgitur verò duplex ratio istius condemnationis: Altera sumitur ex ætatis qualitate, quæ alia est iuuentutis, alia senectutis. Iuuentus enim propensior est ad peccandum: quia iuuenes vt docet Arist. 2. lib. Rhetoricorum, alliciente concupiscentia magis abundant, & ira impellente, minùs verò ratione refrenante & experientia ac animi sagacitate, quàm aliæ ætates. Propter quæ sæpissime iuuenes in diuersa collabuntur vitia. Maximè igitur est laudabilis qui in iuuentute senibus est exemplo virtutis & bonæ vitæ: Vnde commendatione sunt digni, qui generoso & forti animo vitiis resistunt & diuinis præceptis obtemperare semper parati, de his, 1. Ioan. 2. *Scribo vobis iuuenes. quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.* Dicunt igitur cum Psalmista. Psal. 128. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: Etenim non potuerunt mihi:* Et illud Matth. 19. 20. *Omnia mandata Dei custodiui à iuuentute mea.*

Iuuentus prona ad peccandum.

1. Ioan. 2. 14

Psal. 128. 1.

Secunda sumitur ratio cõdemnationis prædictæ ex temporis diuturnitate, quia iuuenis ille defunctus in florenti ætate, paruo tẽpore iustè optimèque vixit, ergo per cõparationem eum qui longissimo tempore vitam egit malam & deprauatam reprehendit. Sicut qui suauem & bonum liquorem in malo vase animaduertit esse reconditum, ne destruatur, quamprimùm extrahit, & in alio vase reponit, vt

vinum vel oleum.

Ita Deus bonum & virtutibus iuuenem præditum, deuotum & pium ex hac vita in aliam citò transfert, ne à sua bonitate & pietate mutetur, & deficiat. Soph. 1. *Consummationem cum festinatione faciet.* Igitur sicut breuis vita iusto non obest, ita iniquo peccatori, & impio vita nocet diuturna, eò quòd malitia quotidie augeatur & crescat, sitque semper paratus ad grauius supplicium damnationis æternæ sustinendum. Sap. 3. *Si longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus.* Soph. 1. 18. Sap. 3. 17

Tertium iudicium sumitur ex ignorantia cæcitatis, vnde dicitur in auctoritate inducta, *Videbunt*, Sup. insipientes peccatores finem sapientis iusti & non intelligent. Finis porrò sapientis duplex est: Vnus corporeus ratione sensus externi: Alter spiritualis, propter intellectum. Ille qui sensu percipitur est mors, estque indifferens & communis sapienti & insipienti, quia moritur doctus pariter & indoctus Eccl. Spiritualis verò finis intellectu tantùm apprehenditur, estque vita æterna. Rom. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* In hoc differt sapiens à stulto. Eccl. 6. *Quid habet amplius sapiens à stulto, & quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita æterna?* Sapiens quis. Rom. 6. 22. Eccl. 6. 8.

Sapientia.

Sapiens dicitur qui non tantùm cognoscit, sed Deum amat & desiderat, & iuxta Platonem ille est, qui Dei cognitor, amator, &

bona quàm negligens tẽpore multo, eò quòd bene agere eum pigeat,

Merendi porrò radix est charitas, quia iuxta D. Gregor. nunquam est amor Dei otiosus, operatur enim magis, si est, omniaque etiam sæua & immania tollerabilia, & prope nulla efficit. D. Bernard. Qui amat vehementius, currit velociùs, & peruenit citiùs. Illique dici potest: *Tempus tuum, tempus amantum*. Ezech. 16. 8. Dicuntur etiam iusti explere multa tempora, quia eorum merita, per multa tempora remunerantur, Eccl. 11. *Mitte panem tuum, super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies illum*: In quibus verbis describuntur quinque conditiones quæ in elargiendis elemosynis debent obseruari. *Charitas radix meriti* *Amor impellit ad agendum.* *Ecclesiast. 11.1.*

Prima est, vt dentur prompto & hilari animo, & ideo ait, *Mitte*, non enim semper est expectandus pauper, sed quærendus, maximè verecundus si sit: hac enim ratione promptitudo & hilaritas maximè ostenditur, Neem. 8. 11. *Mittite partes his, qui non præparauerunt sibi*, Esdræ. *Mittite partes his, qui non habent*. *Elemosyna quomodo danda.* *2 Esd. 11.*

Secunda est vt vtiliter conferentur, id est, illa, quæ vtiliora sunt, cui dãtur, propterea dicit, *panem*: Panis enim præcipuum est ad vitã sustentãdã alimentũ, ideoque nomine panis intelligitur quicquid ad vitã humanã fouendã necessariũ est, Esa. 58. 7. *Frange esurienti panẽ*. *Panis significat omne alimentum.*

Tertia vt elemosyna detur de proprio & nõ de alieno. Tob. 4. *De substãt. tua fac elemosynã* Quarta est, fiat cum humanitate & patientia, ideoq. *Tob. 4. 7.*

dicit, *super transeuntes aquas*, id est, tribulationes patienter ferendo. Per aquas enim tribulationes significantur, Psal. *Transiuimus per ignem & aquam.* Ignis denotat tentationum feruorem, aqua tribulationum fluctus & inundationes. Nam vt ait quidam Poeta, *Rarò iacturam videas contingere solam; Vna refert aliam velut vnda recolligit vndam.*

Quinta est vt dentur elemosynæ, propter Deum, & æternam retributionem, ideo ait auctoritas. *Quia post multa tempora inuenies illum.* Sup. in futuro, non in præsenti, sicut qui seminat, sed expectat multos menses, ad Galat. 6.9. *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus, non deficientes.*

Ecclesiast. 11. 1.

Tertiò in Themate assumpto, est meritorum gratiositas, *quia placens Deo est anima illius.* Obseruandum est hoc loco, per religionis ingressum animam Deo coniungi, sicut sponso, 1. Cor. 7. *Quæ nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Sic & anima boni religiosi, eò omnes curas & studia refert, vt placeat Deo. Sed differentia est inter virum incontinentem & honestum, quia homini incontinenti & libidinoso placet vxor ob pulchritudinem: honesto autem viro, propter bonitatem & virtutem: Sic ob vitæ sanctitatem placet Deo anima nostra. Phinees significat virum religiosum, de quo dicitur Eccl. 45. *In bonitate & alacritate animę suæ placuit Deo.* In quibus verbis obseruandum est, animã viri religiosi, vt sit Deo sponsa, tribus indigere.

Sap. 4. 13.

1. Cor. 7. 34.

Eccl. 45. 29.

Primum est, vt virtute prædita sit

Secundum, alacritate impulsa.

Tertium, gratia exornata.

Quemadmodum sponsa, vt corpus suum exornet multùm laboris, operæ, & temporis insumit, sic sponsa Christi spiritualis, anima nostra, ornatui mentis omni studio intendere debet, qui quidem honestus est habitus, in quo animæ præstantia & nobilitas consistit. Aristot. lib. 5. Ethic. Virtus bonum facit habentem, & eius opus: Vniuscuiusque enim rei bonitas in virtute est posita: Vt medicina dicitur bona, quia habet virtutem curandi, & equus dicitur bonus, quia vehendi & portandi virtute præditus est, & sic de alijs. Idem de anima sentiendum est. Hinc ait D. August. *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo malè vtitur, quàm Deus in nobis sine nobis operatur.* Hunc habitum virtutum sponsa, id est anima adeo recipit, ideoque dicet cum Sapiente cap. 8. Sap. *Sortitus sum animam bonam.*

Virtus animæ ornamentum.

Animæ nobilitas in virtute.

Virtutis definitio.

Sap. 8. 19.

Secundò, anima Dei sponsa virtutum opera alacriter exercere & persequi debet, vt ex alacritate exteriori, interior virtutis habitus manifestetur. Si enim quærat aliquis qua ratione anima ornata habitu virtutum dignosci poterit. Respondeo, ex operatione exteriori, nam occultæ virtutes etiam rerum naturaliũ, ex operatione externa & visibili percipiuntur, sicut Saphyri virtus veneni expulsione, & virtus iaspidis restrictione fluxus sanguinis: Ita virtutes mentis exterioris operis bonitate, & honesta conuersatione demonstrantur. Hinc

Virtus in actione manifestatur.

Iacob. 2. 18. Iacob. 2. loquens de fide, *Ostende mihi* (inquit) *ex operibus fidem tuam*. Non dicit ex opere, sed ex operibus, quia ex vna tantùm actione neque generatur, neque cognoscitur habitus virtutum, sed ex multis, si cum facilitate & alacritate exerceantur.

Virtus quomodo cognoscitur. Confirmatus virtutis habitus, teste D. Thoma, ex tribus cognoscitur: Primò, si constanter agat homo virtute præditus, ea enim quæ à sola dispositione pendent, facile immutantur. Secundò, si operetur celeriter & in promptu. Tertiò, si cum delectatione, quod fieri nõ potest nisi per habitũ, qui cũ sit per modum naturæ, operationem sibi propriam quasi naturalẽ reddit, & per consequens, delectabilem, est enim conuenientia delectationis causa. Qui ergo his tribus modis virtutẽ, & bona opera exercent & persequuntur, alacriter operari dicuntur, quia secundùm Papiam, Alacer, fortis & velox dicitur, quasi ab alę velocitate, & gaudens in quantum operatur delectabiliter fortis quia constanter, & velox celeriter. De hac
3 Reg. 8. 66. re habemus figuram 3. Reg. 8. Vbi dicitur de filijs Israel, *Profecti sunt in tabernacula sua, lætanter alacri corde*. Tabernacula lætantium sunt mansiones regni cœlorum, Psalm. 83. 1. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum.* Ad hæc proficiscuntur homines per bona opera, quæ prompto & hilari animo præstari debent.

Eccl. 45. 29. Tertiò, debet anima esse sponso suo grata, propterea dicitur, *Deo grata quia negotia sa-*

culi dereliquit. 2. ad Timo. 2. 4. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus &c.*. Item quia carnalia desideria repressit Rom. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, Item quia Deo fideliter adhæsit. Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Rom 8 8.

QVARTVM, quod describitur in Themate assumpto est mortis celeritas: *quia properant educere illum de medio iniquitatis.* Vbi obserua triplicem gratiam quam Deus ipsi defuncto elargitus est. Prima est, in accelerando, quia properauit, ne scilicet ab hostibus raperetur, sicut Pater familias hostium insultum reformidans, vxorem vel familiam properat educere è loco non munito & in tuto reponere. Sic Deus animam iusti properat ad se vocare ne à dæmonibus capiatur, & à vitijs corrumpatur, & eam in loco securo collocat, cum sanctis Angelis & animabus beatis. Hanc accelerationem expetebat illa mulier 4. Reg. cap. 4. *Propera ne mihi moram facias*, Nam est periculum in mora. Item properat euocare Deus sæpe animam iusti ex hoc mundo, ne cœlestis gaudij diuturna priuatione & expectatione crucietur & affligatur. Hinc Deus loquens animæ. ait, Propera amica mea & veni. Quosdam tamen longiorem vitam degere permittit propter maius meritum & bonum aliorum, quibus prodesse possunt, Abac. 2. *Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet*, Extraxit etiam hunc defunctum Deus è carcere corporis, quod tanquam beneficium Dauid à

Sap 4. 13.
Gratia defuncto exhibita.
4. Reg. 4. 24.
Abac. 2. 3.

Domino precabatur, Psal. 141. 10. *Educ de custodia animam meam.*

Psal. 56. 5. Tertia gratia fuit illi collata, quando extraxit eum de medio iniquitatum, Psal. 56. *Animam meam eripe de medio catulorum Leonum.* Catuli Leonum sunt iniquitates, quia à Leonibus seu dæmonibus oriuntur per suggestionem, & nutriuntur per delectationem. Ab his ergo iniquitatibus est ad gaudia cœlestia translatus & perductus, ad quæ nos perducat Dominus Iesus Dei filius qui viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IN FVNERE ALICVIVS BONI RELIGIOSI.

THEMA.

Tren. 3. 27. *Bonum est viro, cùm portauerit iugum, ab adolescentia sua.* Thren. 3.

Luc 14. 19. Discrimen est inter spirituale iugum & corporale, quòd hoc imponatur bobus, sitque mundi, de quo. Luc. 14. *Iuga boum emi quinque*: Illud verò est iugum Domini, quod hominibus conuenit. De quo ait Christus discipulis, Matth. 11. 29. *Tollite iugum meum super vos &c.* Hoc de obedientia intelligi potest, quam Religiosi profitentur in Ecclesia Dei. Sub hoc iugo noster defunctus religiosus cha-

Iugū Christi.

rissimus frater, ab adolescentia cum maxima omnium laude laborauit. Vnde meritò ei cõpetit quod dicitur in Themate, *Bonum est viro, cùm portauerit iugũm ab adolescentia sua.* Tren. 3. 27. Quibus verbis Propheta de iugo Sanctę Religionis, tria describit.

Primò, vtilitatem hominis.

Secundò, facilitatem oneris.

Tertiò, prolixitatem temporis.

Circa primum obseruandum est obedientiæ, & Sanctę Religionis iugum, esse homini bonum, quia bonum illum reddit: Nam sicut quod igni adhæret, calidum efficitur, ita quod fonti religionis, id est, Deo vnitur, religiosum redditur. At potissimùm Deo per iugum regularis vitæ homo adhæret, quia remouet omnia impedimenta, quibus à Deo auocamur & abstrahimur. Quidam dicunt argentum auro non posse coniungi, nisi caueat à puluere, vento, & humore, quæ tria coniunctionem illam impediunt: Vnionem animæ cũ Deo hæc tria impediunt, puluis auaritiæ, ventus superbiæ, & humor luxuriæ: Quæ tria status religionis remouet: Primò, puluerem auaritię per proprietatis abdicationem, quia religiosis habere proprium non licet: Quod ad perfectionem Christianam spectat vt habetur 12. q. 1. per totum: Vbi satis ostenditur & propria debere propter perfectionem contemni. Vnde Apostolis & primis Christi fidelibus, à quibus Religionis Christianæ incœpit perfectio. dicitur Act. 4. *Quod nec quidquam eorum quæ possìde-*

Religionis iugũ omnia remouet salutis impedimenta.

Simile.

Paupertas religiosa.

Act. 4. 32.

bat, suum esse aliquis diceret. Sed erant illis omnia communia.

Item religio excludit ventum superbiæ per humilitatem obedientiæ, exemplo videlicet Christi, de quo dicitur ad Phil. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.*

Ad Phil. 2. 8

Item excludit humorem luxuriæ per votū continentiæ. Matth. 19. 12. *Sunt Eunuchi* (hoc est Religiosi) *qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.* His exclusis, anima adhæret Deo per contemplationem & charitatem. Dicitur igitur Religio iugum à iungendo, quia nō solùm iungit hominem Deo, sed etiam multos in vnum. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Psal. 132. Ex quibus verbis licet colligere, quomodo Religio bene esse homines facit propter quatuor.

Religio vnde dicatur.

Psal. 132. 1.

Primò, quia ponit eos in eo statu valde vtili.
Secundò, quia ponit eos in statu valde delectabili.
Tertiò, quia ponit eos in statu vniformi.
Quartò, quia ponit eos, in statu amicabili.

Sūt ergo primò Religiosi in statu valde bono, vtili & meritorio, quod dupliciter patet. Primò respectu eorū à quibus religio abstrahit homines, videlicet nō solū à nociuis & superfluis, sed etiā à licitis. Quod quidē facere Christi causa est valde bonū, vtile, & meritorium, quia hominē in carne præter carnē viuere, est Angelicū non humanū ait D. Hieron. Laudabile est & bonū seculari abstinere à fornicatione & adulterio, vti sua vxore non aliena. Verū

Religionis status bonus & meritorius.

laudabiliora facit Religiosus, per votum enim cõtinentiæ ab omni concubitu etiã matrimoniali & licito abstinet 1. Cor. 7. *Bonum est mulierem non tangere.* & infra, *Dico non nuptis & viduis, dico bonum est illis, si sic permaneant.* Bonũ etiã est seculari, seruare ieiunia ab Ecclesia instituta, & à carnibus abstinere. At Religiosorum statuta, generalem quandam abstinentiam à carnibus indicunt, nisi ob infirmitatem cum aliquo dispensetur, vel ob aliquam grauem necessitatem & causam. Rom. eam abstinentiam commendat Apostolus. *Bonum est carnem non manducare.* 1.*Cor*.7.18.

Bonus est etiam status Religionis respectu eorũ, ad quæ ordinatur: Nam aliqui Religiosi ad opera vitæ actiuæ, quæ est dilectionis proximi, ordinantur. Iac. 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulationibus eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Quædam verò religiones ad vitam contemplatiuam magis ordinantur, sicut religio Cartusianorum & similium, quod pertinet ad dilectionem Dei. Sed quia nec proximus sine Deo, nec Deus sine proximo diligitur: Idcirco ait D. Hieronimus. Perfectior religio est, quæ ad vtraque opera ordinatur, maximéque quæ ad opus vitæ incumbit, quod ex plenitudine contemplationis deriuatur, sicut est doctrina & prædicatio. Sicut Gregorius docet Homel. 5. super Ezechiel. De viris perfectis post contemplationem

Iac.1.27.

Vita contẽplatiua & actiua.

suam redeuntibus dici, memoriam abundantiæ suauitatis tuę eructabunt. Quod simplici contemplationi anteponitur: Sicut enim maius est illuminare, quàm lucere solùm, ita maius est speculata alijs tradere, quàm solùm cõtemplari: In summo gradu igitur esse dicuntur, qui prædicationi & doctrinæ vacant 2.

1. Cor. 8. 21. Cor. 8. de his dicitur *Prouidemus bona non solùm coram Deo, per contemplationem, sed etiam coram hominibus.* Sup. per vitam actiuam. Vnde legitur de Beato Dominico quòd diem impertiebatur proximis, & noctem Deo. Nocte cœli perlustrans lumina, de terris dat verbi semina.

Religiosorũ status delectabilis. Secundò, ostendit Propheta statum religionis esse delectabilem, quando ait, *& quàm iucundum.* Porrò religiosi iucunditate cordis, oris, & operis fruuntur. Iucunditate cordis ab interiori, superiori & exteriori.

Primò, habent iucunditatem & gaudium ab interiori iustificatione, purgata anima à præteritis peccatis, custodientes se à futuris, quæ mentis alacritas Deo vehementer placet, qui non ex dissolutione vanitatis, sed ex mundicia

Eccl. 1. 18. mentis prouenit. De hac Eccl. 1. *Religiositas custodiet & iustificabit cor, & iucunditatem atque gaudium dabit.*

Item habet religiosus iucunditatem cordis à superiori. Sup. diuinorum contemplatione, Prouerb. 18. 22. *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & iucunditatem hauriet à Deo.* Mulier bona, est sensualitas obediens rationi, quã sequitur bonum pacis & quietis in mente, & tunc

tunc in actione diuinæ contẽplationis, à Domino iucunditatẽ hauriet diuinæ eiusdẽ cõtẽplationis & ab exteriori delectationem, quia omnem laborem propter bonũ obedientiæ, æquo & hilari fert animo. Hinc lætitia & cõsolatione sempiterna perfruetur. Eccl. I. *Vsque ad tempus sup. mortis. sustinebit patiens, & postea, redditio iucunditatis fiet ei.* Eccl. 1. 29.

Religiosorũ lætitia. Secundò, habet bonus religiosus iucunditatem oris, per verba consolatoria, quibus alios lætificat, Psal. 103. *Iucundum sit ei eloquiũ meum.* Vel propter laudes diuinas, quibus, quotidie spiritualis quædam dulcedo, in mente eius excitatur Psal. 146. *Deo nostro sit iucunda decoráque laudatio.* Ps. 103. 35. Ps. 146. 1.

Tertiò delectationem habet in operibus vitæ actiuæ, vt sint opera misericordiæ, quæ cum hilaritate vultus fieri debent. 2. Cor. 9. *Non ex tristitia aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Et Psal. III. *Iucundus homo qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio.* 2. Cor. 9. 7. Psal. 111. 5.

Ponitur etiam homo per religionẽ in statu vniformi, sunt enim Religiosi vnius religionis vniformis professionis vinculo colligati, habitùque eiusdem coloris induti. Quæ quidem vniformitas exterior animorum vnanimitatẽ repræsentare debet. Psal. *Qui habitare facit vnius moris in domo Domini.*

Postremo, religiosi constituuntur in statu amicitiæ, quia *fratres*: Quæ fraternitas non est carnalis cogitationis, sed regularis professio-

nis, vnde se inuicem diligere debent vt fra-
Rom. 12. 10 tres nō propinquitatis amore, sed charitatis dilectione. Rom. 12. *Charitate fraternitatis inuicem diligentes*, Imitari enim debent Apostolos quibus Dominus dixit. Matth. 23. *Omnes enim vos fratres estis.*

Iugum religionis facile, mundi difficile.

Secundò, in auctoritate Thematis Thren. 3. 27. ponitur facilitas oneris, cùm dicitur, *cum portauerit iugum.* Differentia est inter iugum. Differentia est inter iugum Domini & iugum Dei. Iugum mundi, est status vitæ secularis: Quod quidem est durum & asperum, inclinãs & deprimens collum bonis. Sic status vitæ secularis mentem spoliat spiritualiũ meditationum affectionibus, & ad terrena deprimit: de
3. Reg. 12. 4 tali Iugo conquerebantur filij Israël, dicentes 3. Reg. 12. *Pater tuus durißimum iugum imposuit nobis*: Id ipsum præstat mundus suis ama-
Eccl. 40. 1. toribus. Eccl. 40. *Occupatio magna creata est hominibus, & iugum graue super filios Adam.*
Math. 11. 30. Iugum autem Domini est status vitæ regularis & religiosi, quod suaue est & leue, vnde ait ipse Dominus Math. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Quibus verbis tangitur quadruplex ratio *quare* iugum religionis sit cum alacritate animi ferendum.

Primò quidem propter vnionis nexum.

Secundò, propter imitationis exemplum.

Tertiò, propter deuotionis affectum.

Religionis iugum facile propter. 4.

Quarto propter dilectionis affectum.

Primò igitur libenti animo ferendum est iugum religionis, propter coniunctionis nexũ. Iugum a iungendo dicitur, nam sub eodem

iugo duo boues coniunguntur. At de more habent religiosi, vt ad omne opus, bini semper deambulēt, quod fit, vel propter mutuum auxiliū, quia frater, qui iuuatur á fratre, quasi ciuitas firma Eccl. 4. *Duo enim simul emolumētum habent suæ societatis.* Vel propter testimonium, vt vnus adhæsit alteri tanquam custos, & testis honestæ vitæ. Matth. 18. 16. *adhibe tecū, vnum vel duos testes.* hinc. August. in regula sua ait, Nō *eant quocunque ire necesse fuerit, minus quàm duo, vel tres.* Luc. 10. *Misit illos binos ante faciem suam;* sunt igitur religiosi missi ad prædicandum, velut duo boues sub eodem iugo colligati exeuntes ad seminandum. Ose. 11. 7. *Iugum imponetur eis simul.* De hoc Eccl. 51. *Collum vestrum subijcite eius iugo.*

Eccl. 4. 9.

Luc. 10. 1.

Eccl. 51. 34.

Secundò ostenditur iugum religionis esse cum hilaritate portandum, propter exemplū Christi, quia *meum* dicit. Cum enim tria sint substantialia religionis vota, cōtinentiæ, obedientiæ & paupertatis: horum trium in seipso exemplum, nobis Christus præbuit, & etiam in his Apostolicam perfectionem fundauit: Vnde Apostolos adhortatus est, dicens, *Tollite iugum meum super vos & discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Matth. 11. 30.

Christus exemplar triū votorum religionis.

Tertiò, debet libenter ferri, propter dilectionis affectum, etenim deuotis fratribus durum nec asperum iugum videri potest, sed suaue, id est, dulce, quia interiùs spiritualem dulcedinem gignit, licet exterius austerum videatur, sicut fructus nucis exteriorē

testam duram habet, nucleum vero interiorem sapidum & suauem. Verùm qui sensu deuotionis & pietatis carent dulce ab amaro discernere nesciunt, propterea religionis suauitatem, ob vitæ exterioris austeritatem abnuunt. Cuius rei figura habetur. 2. Reg. 19. in
2. Reg. 19. 15. Berzelai, qui ait, *Nunquid vigent sensus mei ad discernendum suaue aut amarũ*. D. Bern. *Multi vident punctiones nostras, sed non vnctiones nostras*, id est, consolationes: habent enim religiosi
Religiosi. furtiuas quasdam, id est, occultas gratias, quas orando & contemplando occultè & suauiter hauriunt: & panem intelligentiæ sacræ scripturæ, quo interiùs pascuntur & pascunt, in
Prouer. 9. 17. quibus maxima percipitur dulcedo & suauitas. Prouerb. 9. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior.*

Dicitur etiam onus suaue, quia commune. Nam onus quod à multis fertur, læuius & suauius esse videtur. Atqui religio vult onera omnia esse cõmunia, vt melius omnia disponantur. Sap. 8. *Disponit omnia suauiter.* Quarto
Sap. 8. 1. ex dilectionis affectu, religio est suauis. Quædam videntur ex se grauia, quæ rei alicuius additione fiũt læuia, vt si quis supponeret on⁹ lignorum, vel alterius rei asperæ super nudum dorsũ Aselli, esset nimis graue, supposita vero cella læuius portaretur: Sic multa essent grauia bobus, & equitibus, nisi currus adesset, quo onera traherentur. Ita supposita cha-
Amor læuia reddit grauia sũt. ritate onera religiosa suauissima sunt, Vnde August. *Omnia sæua & immania tolerabilia, & fere*

nulla efficit amor, & alibi. Sarcina Christi inquit *quæ infirmitati grauis est, leuis efficitur charitati:* Et maxime quia religionis pondera inter multos distribuuntur, ita quod vnus iuuat alium, Exod.18. Dixit Iero Moysi: *Læuius tibi sit partito in alios onere.* Ad Gal. 6.2. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi:* quæ est charitas. *Exo.18.22.*

Tertiò, in Themate assumpto, notatur prolixitas temporis, quo iste iugum Domini siue religionis portauerit, *quia ab adolescentia sua* vsque ad prouectam ætatem: Idcirco in eo completum est, illud Prouerb.22. *Adolescēs iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Quibus verbis iste religiosus commendatur ex tribus. *Tren.3.27.* *Pro.22.6.*

Primò, ex inceptionis idonea ætate.

Secundò, ex persecutionis conformitate.

Tertiò, ex continuationis firmitate.

Circa primum animaduerte adolescentiam, ætatem esse aptissimam ad assumendum religionis iugum, triplicem ob causam. Primò, ratione inchoationis: magna enim vis est facienda in principijs, nam vt ait Aristoteles. *Paruus error in principio, magnus est in fine.* Et hoc patet in peccato primi parentis, per quod tota natura fuit infecta. Et vulgo dicitur, *Dimidium facti qui bene cœpit habet*: Et ideò multũ refert quibus artibus homo à principijs incumbat: quia si bonis, omnia bene succedēt, si malis, actum erit de toto negotio, quod agitur. Ergo optimũ est adolescentibus religio- *Adolescentia apta ad religionis iugum assumendũ.*

nis iugum assumere, vbi statim ad annos discretionis peruenerint, per quam à malis auocati ad bonos mores incitabuntur amplexandos, Prouerb. 1. *Adolescenti detur scientia & intellectus.* Sciẽtia, vt in bono proficiant. ad Colos. 1. 10. *Proficientes & crescentes in scientia Dei.* Et intellectus quò discant recedere à malo. Iob. *Recede à mala intelligentia.*

Pro. 1. 4.

Secundùm bonum est inchoare religionem in adolescentia, propter inclinationem, quia præcipuè adolescentes ad vanitates & voluptates inclinari solent, ideó religione tanquam fræno retineantur & ligentur optimum est, Eccl. *Adolescentia & voluptas vana sunt.*

Similitudo.

Tertiò, ratione fœcunditatis, nam mulieres in adolescentia viris traditæ fœcundiores sunt illis, quæ vitulæ nubunt. Ita adolescentes iugo religionis constricti fertiliores sunt, & pluribus bonis operibus abundant, quàm illi, qui senio iam confecti ingrediuntur religionẽ, Hierem. 48. *Fertilis fuit Moab ab adolescẽtia sua*: Ita accidit isti religioso nostro defuncto.

Hier. 48. 11.

Pro. 22.

Secundò, commendatur in authoritate allegata ex persecutionis conformitate, quia iuxta viam, quam incœperat, semper ambulauit. Hæc fuit obseruantia religiosa quam duplici ex causa secutus est, 1. vt mores suos corrigeret, & vitam in melius commutaret: mandata etiam Dei & consilia perfectius obseruaret. Ps. 118. *In quo corrigit adolescentior viam*

suam, in custodiendo sermones tuos. Primum religio præstat, per rigorem disciplinæ, secundum per subiectionem obedientiæ. Religiosi perseuerantia.

Tertiò commendatur in auctoritate præfata de continuationis firmitate. Quia etiam cùm senuerit non recedet ab ea. Nam quod noua testa capit, inueterata sapit. Sunt tamen nonnulli qui vel propter negligentiam, vel propter suam malitiam à Deo derelicti, & in senectute à religione discedunt & apostatant propterea oret, & dicat pius & deuotus religiosus illud Psal. 70. *Vsque in senectam & senium ne derelinquas me*, & iterum, *Ne proiicias me à tempore senectutis* &c. vt tandem illud Iob, adimpleat cap. 27. *Donec vixero non recedam, ab innocentia mea, iustificationem meam, quam cœpi tenere nõ deseram.* Da est per quam homo assequitur vitam æternam. Ad quam Iesus Christus perducat nos. AMEN. Psal. 70. 18. Iob. 27. 5.

IN FVNERE ALICVIVS RELIGIOSÆ MVLIERIS.

THEMA.

Mulier timens deum, ipsa laudabitur.
Prouer. 31.

PRovt affecti sunt homines, rem aliquam extollere & commendare solent, ex quo

videmus mundi amatores, voluptatibus & carni deditos, mulieres ob pulchritudinem maximis efferre laudibus: exemplum habemus Gen. 12. de Sara, *quam Aegyptij laudauerunt plurimùm, quod esset pulchra nimis, & Principes Pharaoni nunciauerunt*, non attendentes fallacem esse gratiam & pulchritudinem vanam. Qui verò carnalia despiciunt, commendant quidem mulieres, non quia pulchræ, sed quia honestæ & ornatæ virtutibus: quod congruit sacris oraculis, quæ mulierem eam laudabilem esse docent ex timore Dei, non autem ex nobilitate & pulchritudine corporis: *Mulier timens Deum ipsa laudabitur.* Verùm quia talis mulier fuit hæc defuncta, meritò potest laudari. Quibus quidem verbis de ista sorore nostra, & qualibet religiosa muliere ostenduntur tria.

Gen. 12. 14.

Pulchritudo.

Primò, quod fuit in ea secundum naturam.

Secundò, quod fuit secundum gratiam.

Tertiò, quod erat secundum memoriam.

Frugilitas mulieris.

Quod attinet ad primùm, si natura illius consideretur, fuit admodum fragilis, robusta tamen diuinæ auxilio gratiæ: Quæ enim naturaliter sunt infirma & debilia muniri & corroborari possunt, rei alicuius validæ adiectione: vt de nuce Amigdalina manifestum est, cuius interior substantia, quia mollis est, & passibilis, duritia testæ exterioris munitur, & fortificatur: & de homine, cuius cerebrum molle, panniculis & ossibus duris circumuallatur & defenditur. Sic bona quælibet & re-

ligiosa soror, quamuis ob sexus conditionem sit animo & corpore fragili, continentiæ tamen & virtutum præsidio fortificatur, de hac loquitur D. Paulus. 1. cor. 7. *Mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Quibus verbis Religiosa soror ex tribus commendatur. 1. cor. 7. 34.

Primò, à corporis castitate.

Secundò, à mentis religiositate.

Tertiò, à corporis & mentis puritate.

Circa primũ aduertendum est, castitatẽ innuptæ, viduæ, & virginis laudabilem esse, quãuis illa quæ est virginis sit anteponenda. De vidua porro religiosa & seculari dices, posse nubere si velit, quamuĩs laudabilior sit si innupta permaneat. Propterea eiusmodi viduæ innuptæ in scripturis sacris plurimũ cõmẽdãtur, sicut Iudith & Anna. Primò quia iteratò nubere signũ est incontinẽtiæ: & in causa est cur bigamus nõ possit ad ordines promoueri, licet principalis causa sit, vnitatis sacramenti defectus. 2. quia expeditæ à rerum domesticarũ cura & solicitudine, illis facilius fuit rebus spiritualibus & orationi vacare, vt de Anna patet Luc. 2. *Quæ non discedebat de tẽplo ieiuniis & obsecrationibus die ac nocte seruiẽs.* Hinc ait Apost. 1. Cor. 7. *Dico autẽ innuptis & viduis, Bonum est illis, si sic permanserint. Quæ vero* (inquit) *Nupta est, cogitat quæ sunt mũdi, & quomodo placeat viro.* At vero vidua Religiosa debet omnino innupta manere, nec ei nubere licet, eo quod continentia sit de Religionis inte-

Castitas laudanda.

Viduæ laudabiles.

Luc 2. 37.

1. cor. 7. 8.

gritate & substantia, quia eorum abstractio
1.Cor.7. huic statui necessaria est, quæ ab obsequio di-
32.- uino impedire possunt, velut matrimonium,
& rei familiaris & domesticæ cura. Vnde A-
postolus. 1. Cor. 7. *Qui sine vxore est, solicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo: Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori.* Ergo continentia perpetua re-
1.Cor.7.39 quiritur ad perfectionem religionis.

Prædictam autem differentiam inter viduam secularem & religiosam tangit Apostolus ibidem. 1. cor. 7. primòquidem, quantum ad secularem, dicens. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit: Quod si dormierit vir eius, liberata est à lege, cui vult nubat tantũ in Domino.* Quantum ad religiosam, subdit, *Beatior autem erit, si sic permanserit.* Sup. Innupta Licet etiam, de seculari vidua vtrumque possit intelligi, sua multò tamẽ beatior erit vidua religiosa, quæ sibi sponte, per votum continẽtiæ necessitatem vlterius non nubendi im-
1 cor. 7. 34. posuit.

Virginitas. Tangitur præterea in aucto. allegata altior continẽtiæ virtus, scilicet, virginitas, cũ ait. *Virgo.* Vbi nota illud quod philosophus Ait, Actus actiuorum sunt in patiente disposito. Vt aer quantò purior & serenior tantò melius ad lumen suscipiendum disponitur: sic quantò anima est purior, tantò plus lucis spiritualis & gratiæ recipit: vnde cum virginitas dicat maximam puritatem, videlicet mentis & corporis incorruptionem, est conueniens

admodum diſpoſitio ad lumen gratiæ, ſapientiæ diuinæ, & gloriæ recipiendum. Ait Aug. *Eſt in carne corruptibili perpetua in carne corruptionis meditatio.*

De lumine igitur ſapientiæ patet in D. Ioanne Euangeliſta, qui fuit virgo, quem impleuit Chriſtus maiori ſapientia & intellectu. De lumine gratiæ, erit nobis exemplo beata Virgo, quæ fuit gratia plena, ſicut virgo puriſſima. De lumine gloriæ, etiam manifeſtum eſt, quia quantò aliquis magis appropinquat Deo in ipſa beatitudine, tanto maiori lumine gloriæ illuſtratur. Sed incorruptio virginitatis homines Deo proximos facit, Eccl. 15. *Quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet illum*, ſcilicet Chriſtum, qui eſt fons ſapientiæ, lux gratiæ, & ſplendor gloriæ. Eccl. 15. 2.

Secundò commendatur mulier deuota à religione mentis, quæ cogitat quæ Domini ſunt. Cogitare vero quæ Domini ſunt, eſt Dei præceptis intendere. Infirmus enim qui ſanari cupit, apud ſe diligenter cogitat facienda, quæ medicus præcepit. Idem homo præſtare debet, vt diuina adimpleat præcepta. Eccl. 3. *Quæ præcepit tibi deus illa cogita ſemper.* Deut. 6. *hæc meditaberis ſedens in domo tua, ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens.* Eccl 3. 22.

Item cogitat ille quæ ſunt Domini, qui ob oculos ſibi proponit ſupplicia peccatis debita, quæque pro nobis Chriſtus pertulit. 1. Pet. 4. *Chriſto in carne paſſo, & vos eadem* 1. Pet. 4 1.

cogitatione armamini. D. Bernar. Tanta est virtus passionis Christi, vt si in mente firmiter habeatur, nulla peccati iacula præualere possint in anima, sed in memoria eius, totus peccati & mortis fugatur exercitus. Postremò cogitat ille quæ Domini sunt, qui præmia virtutis & gratiæ, promissa in mentem sæpius reuocat. Psal. *Cogitaui dies antiquos & annos æternos, in mente habui.* Apes floribus insidentes mel attrahunt, sic iusti rebus æternis intenti suauitatem & dulcedinem maximam percipiunt: Quæ præmia cum sint abscondita ideò de sanctis viris dicitur Sap. 5. *Cogitatio illorum apud altißimum est.*

Cogitare quæ Domini sunt, quid.

Sap. 5. 16.

1. Cor. 7.

Tertio in auctorit. citata ostenditur sanctimonialis fœminæ puritas perfecta, in carne & vita, ideoque dicit, *vt sit sancta corpore & spiritu.* Medici dum in membris contrarias dispositiones percipiunt: putà frigiditatem in stomacho, in epate calorem nimium, tūc cōtraria adhibent medicamenta, quæ stomachū confortare possint: sic quia homo contrarijs dispositionibus afficitur in carne & spiritu, concupiscit enim caro aduersus spiritum, & spiritus aduersum carnem: homo debet spiritum sanctificare per actiones exteriores, putà per contritionem, confessionem, & orationē feruentem, & contemplationis dulcedinem. Item corpus sanctificare per actiones exteriores, hoc est, per abstinentiam, ieiunia & vigilias, disciplinas, & actiuæ vitæ labores. Atque hoc modo sanctificata dicere meritò po-

Sanctitas.

Psa. 62. 2.

terit illud Psal. 62. *Sitiuit in te anima mea.* Si liquorem pretiosum aliquis vasi imponat, illud lauat & mundat interiùs & exteriùs diligentissime, vt sit totum mundum & purum. Ita Deus liquorem gratiæ in fœmina religiosa recondere volens, omnibus modis, hoc est spiritu & corpore eam mundam & sanctam vult inueniri. 2. Cor. 7. 1. *Mūdemus nos ab omni inquinamento carnis* & spiritus Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati.* Sancti, sup. in spiritu, mūdi à peccatis spiritualibus & immaculati, id est, mundi à peccatis carnalibus. *ad Ephe. 1. 4.* *Pro. 31. 30.*

SECVNDÒ, ostendit in Themate assumpto, qualis fuit hæc nostra soror defuncta, per gratiam, *quia timens Deum.* Timorem Dei amplecti debet omnis soror, duplici ratione, debiti scilicet & lucri, Ratione quidem debiti, quia habet spōsum cœlestem Deum videlicet, quem multum revereri, & timere debet, vt potè quia sponsus non infirmus sed potentissimus, est non ignorans sed sapientissimus, nō remissus sed iustissimus. Ratione igitur potentiæ Deum timere debet vt sponsa virum suum tantò magis timet, quantò magis sibi nocere potest, hocque tantùm in temporalibus, vel corpore. Magis ergo timendus est Deus qui potest non solùm occidere corpus, sed etiam animam perdere & in æternum damnare. Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest corpus & animam per-* *Timor Dei.* *Matth. 10.*

& ingressum prohibere, & tamen nihil mali facit. Sic timor sine charitate videtur peccatum expellere, non tamen expellit: quia dicit D. August. manet in timore seruili peccandi voluntas, & sequeretur opus, si separetur im-

Eccles.1.17 punitas. Timor vero filialis est verus ostiarius ab ingressu cordis vitia deterrens claua terribili, hoc est, consideratione iudicij & inferni. Imo expellit vitia & peccata iam ingressa Eccl.1. *Timor Domini scientiæ religiositas. Religiositas custodiet & iustificabit cor.* Sup. à peccatis. Prouerb 3.7. *Time Deum & recede à malo.*

Pro.31.30. Tertio, Thema assumptũ mulierẽ religiosã futurã ostẽdit in memoria, quia laudabitur

Memoria iusti. etiam post mortem, *Memoria enim iusti cum laudibus*, Pro. 10. 8. & nõ solũ iusti viri, sed etiã iustæ mulieris memoria habetur laude digna. Cui studere debet omnis religiosa soror, vt

Psal. 33. 2. dicere possit illud Psal. 33. *In Domino laudabitur anima mea.* Ex quibus verbis colligitur, ad

1.Corint. 4.5. laudem perfectam Religiosæ mulieris tria cõcurrere. Primùm vt sit certa, & hoc est, quando fit in Domino, quæ enim est ab homine plerumque decipit, & est erronea 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

Eccl.11.30. Secundũ est, vt sit laus secura, in futuro videlicet sæculo. Eccl.11. *Ante mortẽ ne laudes hominẽ*, Et ratio est, quia talis laus nõ est tãta neque ex parte laudãtis, neque ex parte laudati,

parte laudantis, quia parit suspitionem, nec ex adulatione proficiscatur: adulatio enim peccatum est, & nocet ipsi laudanti. Ex parte laudati non est etiam tuta; quia est aliquando elationis causa, vnde dicitur Eccl. 11.2. *Ne laudes virum in specie sua.* Propterea Maximus dixit in quodam sermone, quod duplici ex causa vtilius est laudem dare memoriæ hominum, quàm vitæ, vt illo potissimum tempore, merita sanctitatis extollas, quando nec laudanti adulatio, nec laudatum tentat elatio. Et infra subdit. Quis autem viuens tutò possit laudari, quia de præterito meminit se habere quod doleat, & de futuro videt sibi superesse, quod timeat? Ideòque meritò Ecclesiasticus ait. *Ante mortem ne laudes quemquam*: Quasi diceret, sicut Maximus in quodam sermone. Lauda post periculum, prædica securam nauigantis fœlicitatem, sed cum peruenerit ad portum, lauda ducis virtutem, sed cum perductus fuerit ad triumphum.

Eccl. 11. 2.

Eccl. 11. 30.

Tertium quod requiritur ad perfectam laudem, est, quod sit vera non vana, quod fiet, si non sit de his quæ ad corpus spectant, vt de pulchritudine, fortitudine corporis, vel similibus, sed de rebus spiritualib⁹, ideo auctoritas dicit, *Laudabitur anima mea.* Quia vera laus in virtute & eius operibus cõsistit, quæ virtutes subiectiuè sunt in anima, de huiusmodi laude dicitur. Cant. 6. *Reginæ & concubinæ laudauerunt eam.* Reginæ sunt virtutes Theologicæ, fides, spes, & charitas: virtutes morales sunt

Laus vera mortui.

Cant. 6. 8.

quasi concubinæ, iustitia, prudentia, fortitudo, tēperantia. Item opera virtutum æstimantur laudabiliora, quæ ex animo, quàm ex corpore proficiscantur. De hac laude Prouerb. vl-
Prou.31.31. timo. *Laudent eam in portis opera eius.* De quibus dicitur, *Aperite mihi portas iustitiæ*: quarum vna est iudicij particularis, quod fit in morte, per quam Anima ingreditur, vitam æternam. Alia erit iudicij generalis, per quā, intrabunt, & corpora in vitam gloriosam ad quam nos ducat, qui sine fine viuit & regnat. AMEN.

IN FVNERE ALICVIVS IMPERATORIS.

2. Machab. 9.8.

THEMA.

Is qui videbatur fluctibus imperare, & montium altitudines in statera appendere, hinc humiliatus ad terram, in gestatorio portatur.
2. Machab. 9.

VVlgare est axioma inter Philosophos, contraria iuxta se posita magis elucescunt, sicut album magis apparet positū iuxta nigrum. Propterea in damnatis contrarias fore pœnas asserit scriptura sibi inuicem succedentes, vt vna magis ex altera sentiatur.
Iob.24.19. Iob. 24. *Transibunt* (inquit) *ab aquis niuium ad*

calorem nimium. Sic ex morte & obitu qualis fuerit vita nostra apparet. Ideoque de hoc nostro Serenissimo quondam Imperatore defuncto, duo in verbis propositis contraria descripta videntur.

Primò, sublimitas viuentis,

Deinde, humilitas morientis. Vt ex humilitate mortis, quàm modicum quid & exiguum fuerit sublimitas vitæ illius, manifestũ sit. Ait ergo, *Is qui videbatur fluctibus maris imperare.*

Primũ igitur, quod hic describitur est spectabile regnantis Dominium.

Secundum, flebile morientis excidium,

Tertium, humile pietatis officium.

Vt primum aggrediar, Dominiũ Imperij non tantùm ad homines & rectoris potestas, qui in terris imperãt, sed ad eos etiã, qui in mari dominantur, se extendit. Hinc est, quod imperator de nauigijs & naufragijs leges ponit, sicut patet ex constitutione Frederici, ad Dei & honorem imperij. §. nauigia, Quæ statuit, vt si casu rupta fuerint nauigia, nauigantium bona reseruẽtur illis, ad quos spectabant, ante naufragium ideo in consuetudine cõtraria cessante, nisi illi tyrannidem pyraticam exerceãt, & Christiano nomini vel Principi fuerint inimici, bonorum publicatione transgressores mulctentur, Vnde iuxta legem imperialem naufragijs nihil est auferendum, imo quicquid de naufragio repertum est, restitui debet. ff. de incen. in. naufrag. si quis ex naufragio, & ff. eo. l. 1. Statuit enim *Imperatq;*

Imperator legem de Publicanis teloneis, quæ sunt loca in portubus maris, vbi stant Publicani ad exigẽdum tributum nauticum: id est, quod de mercibus nauiũ exigitur, vt patet ff. de public. vectigal. Vectigalia, ex quibus legibus manifestum est, imperatorem dominiũ habere in mari, vt de eo dici possit Luc. 8. *Vẽtis & mari imperat & obediunt ei.* Nam per ventos, nauigantes quibus venti deseruiunt, intelligimus: Per mare, habitantes in mari, hoc est, in littoribus vel insulis maris, nisi tales sint, quæ Ecclesiæ domino subsint.

Luc. 8. 25.

Sed quid est quod in themate dicitur, *Videbatur imperare.* Nunquid vere an ficte? Respondeo dici imperare videbatur, vt imperium huius tẽporale fuisse, & breui finiendũ doceretur, 2. Cor 4. 18. *Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.* Iob. 20. *Transiet sicut visio nocturna.* Sup. 5. 9. *Transierunt illa omnia sicut vmbra,* scilicet honores, diuitiæ, voluptates, imperia, &c. Verum quia etiam imperatores hominibus in terris existentibus imperant, additur in Themate, *& montiũ altitudines,* id est, terrenorum principum potestates in statera sui iudicij appendere, hoc est eorum facta examinare, absoluere vel punire. Esa. *Liberauit in pondere montes.* id est, maiores principes, & colles in statera, id est potestates minores.

2. Mach. 9. 8.

Iob. 20. 8.

Imperia cito prætereunt.

Verùm qui aliorũ merita, in iudicij sui statera appẽdere solet in hoc seculo, in statera Domini iudicij ipse appẽsus est. Prouer. 16. *Pondus & statera iudicia Domini sunt.* In hac sta-

Prouer. 16.

tera multorũ imperiũ inuentũ eſt min⁹ habẽs ſecundũ illud Daniel.5. *Appenſus eſt in ſtatera, & inuentus eſt minus habens*, præcipuè propter defectũ temperantiæ. Siue propter peccatum luxuriæ, ſicut Octauiani, de quo Eutropius refert, qui cum eſſet cibi ac vini abſtinens, multũ tamẽ erat deditus libidini, ita vt inter duodecim puellas ſolit⁹ eſſet dormire, nihilominus hui⁹ vitij erat ſeueriſſim⁹ vltor. Siue propter gulæ intemperantiã, quemadmodũ ſicut Tyberij, qui cũ vocaretur Claudius Tyberius Nero, eleganter à quibuſdam propter intẽperantiã viri Cadius Biberius Nero appellatus eſt. Siue propter intemperantiam cibi, ſicut Vitellij, cuius tanta fuit voracitas, vt cum in die, ſæpius quinquies dicatur epulatus fuiſſe, tandem in quadam cæna quã ei parauit Metellus frater eius, duo millia piſcium, & ſeptem millia auium appoſita traduntur.

Daniel. 5. 27.

Quorundam verò imperiũ inuentũ eſt minus habens propter defectũ iuſtitiæ, ſicut Neronis, qui vt iniuſtus & impius, omnibus bonis ciuibus hoſtis fuit; Et infinitam partẽ Senatus iniuſtè interfecit, parricidia multa commiſit, Matre, vxore & fratribus interfectis, ſanctos etiam dei Apoſtolos Petrum & Paulum innocentes miſerè trucidauit.

Quorundam imperiũ inuentum eſt minus habere propter defectũ fortitudinis, vt Lucij Othonis, qui cũ à Vitellio prælio quodam victus fuiſſet, & tamen adhuc illi magnus exercitus ſupereſſet, ſuadentibus militibus vt be-

ne de exitu belli speraret: respondit se de victoria desperare, atque ita animi pusillanimitate fractus, sibi ipsi mortem intulit. Quis eum non omni animi fortitudine destitutum non crederet?

Alexandri magni imprudentia. Quorumdam inuentum est minus habens propter defectum prudentię, sicut Alexandri magni quem Seneca libr. de beneficijs, eum multiplici accusat imprudentia, propter quã quodam in loco, vocat eum vesanum & cũ temeritate fœlicem. Aequauit eũ Herculi, velut imprudentissimum adolescentem, cui pro veritate & virtute erat fœlix temeritas. Alio in loco, maxima stultitia eum arguit, velut quando cuidam militi vrbem amplissimã dono dedit, quam cum ille miles recusaret, tanquam donum suis meritis maxime inæquale, respondit Alexander, eius maiestatẽ & magnificẽtiam illud decere. Addit Seneca, vocem illam animosam & regiam fuisse, sed non sine imprudentia & stultitia prolatam, quia inter donũ & cui donatur proportio esse debet: cum igitur eo nõ fuerit dignus miles, ipsum etiam Alexandum dare non decebat.

Imperatores boni. Fuerunt multi alij imperatores, nedũ optimi & pijssimi Christiani, sed omnibus exornati virtutibus prudentia, iustitia, temperantia & fortitudine, vt Constantinus Magnus, Theodosius, & Iustinianus, & nonnulli alij, quos qui sequuntur & imitantur in imperij sui administratione & regimine in diuini iudicij statera non sunt inuenti minus haben-

tes. Ideoque dicere potuerunt illud Iob. 31. *Iob.9.8.*
Appendit me in statera iusta. *2.Machab. 9.8.*

Possemus alio modo præmissa verba, quæ in prima parte thematis continentur ad specialem laudem inflectere huius Serenissimi Imperatoris defuncti, de quo dicitur, *Is qui videbatur fluctibus maris imperare.* Quibus quidem verbis commendatur ex duobus.

Primò quidem de victoria hostium.

Fluctus enim quibus mare turbatur, hostes & rebelles significāt, quibus quidem ipse imperauit, eosque expugnando subiugauit, Iob. 9. *Qui graditur super fluctus maris.* *Iob.31.*

Secundò commendatur à virtutis dignitate & præstantia. Per altitudines enim montium intelliguntur Imperantium supremæ virtutes, quas iste appendit in statera, id est menti imprimere studuit, quæ vere erat vt statera districtissimè ponderans, & discernens singulorum merita vel demerita, vnde Psal. 94. *Altitudines montium ipsius sunt*, hoc est excellentes virtutes antiquorum Imperatorum, quas sibi cōparare multùm laborauit eas studiosè imitando: Fœlix igitur dicatur, qui clementiam Cesaris imitatur; Quem ait Eutropius, tantæ benignitatis fuisse, vt quos armis vicerat, clementia magis superauerit. *Psal.94.4.* *Clementia Cesaris*

Item liberalitatē Vespasiani, de quo idem Eutropius refert, nullam maiorē vel iustiorē, ante eū repertā fuisse. Item facilitatē Titi, qui tantæ facilitatis fuit, vt nihil quicquā petētib⁹ amicis negaret, qui cū à quibusdam propterea *Liberalitas Vespasiani.*

dere in gehennam.

Timendus Deus cure Item debet timeri iſte ſponſus ratione ſapientiæ, plus enim timet vxor vīrum ſuum, quæ ſcit nihil eum latere poſſe. Hic ſponſus Chriſtus eſt omnia ſint nuda & aperta oculis

3.Reg.3 28. eius.3.Reg.3.*Timuerūt regē Salomonem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo.* Item ratione iuſtitiæ, plus enim timent homines iudicem, quē ſciunt à iuſtitia non precibus nec prætio flecti poſſe. Vxor etiam habens virum zelotypum, implacabilem, & durum, vehementer

Pre.6.34. pertimeſcit: Talis eſt ſponſus Chriſtus, potiſſimum in mortē & extremo iudicio, Prouer. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiſcet cuiuſquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima.* quæ verba, gloſa exponit, de ſponſo cœleſti: vnde ille dicet ſpōſa. Timuit te ſciens, quia homo auſterus es.

Secundò, debet eum timere ratione lucri, quia Dei timor, eſt vtilis, admodum, per eum enim multa nobis bona acquiruntur & multa merita. Tob. 4. *Multa bona habebimus ſi timuerimus Deum, & receſſerimus à peccato.* In

Tob.4. 21. quibus tria facit.

Primò, præmittit meritorum multiplicationem.

Secundò, ſupponit Dei ſubiectionem.

Tertiò, verò, addit impedimenti ſubtractionem.

Timore diuini fructus. Per timorem Dei, multa bona cōſequimur cum ſit cauſa multiplicandi merita. Etenim timor Dei ad bene operandum mouet & ſol-

licitat, indequè merita sequitur. Ecc.15. *Qui timet Deum faciet bona*, Vbi D. Greg. *Timere Deum est nulla quæ faciẽda sunt præterire.* Et Eccl. 7. qui timet Deum nihil negligit. Eccle. 15 1.

Secundò, præsupponit Dei subiectionem, *si inquit timuerimus Deum.* Si quis præditus sit arte delectabili & grata, in operatione illius multũ est assiduus: ideoquè multa & plura lucratur: illud què est timere Deũ. Licet enim timor seruilis nihil delectationis habeat, quia est propter pœnam 1. Ioan. 4. *Charitas foras mittit timorem.* Tamen timor filialis & reuerentiæ, plurimum gaudij in se continet, quoniam ex dilectione & charitate Dei manat, quæcum delectatione facit operari, & per cõsequens, plus merer. Eccl. 1. 12. Timor *Domini delectabit cor.* Et Psal. 30. 24. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Glosa: quam impius non amisit, qui de febre iniquitatis, palatum cordis amisit. Timor seruilis. 1 Ioan. 4. 18.

Tertiò, in auctor. citata, proponitur exclusio impedimenti id est, peccati, quo meritum impeditur. vnde ait, & *Recesserimus à peccato:* quia stando in peccato, opera bona non essent meritoria, sed nec ostenderetur deum timere si ab eius offensis non desisteret. Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Est enim timor Domini, quasi quidam ianitor cordis. Verum discrimen est, quia timor seruilis est veluti ianitor pictus in portis diuitum, qui eleuata claua videtur percutere ingredientes, Tob. 4. 22. Eccle. 1.

& ingressum prohibere, & tamen nihil mali facit. Sic timor sine charitate videtur peccatum expellere, non tamen expellit: quia dicit D.August. manet in timore seruili peccandi voluntas,& sequeretur opus, si separetur impunitas. Timor verò filialis est verus ostiarius ab ingressu cordis vitia deterrens claua terribili,hoc est consideratione iudicij & inferni. Imo expellit vitia & peccata iam ingressa Eccl.1. *Timor Domini scientiæ religiositas. Religiositas custodiet & iustificabit cor.* Sup. à peccatis. Prouerb 3.7. *Time Deum & recede à malo.*

*Eccles.*1.17

*Pro.*31.30. Tertio, Thema assumptũ mulierẽ religiosã futurã ostẽdit in memoria, quia laudabitur etiam post mortem, *Memoria enim iusti cum laudibus*, Pro. 10. 8. & nõ solũ iusti viri, sed etiã iustæ mulieris memoria habetur laude digna. Cui studere debet omnis religiosa soror, vt dicere possit illud Psal. 33. *In Domino laudabitur anima mea.* Ex quibus verbis colligitur, ad laudem perfectam Religiosæ mulieris tria cõcurrere. Primùm vt sit certa, & hoc est, quando fit in Domino, quæ enim est ab homine plerumque decipit, & est erronea. 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

Memoria iusti.

Psal. 33. 2.

1.*Corint.* 4.5.

*Eccl.*11.30. Secundũ est, vt sit laus secura, in futuro videlicet sæculo. Eccl. 11. *Ante mortẽ ne laudes hominẽ*, Et ratio est, quia talis laus nõ est tãta neque ex parte laudãtis, neque ex parte laudati,

ex parte

parte laudantis, quia parit suspitionem, nec ex adulatione proficiscatur: adulatio enim peccatum est, & nocet ipsi laudanti. Ex parte laudati non est etiam tuta, quia est aliquando elationis causa, vnde dicitur Eccl. 11.2. *Ne laudes virum in specie sua.* Propterea Maximus dixit in quodam sermone, quod duplici ex causa vtilius est laudem dare memoriæ hominum, quàm vitæ, vt illo potissimum tempore, merita sanctitatis extollas, quando nec laudanti adulatio, nec laudatum tentat elatio. Et infra subdit. Quis autem viuens tutò possit laudari, quia de præterito meminit se habere quod doleat, & de futuro videt sibi superesse, quod timeat? Ideòque meritò Ecclesiasticus ait. *Ante mortem ne laudes quemquam*: quasi diceret, sicut Maximus in quodam sermone. Lauda post periculum, prædica securam nauigantis fœlicitatem, sed cum peruenerit ad portum, lauda ducis virtutem, sed cum perductus fuerit ad triumphum.

Eccl. 11. 2.

Eccl. 11. 30.

Laus vera mortui.

Tertium quod requiritur ad perfectam laudem, est, quod sit vera non vana, quod fiet, si non sit de his quæ ad corpus spectant, vt de pulchritudine, fortitudine corporis, vel similibus, sed de rebus spiritualibus, ideo auctoritas dicit, *Laudabitur anima mea.* Quia vera laus in virtute & eius operibus cõsistit, quæ virtutes subiectiuè sunt in anima, de huiusmodi laude dicitur. Cant. 6. *Regina & concubinæ laudauerunt eam.* Reginæ sunt virtutes Theologicæ, fides, spes, & charitas: virtutes morales sunt

Cant. 6. 8.

quasi concubinæ, iustitia, prudentia, fortitudo, tẽperantia. Item opera virtutum æstimantur laudabiliora, quæ ex animo, quàm ex corpore proficiscantur. De hac laude Prouerb. vl-
Prou. 31. 31. timo. *Laudent eam in portis opera eius.* De quibus dicitur, *Aperite mihi portas iustitiæ*: quarum vna est iudicij particularis, quod fit in morte, per quam Anima ingreditur, vitam æternam. Alia erit iudicij generalis, per quã, intrabunt, & corpora in vitam gloriosam ad quam nos ducat, qui sine fine viuit & regnat. AMEN.

IN FVNERE ALICVIVS IMPERATORIS.

2. Machab. 9. 8.

THEMA.

Is qui videbatur fluctibus imperare, & montium altitudines in statera appendere, hinc humiliatus ad terram, in gestatorio portatur. 2. Machab. 9.

VVlgare est axioma inter Philosophos, contraria iuxta se posita magis elucescunt, sicut album magis apparet positũ iuxta nigrum. Propterea in damnatis contrarias fore pœnas asserit scriptura sibi inuicem succedentes, vt vna magis ex altera sentiatur.
Iob. 24. 19. Iob. 24. *Transibunt* (inquit) *ab aquis niuium ad*

calorem nimium. Sic ex morte & obitu qualis fuerit vita nostra apparet. Ideoque de hoc nostro Serenissimo quondam Imperatore defuncto, duo in verbis propositis contraria descripta videntur.

Primò, sublimitas viuentis,

Deinde, humilitas morientis. Vt ex humilitate mortis, quàm modicum quid & exiguum fuerit sublimitas vitæ illius, manifestũ sit. Ait ergo, *Is qui videbatur fluctibus maris imperare.*

Primũ igitur, quod hic describitur est spectabile regnantis Dominium.

Secundum, flebile morientis excidium,

Tertium, humile pietatis officium.

Vt primum aggrediar, Dominiũ Imperij non tantùm ad homines & rectoris potestas, qui in terris imperãt, sed ad eos etiã, qui in mari dominantur, se extendit. Hinc est, quod imperator de nauigijs & naufragijs leges ponit, sicut patet ex constitutione Frederici, ad Dei & honorem imperij. §. nauigia, Quæ statuit, vt si casu rupta fuerint nauigia, nauigantium bona reseruẽtur illis, ad quos spectabant, ante naufragium ideo in consuetudine cõtraria cessante, nisi illi tyrannidem pyraticam exerceãt, & Christiano nomini vel Principi fuerint inimici, bonorum publicatione transgressores mulctentur, Vnde iuxta legem imperialem naufragijs nihil est auferendum, imo quicquid de naufragio repertum est, restitui debet. ff. de incen. in. naufrag. si quis ex naufragio, & ff. eo. l. 1. Statuit enim *Imperatq;*

Imperator legem de Publicanis teloneis, quæ sunt loca in portubus maris, vbi stant Publicani ad exigēdum tributum nauticum: id est, quod de mercibus nauiū exigitur, vt patet ff. de public. vectigal. Vectigalia, ex quibus legibus manifestum est, imperatorem dominiū
Luc.8.25. habere in mari, vt de eo dici possit Luc.8. *Ventis & mari imperat & obediunt ei.* Nam per ventos, nauigantes quibus venti deseruiunt, intelligimus: Per mare, habitantes in mari, hoc est, in littoribus vel insulis maris, nisi tales sint, quæ Ecclesiæ domino subsint.

2.Mach. 9.8. Sed quid est quod in themate dicitur, *Videbatur imperare.* Nunquid vere an ficte? Respondeo dici imperare videbatur, vt imperium huius tēporale fuisse, & breui finiendū doceretur, 2. Cor 4.18. *Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.* Iob. 20.
Iob.20.8. *Transiet sicut visio nocturna.* Sup. 5.9. *Transierunt illa omnia sicut vmbra,* scilicet honores, diuitiæ, voluptates, imperia, &c. Verum quia etiam
Imperia cito prætereunt. imperatores hominibus in terris existentibus imperant, additur in Themate, *& montiū altitudines,* id est, terrenorum principum potestates in statera sui iudicij appendere, hoc est eorum facta examinare, absoluere vel punire. Esa. *Liberauit in pondere montes,* id est, maiores principes, & colles in statera, id est potestates minores.

Prouer.16. Verùm qui aliorū merita, in iudicij sui statera appēdere solet in hoc seculo, in statera Domini iudicij ipse appēsus est. Prouer.16. *Pondus & statera iudicia Domini sunt.* In hac sta-

tera multorũ imperiũ inuentũ eſt min⁹ habẽs ſecundũ illud Daniel. 5. *Appenſus eſt in ſtatera, & inuentus eſt minus habens*, præcipuè propter defectũ temperantiæ. Siue propter peccatum luxuriæ, ſicut Octauiani, de quo Eutropius refert, qui cum eſſet cibi ac vini abſtinens, multũ tamẽ erat deditus libidini, ita vt inter duodecim puellas ſolit⁹ eſſet dormire, nihilominus hui⁹ vitij erat ſeueriſſim⁹ vltor. Siue propter gulæ intemperantiã, quemadmodũ ſicut Tyberij, qui cũ vocaretur Claudius Tyberius Nero, eleganter à quibuſdam propter intẽperantiã viri Cadius Biberius Nero appellatus eſt. Siue propter intemperantiam cibi, ſicut Vitellij, cuius tanta fuit voracitas, vt cum in die, ſæpius quinquies dicatur epulatus fuiſſe, tandem in quadam cæna quã ei parauit Metellus frater eius, duo millia piſcium, & ſeptem millia auium appoſita traduntur.

Daniel. 5. 27.

Quorundam verò imperiũ inuentũ eſt minus habens propter defectũ iuſtitiæ, ſicut Neronis, qui vt iniuſtus & impius, omnibus bonis ciuibus hoſtis fuit; Et infinitam partẽ Senatus iniuſtè interfecit, parricidia multa commiſit, Matre, vxore & fratribus interfectis, ſanctos etiam dei Apoſtolos Petrum & Paulum innocentes miſerè trucidauit.

Quorundam imperiũ inuentum eſt minus habere propter defectũ fortitudinis, vt Lucij Othonis, qui cũ à Vitellio prælio quodam victus fuiſſet, & tamen adhuc illi magnus exercitus ſupereſſet, ſuadentibus militibus vt be-

ne de exitu belli ſperaret: reſpondit ſe de victoria deſperare, atque ita animi puſillanimitate fractus, ſibi ipſi mortem intulit. Quis eum non omni animi fortitudine deſtitutum non crederet?

Alexandri magni imprudentia.

Quorumdam inuentum eſt minus habens propter defectum prudentię, ſicut Alexandri magni quem Seneca libr. de beneficijs, eum multiplici accuſat imprudentia, propter quã quodam in loco, vocat eũm veſanum & cũ temeritate fœlicem. Aequauit eũ Herculi, velut imprudentiſſimum adoleſcentem, cui pro veritate & virtute erat fœlix temeritas. Alio in loco, maxima ſtultitia eum arguit, velut quando cuidam militi vrbem ampliſſimã dono dedit, quam cum ille miles recuſaret, tanquam donum ſuis meritis maxime inæquale, reſpondit Alexander, eius maieſtatẽ & magnificẽtiam illud decere. Addit Seneca, vocem illam animoſam & regiam fuiſſe, ſed non ſine imprudentia & ſtultitia prolatam, quia inter donũ & cui donatur proportio eſſe debet: cum igitur eo nõ fuerit dignus miles, ipſum etiam Alexandum dare non decebat.

Imperatores boni.

Fuerunt multi alij imperatores, nedũ optimi & pijſſimi Chriſtiani, ſed omnibus exornati virtutibus prudentia, iuſtitia, temperantia & fortitudine, vt Conſtantinus Magnus, Theodoſius, & Iuſtinianus, & nonnulli alij, quos qui ſequuntur & imitantur in imperij ſui adminiſtratione & regimine in diuini iudicij ſtatera non ſunt inuenti minus haben-

tes. Ideoque dicere potuerunt illud Iob. 31. *Appendit me in statera iusta.* Iob. 9. 8.

Possemus alio modo præmissa verba, quæ in prima parte thematis continentur ad specialem laudem inflectere huius Serenissimi Imperatoris defuncti, de quo dicitur, *Is qui videbatur fluctibus maris imperare.* Quibus quidem verbis commendatur ex duobus. 2. Machab. 9. 8.

Primò quidem de victoria hostium.

Fluctus enim quibus mare turbatur, hostes & rebelles significāt, quibus quidem ipse imperauit, eosque expugnando subiugauit, Iob. 9. *Qui graditur super fluctus maris.* Iob 31.

Secundò commendatur à virtutis dignitate & præstantia. Per altitudines enim montium intelliguntur Imperantium supremæ virtutes, quas iste appendit in statera, id est menti imprimere studuit, quæ vere erat vt statera districtissimè ponderans, & discernens singulorum merita vel demerita, vnde Psal. 94. *Altitudines montium ipsius sunt*, hoc est excellentes virtutes antiquorum Imperatorum, quas sibi cōparare multùm laborauit eas studiosè imitando: Fœlix igitur dicatur, qui clementiam Cesaris imitatur; Quem ait Eutropius, tantæ benignitatis fuisse, vt quos armis vicerat, clementia magis superauerit. Psal. 94. 4. Clementia Cesaris

Item liberalitatē Vespasiani, de quo idem Eutropius refert, nullam maiorē vel iustiorē, ante eū repertā fuisse. Item facilitatē Titi, qui tantæ facilitatis fuit, vt nihil quicquā petētib⁹ amicis negaret, qui cū à quibusdam propterea Liberalitas Vespasiani.

argueretur. Respondit nullũ tristẽ ab imperatore discedere debere. Item comitatẽ Traiani qui cum propter eandẽ culparetur, respõdit: talem se priuatis esse imperatorẽ, qualem sibi priuatus exoptat. Item facundiam Adriani, qui græco & latino sermone facũdissimus erat. Item deuotionem Theodosij, qui tantæ fuit pietatis, vt Christianus imperator suos magis ieiunijs, oratione, quam armis, & militum multitudine, hostes suos prostrauit. Item sapientiam Iustiniani: Qui per Agapitum Papam ab errore Euthichetis reuocatus, leges condidit, codicem & digesta compilauit. De his igitur Gen. 8. legimus, *Apparuerunt cacumina montium*, id est, supernæ virtutes imperatorum, & tunc est mons Imperator in vertice montium, id est in altitudine virtutum aliorum imperatorum.

Imperatorum virtutes. *Gen.8.5.* 2.Mach. 89.

Secundò, in temate describitur flebile mortis excidium, quia humiliatus per mortem. Ista humiliatio est ex diuina sententia, propter primorũ parentum peccatum, quod fuit superbia, Gen. 4. At rationi videtur cõsentaneum, vt qui voluerunt indebitè extolli vsque à summo ad infimum vsque deprimàtur. Psal. 146. *Humilians autem peccatores vsque ad terram.* In quibus quidẽ verbis tria tanguntur.

Humiliatio Imperatoris. Ps. 146. 6.

Primò, quidem punientis iudicium.

Secundò, humiliati peccatoris meritum.

Tertiò, resolutionis terminum.

Iudicium ergo Dei punientis est, per mortẽ humiliatio. In ea enim, quia priuatur omnib⁹

carnalib⁹ delicijs, honoribus & diuitijs. Vnde quantò altior est dignitas, tantò grauior & durior est deiectio. Atqui defunctus noster Imperator à summo honoris gradu, morte est deturbatus, ideo id vsurpari potest. Psal. 37. *Ego autem humiliatus sum nimis.* *Psal. 37 8.*

Obseruandum est stellas in firmamento fixas, numquam de cœlo cadere posse. Arbores verò in terra existentes licet profundiùs radicatæ, succidi possunt. Sic qui gloria cœlesti fruuntur, nusquam ab ea deijciuntur, aut humiliantur, quia sunt cum Deo vniti, à quo separari nequaquam possunt. At verò gloria & Imperio in terra micantes, quia hæc habẽt ab hominib⁹, sæpissimè ab his deturbãtur. Es. 45. 2. *Gloriosos terræ humiliabo*, saltẽ per mortẽ. *Similitudo.* *Esa 45 2.*

Secundò, ponitur in autoritate allegata, quia *peccatores*. Sed quæritur cum ipse loquatur de humiliatione mortis, *quæ est vsque ad terram*, id est, vsque ad resolutionem corporis in terram, quæ est communis iustis & improbis Cur igitur de peccatorib. loquitur potius quàm de aliis? Respondeo hoc dictum, propter hominis primum peccatum. Nam Deus creauit primos parentes in iustitia originali, in qua si perseuerassent, in terram, morte non fuissent resoluti, sed in cœlum assumpti, sine vllo mortis sensu seu tristitia. At vero peccante Adamo: Audi quid dicat D. Paul. Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, quia per delictum peccatores constituti sunt multi:* Nam in Adam omnes peccauerunt, & per *Psal. 146 4.* *Rom. 5 12.*

peccatum, mors etiam in omnes pertransijt, & per consequens resolutio interram. Ideoq.

Gen. 3. 19. post peccatum Adæ Deus dixit, Gen. 3. *Reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Vnde quia humiliatio per mortē consecuta est ex originali peccato, in quo omnes effecti sunt peccatores, talis peccatoribus attribuitur humiliatio.

Humiliatio ex mortis consideratione.

Tertiò, ponit in auctoritate allegata resolutionis terminum, quia vsque ad terram. Ex cuius materiæ consideratione multum sese humiliare & deijcere debeat. Eccl. 10. 10. *Quid superbis terra & cinis?* Psal. 43. 27. *Humiliata est in puluere anima mea*, id est in considera-tione pulueris, in quam resoluendi sumus. Sequitur, & conglutinatus est in terra venter noster, id est, terræ coniunctus, putà, quando sepelietur in terra, vel resoluitur in terram.

Psa. 43. 27.

2. Mach. 9. 8. TERTIO, in themate assumpto ponitur humile pietatis officium, scilicet corpus ad sepulchrum deferre, illud enim est humilitatis & misericordiæ: hinc ait in gestatorio portabitur, id est, feretro. Porrò portari in gestatorio aliquando est opus diuinę seueritatis, vt

2. Mac. 3. 25. legitur de Heliodoro 2. Mach. 3. vbi habetur quod cū Heliodorus veniret Hierosolymam, vt ærariū tēpli expoliaret, apparuit illi equus, optimis operimentis adornatus, terribilem habens sessorem: Isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit: Alij etiam apparuerunt duo iuuenes decori optimi gloria, speciosique aspectu, qui circunsteterunt eum, &

ex vtraque parte flagellabant sine intermissione multis plagis verberantes: Subitò autem Heliodorus cecidit in terram, eumque multa caligine circumfusũ rapuerunt, atque in sella gestatoria positum eiecerunt: Et is qui cum multis & cursoribus & prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferẽte, manifesta Dei cognita virtute.

Aliquando sic portari est opus humanæ pietatis, Tob. 2. *Tobias relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus, tollensq. in domum suam, portauit occultè, vt cùm sol occubuisset cautè sepeliret illud.* In quo opere diuersæ virtutes relucere videntur. Primo relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus, quæ actio est abstinentiæ. Quę quidem tantò magis meritoria fuit, quantò maiori ex charitate processit: quę quidẽ charitas ex eo manifesta est, quod ad exhibendam proximo sepulturam, propria reliquit commoda, quia charitas non quærit quæ sua sunt: Et qui negligit damnum propter amicum, iustus est. *Tob. 2. 3.*

Secundò, actus prudentię notatur, in obseruando tẽpus & locum, in quo occultaret ne impediretur, vnde tollens illud portauit in domũ suã occultè. Ergo pietas quæ viuis exhibetur Deo non solùm placet, sed etiam quæ corporib. mortuorum, sup. propter spem resurrectionis. Idẽ prudentia vsus est, quãdo seruauit tempus cõgruum, quia sepeliuit cautè, dum sol occubuisset, id est, nocte, scilicet ne videretur, & ad regem deferretur: A quo iam *Sepultura opus Deo placens.*

Tob. 1. 9. propter simile opus iussus erat interfici, vt habetur Tob. 1. 22. Sed tanta erat eius pietas, vt iteratò se periculo exposuit, aliquod simile opus faciendo. Quia vt dicitur Tob. 2. *Tobias plus timens erat Deum, quam homines, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & medijs noctibus sepeliebat ea.*

Tertiò, commendatur in auctoritate superiùs allegata Tob. 2. Ab actu misericordiæ,
Tob. 1. 20. cum dicitur, vt sepeliret eum. Tob. 1. *Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis, sepulturam sollicitus exhibebat.* Porro sepultura defunctis prodest, nisi quatenus in memoriã reuocat defunctos, vt oretur pro eis: Vnde monimentum à memoria nomen accipit, dicitur enim monimentum, quia monet mentem, vt ait D. Augustinus lib. 1. de ciuitate Dei. Quod etiam defunctus in loco sacro sepeliatur, non prodest, nisi in quantum alicuius sancti patrocinio committitur, cuius precibus credendus est adiuuari. Potest autẽ sepultura sacri loci obesse impio defuncto, si talem sepulturam sibi indignam, propter hominum gloriam procurauerit. Quæ vero ad ornatum sepulturę ordinantur, prosunt defuncto per accidens, in quantum scilicet, huiusmodi homines excitantur ad compatiendum, & per consequens ad orandum pro eis: vel in quantum ex sumptibus sepulturæ, vel pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur. Sepelientes verò quid
Tob. 12. 12. vtilitatis percipiunt colligi potest ex Tob.

cap.12. *Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum, & mortuos per diem abscondebas in domo tua & nocte sepeliabas*, Ego obtuli orationē tuam Domino, de qua Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus Ad quam Deus Optimus, Maximus nos perducat. Amen.

IN FVNERE ALICVIVS REGIS.

THEMA.

Rex hodie est, & cras morietur, cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias & vermes. Eccl. 10. 12. *Eccle.10.12*

AIT Boëtius in libro de consolatione: Non quod ante oculos positum est, sufficit intueri, sed rerum exitus prudentia metitur. Ratio est, quia ad prudentem pertinet, ea quæ sunt, ad finem dirigere & ordinare. Vnde medicus dicitur prudens, qui dat medicinam, quæ sanum ægrotum efficit, eo quod sanitas sit finis medicinæ. Posita verò ante oculos præsētia sunt, exitus autē futurū dicit, vel quid vltimū scilicet finem rei. Ergo ita se habent præsentia ad exitus rerum, sicut ea, quæ sunt ad finem, ad quem dirigi nō possunt, nisi prius cognoscantur. Velut sagittarius nusquam sagittam diriget, nisi signum intueatur & cognoscat. Homo ergo imprudens, magni- *Prudentia ad finem dirigit.*

Imperator legem de Publicanis teloneis, quæ sunt loca in portubus maris, vbi stant Publicani ad exigẽdum tributum nauticum: id est, quod de mercibus nauiũ exigitur, vt patet ff. de public. vectigal. Vectigalia, ex quibus legibus manifestum est, imperatorem dominiũ habere in mari, vt de eo dici possit Luc. 8. *Vẽtis & mari imperat & obediunt ei.* Nam per ventos, nauigantes quibus venti deseruiunt, intelligimus: Per mare, habitantes in mari, hoc est, in littoribus vel insulis maris, nisi tales sint, quæ Ecclesiæ domino subsint.

Luc. 8. 25.

Sed quid est quod in themate dicitur, *Videbatur imperare.* Nunquid vere an ficte? Respondeo dici imperare videbatur, vt imperium huius tẽporale fuisse, & breui finiendũ doceretur, 2. Cor 4. 18. *Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.* Iob. 20. *Transiet sicut visio nocturna.* Sup. 5. 9. *Transierunt illa omnia sicut vmbra*, scilicet honores, diuitiæ, voluptates, imperia, &c. Verum quia etiam imperatores hominibus in terris existentibus imperant, additur in Themate, *& montiũ altitudines*, id est, terrenorum principum potestates in statera sui iudicij appendere, hoc est eorum facta examinare, absoluere vel punire. Esa. *Liberauit in pondere montes.* id est, maiores principes, & colles in statera, id est potestates minores.

2. Mach. 9. 8.

Iob. 20. 8.

Imperia citò prætereunt.

Verùm qui aliorũ merita, in iudicij sui statera appẽdere solet in hoc seculo, in statera Domini iudicij ipse appẽsus est. Prouer. 16. *Pondus & statera iudicia Domini sunt.* In hac sta-

Prouer. 16.

tera multorũ imperiũ inuentũ est min⁹ habẽs secundũ illud Daniel. 5. *Appensus est in statera, & inuentus est minus habens*, præcipuè propter defectũ temperantiæ. Siue propter peccatum luxuriæ, sicut Octauiani, de quo Eutropius refert, qui cum esset cibi ac vini abstinens, multũ tamẽ erat deditus libidini, ita vt inter duodecim puellas solit⁹ esset dormire, nihilominus hui⁹ vitij erat seuerissim⁹ vltor. Siue propter gulæ intemperantiã, quemadmodũ sicut Tyberij, qui cũ vocaretur Claudius Tyberius Nero, eleganter à quibusdam propter intẽperantiã viri Cadius Biberius Nero appellatus est. Siue propter intemperantiam cibi, sicut Vitellij, cuius tanta fuit voracitas, vt cum in die, sæpius quinquies dicatur epulatus fuisse, tandem in quadam cœna quã ei parauit Metellus frater eius, duo millia piscium, & septem millia auium apposita traduntur. *Daniel. 5. 27.*

Quorundam verò imperiũ inuentũ est minus habens propter defectũ iustitiæ, sicut Neronis, qui vt iniustus & impius, omnibus bonis ciuibus hostis fuit; Et infinitam partẽ Senatus iniustè interfecit, parricidia multa commisit, Matre, vxore & fratribus interfectis, sanctos etiam dei Apostolos Petrum & Paulum innocentes miserè trucidauit.

Quorundam imperiũ inuentum est minus habere propter defectũ fortitudinis, vt Lucij Othonis, qui cũ à Vitellio prælio quodam victus fuisset, & tamen adhuc illi magnus exercitus superesset, suadentibus militibus vt be-

tes. Ideoque dicere potuerunt illud Iob. 31. *Iob.9.8.*
Appendit me in statera iusta.

Possemus alio modo præmissa verba, quæ in prima parte thematis continentur ad specialem laudem inflectere huius Serenissimi Imperatoris defuncti, de quo dicitur, *Is qui videbatur fluctibus maris imperare.* Quibus quidem verbis commendatur ex duobus. *2. Machab. 9.8.*

Primò quidem de victoria hostium.

Fluctus enim quibus mare turbatur, hostes & rebelles significãt, quibus quidem ipse imperauit, eosque expugnando subiugauit, Iob. 9. *Qui graditur super fluctus maris.* *Iob 31.*

Secundò commendatur à virtutis dignitate & præstantia. Per altitudines enim montium intelliguntur Imperantium supremæ virtutes, quas iste appendit in statera, id est menti imprimere studuit, quæ vere erat vt statera districtissimè ponderans, & discernens singulorum merita vel demerita, vnde Psal. 94. *Altitudines montium ipsius sunt*, hoc est excellentes virtutes antiquorum Imperatorum, quas sibi cõparare multùm laborauit eas studiosè imitando: Fœlix igitur dicatur, qui clementiam Cesaris imitatur; Quem ait Eutropius, tantæ benignitatis fuisse, vt quos armis vicerat, clementia magis superauerit. *Psal. 94.4.* *Clementia Cæsaris*

Item liberalitatẽ Vespasiani, de quo idem Eutropius refert, nullam maiorẽ vel iustiorẽ, ante eũ repertã fuisse. Item facilitatẽ Titi, qui tantæ facilitatis fuit, vt nihil quicquã petẽtib⁹ amicis negaret, qui cũ àquibusdam propterea *Liberalitas Vespasiani.*

arguererur. Respondit nullũ tristẽ ab imperatore discedere debere. Item comitatẽ Traiani qui cum propter eandẽ culparetur, respõdit: talem se priuatis esse imperatorẽ, qualem sibi priuatus exoptat. Item facundiam Adriani, qui græco & latino sermone facũdissimus erat. Item deuotionem Theodosij, qui tantæ fuit pietatis, vt Christianus imperator suos magis ieiunijs, oratione, quam armis, & militum multitudine, hostes suos prostrauit. Item sapientiam Iustiniani: Qui per Agapitum Papam ab errore Euthichetis reuocatus, leges condidit, codicem & digesta compilauit. De his igitur Gen. 8. legimus, *Apparuerunt cacumina montium*, id est, supernæ virtutes imperatorum, & tunc est mons Imperator in vertice montium, id est in altitudine virtutum aliorum imperatorum.

Imperatorum virtutes. *Gen. 8. 5.* *2. Mach. 89.*

Secundò, in temate describitur flebile mortis excidium, quia humiliatus per mortem. Ista humiliatio est ex diuina sententia, propter primorũ parentum peccatum, quod fuit superbia, Gen. 4. At rationi videtur cõsentaneum, vt qui voluerunt indebitè extolli vsque à summo ad infimum vsque deprimàtur. Psal. 146. *Humilians autem peccatores vsque ad terram.* In quibus quidẽ verbis tria tanguntur.

Humiliatio Imperatoris. *Ps. 146. 6.*

Primò, quidem punientis iudicium.
Secundò, humiliati peccatoris meritum.
Tertiò, resolutionis terminum.

Iudicium ergo Dei punientis est, per mortẽ humiliatio. In ea enim, quia priuatur omnib⁹

carnalib⁹ delicijs, honoribus & diuitijs. Vnde quantò altior est dignitas, tantò grauior & durior est deiectio. Atqui defunctus noster Imperator à summo honoris gradu, morte est deturbatus, ideo id vsurpari potest. Psal. 37. *Ego autem humiliatus sum nimis.* *Psal. 37 8.*

Obseruandum est stellas in firmamento fixas, numquam de cœlo cadere posse. Arbores verò in terra existentes licet profundiùs radicatæ, succidi possunt. Sic qui gloria cœlesti fruuntur, nusquam ab ea deijciuntur, aut humiliantur, quia sunt cum Deo vniti, à quo separari nequaquam possunt. At verò gloria & Imperio in terra micantes, quia hæc habẽt ab hominib⁹, sæpissimè ab his deturbãtur. Es. 45. 2. *Gloriosos terræ humiliabo,* saltẽ per mortẽ. *Similitudo.* *Esa 45. 2.*

Secundò, ponitur in autoritate allegata, quia *peccatores.* Sed quæritur cum ipse loquatur de humiliatione mortis, *quæ est vsque ad terram,* id est, vsque ad resolutionem corporis in terram, quæ est communis iustis & improbis. Cur igitur de peccatorib. loquitur potius quàm de aliis? Respondeo hoc dictum, propter hominis primum peccatum. Nam Deus creauit primos parentes in iustitia originali, in qua si perseuerassent, in terram, morte non fuissent resoluti, sed in cœlum assumpti, sine vllo mortis sensu seu tristitia. At vero peccante Adamo: Audi quid dicat D. Paul. Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, quia per delictum peccatores constituti sunt multi:* Nam in Adam omnes peccauerunt, & per *Psal. 146 6.* *Rom. 5 12.*

peccatum, mors etiam in omnes pertransijt, & per consequens resolutio in terram. Ideoq.
Gen. 3. 19. post peccatum Adæ Deus dixit, Gen. 3. *Reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Vnde quia humiliatio per mortē consecuta est ex originali peccato, in quo omnes effecti sunt peccatores, talis peccatoribus attribuitur humiliatio.

Humiliatio ex mortis consideratione.

Tertiò, ponit in auctoritate allegata resolutionis terminum, quia vsque ad terram. Ex cuius materiæ consideratione multum sese humiliare & deijcere debeat: Eccl. 10. 10.
Psa. 43. 27. *Quid superbis terra & cinis?* Psal. 43. 27. *Humiliata est in puluere anima mea*, id est in consideratione pulueris, in quam resoluendi sumus. Sequitur, & conglutinatus est in terra venter noster, id est, terræ coniunctus, putà, quando sepelietur in terra, vel resoluitur in terram.

1. Mach. 9. 8 TERTIO, in themate assumpto ponitur humile pietatis officium, scilicet corpus ad sepulchrum deferre, illud enim est humilitatis & misericordiæ: hinc ait in gestatorio portabitur, id est, feretro. Porrò portari in gestatorio aliquando est opus diuinę seueritatis, vt
2. Mac. 3. 25. legitur de Heliodoro 2. Mach. 3. vbi habetur quod cū Heliodorus veniret Hierosolymam, vt ærariū tēpli expoliaret, apparuit illi equus, optimis operimentis adornatus, terribilem habens sessorem: Isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit: Alij etiam apparuerunt duo iuuenes decori optimi gloria, speciosique aspectu, qui circunsteterunt eum, &

ex vtraque parte flagellabant sine intermissione multis plagis verberantes: Subitò autem Heliodorus cecidit in terram, eumque multa caligine circumfusũ rapuerunt, atque in sella gestatoria positum eiecerunt: Et is qui cùm multis & cursoribus & prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferẽte, manifesta Dei cognita virtute.

Aliquando sic portari est opus humanæ pietatis, Tob.2. *Tobias relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus, tollensq. in domum suam, portauit occultè, vt cùm sol occubuisset cautè sepeliret illud.* In quo opere diuersæ virtutes relucere videntur. Primò relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus, quæ actio est abstinentiæ. Quę quidem tantò magis meritoria fuit, quantò maiori ex charitate processit: quę quidẽ charitas ex eo manifesta est, quod ad exhibendam proximo sepulturam, propria reliquit commoda, quia charitas non quærit quæ sua sunt: Et qui negligit damnum propter amicum, iustus est. *Tob.2 3.*

Secundò, actus prudentię notatur, in obseruando tẽpus & locum, in quo occultaret ne impediretur, vnde tollens illud portauit in domũ suã occultè. Ergo pietas quæ viuis exhibetur Deo non solùm placet, sed etiam quæ corporib. mortuorum, sup. propter spem resurrectionis. Idẽ prudentia vsus est, quãdo seruauit tempus cõgruum, quia sepeliuit caute, dum sol occubuisset, id est, nocte, scilicet ne videretur, & ad regem deferretur: A quo iam *Sepultura opus Deo placens.*

propter simile opus iussus erat interfici, vt
Tob.2.9. habetur Tob.1.22. Sed tanta erat eius pietas, vt iteratò se periculo exposuit, aliquod simile opus faciendo. Quia vt dicitur Tob.2. *Tobias plus timens erat Deum, quam homines, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea.*

Tertiò, commendatur in auctoritate superiùs allegata Tob. 2. Ab actu misericordiæ,
Tob.1.20. cum dicitur, vt sepeliret eum. Tob.1. *Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis, sepulturam sollicitus exhibebat.* Porro sepultura defunctis prodest, nisi quatenus in memoriã reuocat defunctos, vt oretur pro eis: Vnde monimentum à memoria nomen accipit, dicitur enim monimentum, quia monet mentem, vt ait D. Augustinus lib.1. de ciuitate Dei. Quod etiam defunctus in loco sacro sepeliatur, non prodest, nisi in quantum alicuius sancti patrocinio committitur, cuius precibus credendus est adiuuari. Potest autẽ sepultura sacri loci obesse impio defuncto, si talem sepulturam sibi indignam, propter hominum gloriam procurauerit. Quæ vero ad ornatum sepulturę ordinantur, prosunt defuncto per accidens, in quantum scilicet, huiusmodi homines excitantur ad compatiendum, & per consequens ad orandum pro eis: vel in quantum ex sumptibus sepulturæ, vel pauperes fructum capiunt, vel Ecclesia decoratur. Sepelientes verò quid
Tob.12.12. vtilitatis percipiunt colligi potest ex Tob.

cap.12. *Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum, & mortuos per diem abscondebas in domo tua & nocte sepeliabas*, Ego obtuli orationẽ tuam Domino, de qua Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus Ad quam Deus Optimus, Maximus nos perducat. Amen.

IN FVNERE ALICVIVS REGIS.

THEMA.

Rex hodie est, & cras morietur, cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias & vermes. Eccl.10.12. *Eccle.*10.12

AIT Boëtius in libro de consolatione: Non quod ante oculos positum est, sufficit intueri, sed rerum exitus prudentia metitur. Ratio est, quia ad prudentem pertinet, ea quæ sunt, ad finem dirigere & ordinare. Vnde medicus dicitur prudens, qui dat medicinam, quæ sanum ægrotum efficit, eo quod sanitas sit finis medicinæ. Posita verò ante oculos præsẽtia sunt, exitus autẽ futurũ dicit, vel quid vltimũ scilicet finem rei. Ergo ita se habent præsentia ad exitus rerum, sicut ea, quæ sunt ad finem, ad quem dirigi nõ possunt, nisi prius cognoscantur. Velut sagittarius nusquam sagittam diriget, nisi signum intueatur & cognoscat. Homo ergo imprudens, magni- *Prudentia ad finem dirigit.*

ficentiam, gloriam, & opes regias ante oculos tantum sibi ponens, non considerato mortis exitu, fœlicem Regem existimat. Prudens vero qui rerum exitus metitur, & mortem celerem, & calamitosam, Regiam dignitatem formidabilem, nec vllo modo expetendam censet. Quia inquit Sapiens *Rex hodie est, & cras morietur, &c.* In quibus verbis tria describuntur.

Prudens rerum exitus metitur.

Primũ est, excellẽtia venerabilis dignitatis.

Secundum est, celeritas terribilis corruptibilitatis.

Tertiũ, consequẽtia originalis calamitatis.

Regiæ dignitas venerabilis.

Præmittitur ergo excellẽtia Regiæ dignitatis, *Quia Rex.* hæc dignitas tantò efficitur venerabilior, quantò Rex est iustior, potentior, sapientior & humilior. Ratio primi est, quia Rex plurimùm à subditis honoratur, si mala & nocumenta à Republica depellat, Prouerb. 20. *Rex qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu sui*: quod contingit, quãdo iustitiam curat obseruandam, cuique suum Ius reddendo. Ait enim Aristot. 5. Ethicorum homines ad iudicium confugiunt, sicut ad quandam iustitiam animatam: Psal. *Iustitia conuertatur in iudicium, & talis dissipat omne malum.* quia cohibet & reprimit malos, qui aliorum iura diripiunt, & rempublicam perturbant: Psal. 98. *Honor Regis iudicium diligit.* Hoc figuratum est in Salomone, cui Regina Sabba dixit 2. Paral. 9. *Idcircò posuit te Deus Regem, vt facias iudicia & iustitiam.*

Prou. 20. 8.

Psal. 98. 3.

2. Par. 9. 8.

Ratio verò secundi est, quia quantò Rex potentior est, tanto magis timetur, & reueretur Psal. 23. *Fortis & potens ipse est Rex gloriæ*, id est, glorificatur & honoratur à subditis.

Ratio tertij est, quia Rex tanto est siue venerablior, quantò per eum melior status & perfectior stabilitur & conseruatur. Sap. 6. 26. *Rex sapiens populi stabilimentum.* E contrario, Eccl. 10. *Rex insipiens perdit populum.* Roboam est exemplo 3. Reg. 12. qui propter insipientiam populum perdidit. Ergo quantò Rex sapientior, tanto venerabilior.

Ratio quarti, quia Regum comitas & affabilitas omnib. grata est & iucunda, *& odibilis est coram Deo hominibus superbia* Eccl. 10. 7. quod in Diabolo manifestum est, de quo Iob. 41. *Ipse est* Rex *super omnes filios superbiæ.* Humilitas vero hominem Deo gratum & charum hominibus reddit. Vnde Eccl. 3. 10. monet Sapiens Regem & quemlibet magnum & principem his verbis, *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Hoc figuratum est, in Rege Babylonis, de quo dicitur, Ezech. 17. *Fortes terræ tollet, vt sit regnum humile, & non eleuetur.*

Eccle. 10. 3.

Iob. 41. 25.

Ezec. 17. 1

Porrò licet hæ omnes virtutes in nostro Rege illustrissimo fuerint, dum viueret, eo mortuo, pariter cum eo, videntur nobis sublatæ. Vbinam modo eius iustitia? Vbi eius potentia? vbi sapientia? vbi eius humilitas? Esa. 37. *Vbi est Rex Emath, & Rex Saphat, &*

Esa. 37. 17.

Rex vrbis Sapharnaim, & Rex Ana? In quibus verbis tangitur quadruplex quæstio. Prima est de iustitia, cum dicitur, *Vbi est Rex Emath?* Emath enim est idem quod Antiochia, & interpretatur indignans, rigidus, vel vter sanguinis, quo significatur zelus iustitiæ, quo scilicet Rex noster indignatus contra committentes facinora, malefactores ipsos rigidè puniebat, pœna etiam mortis & sanguinis, prout culpæ grauitas exigebat, non ira, sed iustitia motus, vnde de illo dici potest illud Hester. 1. *Regis iusta est indignatio.* Et Prouerb. 16. 15. *Indignatio Regis nuncij mortis.* Vbi est ergo Rex Emath, id est vbi Rex iustitiæ zelo indignatus contra facinora & improborum maleficia, quasi dicat, non apparet amplius, iustitia obijt. Secunda petitio est de eius potētia, cum subditur, *Vbi Rex Arphat?* Arphat enim interpretatur saluans, siue saluatio, quia fortitudine, & generositate, & potentia Regnum suum defendebat, & conseruabat.. Dicamus igitur cum fletu & lachrymis illud 1. Mac. 9. *Quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat Israel?* id est, populum fidelium? Et illud Osee 13. 10. *Vbi est Rex tuus? Nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis*, quasi dicat, non potest amplius, quia ecce mortuus iacet omni potentia & fortitudine destitutus.

Regis laudes

Hester. 1. 18.

Virtus Regis morte nō amplius apparet.

1. Mac. 9. 21.

Tertia petitio est de eius sapientia & literis, cum additur, vbi est Sapharnaim? quod interpretatur labia ipsius, seu literæ, quarum Rex noster peritissimus fuit. Hier. *Regnabit Rex*

& sapiens

& sapiens erit, Verùm in eo, nulla amplius apparet sciẽtia. dicamus igitur cum Esa.33.18. *Vbi literatus? vbi verba legis põderãs?* Et 1.Cor.1. *Vbi sapientia? vbi scriba? vbi conquisitor huius seculi?* quasi dicat, non est. 1.Cor.1.20. Eze.37.17.

Quarta quæstio est, de ipsius humilitate, cùm subditur, *Vbi est Rex Ana?* id est humilis in genere fratrum, quia omnes descendimus ab vno patre, scilicet, primo homine. Vnde Greg. Natura genuit parés omnes homines. Matth. 23. *Omnes vos fratres estis.* Vt nullus superbiat, sed tanquam frater inter fratres humilis existat. Vbi est ergo Rex Ana? id est humilis, & clemens? qui propterea exaltabitur in alio seculo, iuxta promissionem humilibus factam Iob.22. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Et Prouerb. 29. 23. *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Dico suscipiet quia licet fortè nondum ea fruatur, ob leues culpas, adhuc in purgatorio purgandas: Tamẽn propter bona merita sua, & ob finalem pœnitentiam, piè credendũ est, eum breui gloriã suscepturum. Matt.23.8. Iob.22.29.

SECVNDO ponitur celeritas terribilis mutabilitatis, quia *hodie est*, sup. vnius, *& cras morietur.* Breue enim tempus est præsentis vitæ, ideò diei præsenti assimilatur. Porrò temporis præsentis & futuri successio, à superbia nos auocabit si consideremus humilitatem, infirmitatem nostram, & mortis necessitatem. 1. Machab. 2. *Gloria eius stercus & vermis, hodie tollitur, & cras non inuenietur, quia conuersus est in terram suam.* Vbi ostenditur Eccl.10.11. Humilitas ex breuitate vitæ. 1.Mac.2.62.

quadruplici ratione hominem non extolli debere, gloria, honoribus & deliciis huius vitæ. Prima est fœditas, assimilatur enim stercori quo quid fœdius & turpius? Hinc D. Paulus ad Philip. 3. honores, diuitias dignitates, voluptates, omniaque huius vitæ, quæ in maximo pretio haberi solent, & vnde superbia & vana gloria manat immunda stercora reputabat. Vermi etiam assimilatur gloria quia pungit & mordet conscientiam sicut vermis Esa. 66. *Vermis eorum non morietur.* Vel intelligitur de gloria peccatoris, quæ sæpissimè est de carne, & concupiscentia eius, est autem caro succus stercorum, & esca vermium Iob. 25. *Homo putredo, & filius hominis vermis.*

Gloria vana vermi assimilata.

Non superbiendum propter bona huius vitæ.

Iob. 25. 6.

Caro succus vermium.

Secunda ratio est breuitas, quia hodie extollitur, id est breui tempore, & citò deficit instar fœni, quod breui tempore florescit, & citò arescit Luc. 12. Sicut fœnum quod hodie est in agro, & cras in clibanum. Gloria mundi est etiam sicut vestimentum Sacerdotis quod citò deponitur, vel similis fumo qui in altum eleuatus quamprimum euanescit. Vnde Sapiens ait Eccles. *In vestitu ne glorieris vnquã, nec in die honoris tui extollaris.*

Gloria mundi.

Tertia est vanitas, vnde cras gloria non inuenietur, quia sublatus ille gloriabatur per mortem. Esa. 22. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Ideóque instar vaporis & arboris euulsæ & incisæ se habet impro-

Esa. 22. 13.

bus Psal.36.37. *Vidi impium superexaltatum sicut Cedros Libani.*

Quarta causa est vilitas, quia qui gloriatur & effertur superbia in vilē materiā conuertitur, vnde subditur in auctor. citata, *& conuersus est in terram suam*, quia generabilia & corruptibilia redeunt in suum principium, vt glaces resoluitur in aquam, sic corpus humanum in terram de qua primitùs sumptum Psalm. 145. *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam.* *1. Macha. 2. 62.* *Psal. 145. 3.*

Tertiò in themate assumpto describitur consequentia originalis, calamitatis, *quia cum moritur homo hæreditabit serpentes & bestias & vermes.* In quibus verbis de homine mortuo tria describit Sapiens. *Eccl. 10. 11.*

Primò, mortis euentum.

Secundò, mortis subiectum.

Tertiò, morientis opprobrium.

Exitus erit certus, quia dicit *cum morietur.* Sed non determinat quo tempore, quia nec iuuenes nec senes sciunt diem mortis. Gen. 27. dixit Isaac. *Vides quod senuerim, & ignorem diem mortis meæ.* Porro morte extinguitur fama, sicut campana cessante, eius sonus non auditur. Psalm. *Quando morietur & peribit nomen eius?* Et perijt nomen eius cum sonitu: deinde ab homine tolletur opulentia, sicut fracto vase effunditur vinum, & vasis plenitudo euacuatur Psalm. 48. *Homo cum interierit non sumet omnia, nec descēdet* *Mortis exitus certus dies incertus* *Gen. 27. 2.* *Psal. 48. 18.*

Iob.27.19. *cum eo gloria eius.* Iob.27. *Diues cum dormierit, nihil secum afferet, aperiet oculos suos, & nihil inueniet.* Postremo replebitur homo pœna, opprobrio, & ignominia, quia hæreditabit serpentes: quē viuum sæpe occidunt, mortuum bestiæ comedunt, sepultum vermes corrodunt. De serpentibus 1. Cor.10. *Quidā eorum ipsum tentauerunt, & à serpentibus perierunt.* De bestiis Iezabel 3. Reg.21. quam canes comederunt. & Psal.78. *Posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ:* De vermib. Esa.14. *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Sup. ex putredine carniū geniti. Vel referri possunt illa tria ad corpus mortuū; tunc hęreditabunt serpentes & bestias ex loco sepulturæ, & vermes ex sepulto corpore, vnde serpentes & bestiæ erunt ab extra. Deut. 21. *Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram, & serpentium:* Sed vermes erunt ab intra Iob. 21. *In puluere dormient, & vermes operient eos.*

Diuitiarum vanitas. — 1.Cor.10.9. — Psal.78.2. — Esa.11.14. — Iob.21.26.

Vel moraliter hæc de auaro exponuntur, & tunc serpentes sunt dæmones qui dicuntur à serpendo: Bestię sunt parentes quæ dicuntur à vastando, vermes autem accipiuntur ad literam: Et sicut auarus in morte hæc hæreditabit, quia per modum hæreditatis dabitur anima auari serpentibus, id est dæmonibus, diuitiæ bestiis, id est parentibus, & corpus, vermibus. De his Iob. 5. dicitur. *Cuius messem*

Auari hæreditas post mortem. — Iob.5.5.

famelicus comedet, & ipsum rapiet armatus, & bibent scientes diuitias eius, id est, vermis corpus corrodet diabolus animam rapiet, & parentes diuitias deuorabunt. Serpentes igitur perpetuò animam torquebunt Psal. 57. *Furor illis secundum similitudinem serpentis.* Bestiæ diuitias vastabunt. Ezech. 32. dicitur de auaro. *Satiabo de te bestias vniuersæ terræ*, id est de tuis diuitiis omnes consanguineos terrena cupientes. Sed vermes carnes manducabunt. Esa. 51. *Sicut vestimentum, sic comedet eos vermis.* Vel totum quod dictum est ad afflictionem refertur, quia vermis, remorsum conscientiæ significare potest Iob. 24. *Dulcedo illius*, scilicet peccati *vermis*, id est remorsus conscientiæ, qui remanet post delectationem peccati. Alia duo notant afflictionem exteriorem 1. Reg. 17. 44. *dabo carnes tuas bestijs terræ.* At vero serpentes afflictionis continuationem. Hierem. 8. *Ecce mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio.* A quib. nihilominus nos ille serpẽs Æneus liberare potest, de quo dicitur Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ad quam nos perducat Iesus-Christus Dei Filius, Amen.

Ps. 57. 5.
Esa. 51. 8.
Iob. 24. 20.
Vermis remorsus conscientiæ
Hier. 8. 17.
Ioan. 3. 14.

IN FVNERE ALICVIVS DVCIS.

THEMA.

Ezech. 30. 13.

Dux de terra Ægypti, non erit amplius. Ezech. 30.

QVANTÒ præſentia, & ſagacitas alicuius ſummi viri eſt iucunda, vtilis, & neceſſaria, tantò eius abſentia, & priuatio moleſta eſt, & deflenda. At quis vtilior nobis omnibus noſtro duce viro nobili & virtute prædito? Quantùm verò ſit ducis optimi præſentia neceſſaria, natura docet etiam in volatilibus & animalibus, quæ eo præſente turmatim, & prudenter incedunt. Grues enim non ſine duce ſimul volare conſueuerunt, nec cerui tranſnatare, aut apes ad pabulum procedere. Sic hominum ſocietas, remoto duce, aut capite non rectè gubernatur. Qui igitur talem ducem nacti ſunt, qualem Iudæi de quo 1. Machab. 13. 54. dicitur, *Poſuit ducem vniuerſarum virtutum:* Cuius ſubditi prudentia dirigantur, cuius iuſtitia conſeruentur, cuius fortitudine defendantur, & temperantia ædificentur: Meritò ſicut eius vita & præſentia illis fuit chara & deſideratiſſima; ita quoque eius mors maximè flebilis ſit, & amara neceſſe eſt: idipſum nobis accidit propter noſtri ducis obitum, qui pro-

Ducis neceſſitas.

1. Machab. 13. 54.

pter immensas & præclarissimas eius virtutes, super omnes qui eum præcesserunt deflendus est, Dux enim erat de terra Ægypti id est de terra nobili & fertili per mortem sublatus, nam ait Thema, *Non erit amplius.* Sup. nobis Dominus. In quibus verbis, de hoc nostro duce defūcto scriptura tria commemorat.

Primò, officium præteritæ dignitatis:

Secundò, insinuat beneficium adeptæ libertatis.

Tertiò, deplorat exterminiū interceptæ potestatis.

Circa primum obserua principes, & magnates admodum cautos & sollicitos esse in vita conseruanda. Hinc magnam videmus adhibere cautelam circa cibum & potum, ne aliquo veneno inficiantur, quo intereant. Sicut Alexander veneno sublatus: Cauent etiam studiosissimè à subditorum insidiis & hostium, ne occidantur vt Isboseth 2. Reg. 4. Quod cùm ita sit, quid efficere deberent pro conseruanda vita animæ, & spiritus? Ad vtrāque igitur corporalem, & spiritualem vitam retinendam & muniendam valent plurimū scientia & sapientia ducis, est enim sapientis sibi præcauere à periculis, & abstinere à noxiis, seseque præmunire ab hostium insidiis ideòque Prouerb. 28. dicitur, *quod per sapientiam hominis, & scientiam eorum, quæ dicuntur, vita ducis longior fit.* In quibus verbis notantur tria duci necessaria.

Vita huius cura.

Prouer. 28.

Nam primò ponitur illud, quod est necessarium, respectu eorum quę debet gubernare, cum dicitur per sapientiam hominis.

Secundò, illud quod est necessarium respectu eorum quæ debet iudicare, scilicet vt habeat scientiam eorum quæ dicuntur.

Tertiò, illud ponitur quod est necessarium respectu eorum, quæ debet operari: ad hoc enim requiritur experientia, & prolixior vita.

Sapiēs quis. Bonus Rector triplici respectu, Dei videlicet, sui, & commissi officij, gubernatione indiget. Respectu Dei, quia secundum Philosophum, sapientis est considerare altissimam causam, qua omnia alia disponit, & in suum finem, dirigit. At quia Ducis est, non seipsum solùm, sed etiam alios regere & gubernare, sapientem ita esse oportet, vt primam & altissimam causam cognoscat, quæ est voluntas Dei, Regula omnium humanarũ actionum, iuxta quam omnia dirigi & ordinari debent. *Sapientia.* Sapiens igitur erit respectu Dei, qui quæ Deo grata sunt, & placita operatus fuerit: Vnde *Ioan. 8. 29.* Christus sapientia plenus dicebat Ioann. 8. *Ego quæ placita sunt ei facio.* Hac sapientia caruit Saul, quando transgressus est Dei mandatum meliora de Amalech seruando vt ea Domino immolaret, tunc enim *Obedientia.* velut insipiens non cognouit meliorem esse obedientiam Deo præstandam, quam animalia immolanda. Iuxta dictum Samuelis 1. Reg. 15. 22. *Melior est obedientia, quàm victimæ.*

Hæc est igitur prima sapientia, quam Dux

Optimus à Deo postulare debet sap. 9. Da mihi Domine sedium tuarum asistricem sapientiam: Et post, mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret, vt sciam quid acceptum sit coram te: Scit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me à sua potentia: Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum iuste. Item ducis est laudabiliter viuere, & conscientiam puram habere. Vnde Gregor. ait primam sapientiam esse vitã laudabilem, & apud Deum puram mentem, per quam puri puro iunguntur, & sancti sancto sociantur: Prouerb. 9. *Si sapiens fueris, tibimet ipsi eris*, & cap. 23. 15. *Esto sapiens & dilige animam tuam.* Eccl. 37. *Est sapiens animæ suæ, & fructus illius laudabiles sunt.* Et Eccl. 3. 32. *Cor sapiens & intelligens abstinebit se à peccatis.* Et hæc est sapientia respectu sui.

Prouerb. 9. 12.
Eccl 37.
Sapientia ducis.

Est etiam duci necessaria sapientia respectu officij: debet enim sapienter rem publicam gubernare & regere, quæ illi commissa est. At vero ait Plato beatas fore respublicas si eas vel sapientes regerent; vel Rectores sapientiæ & veræ philosophiæ studerent. Propterea Rex Salomon à Deo tantum precatus est sapientiam, qua populum bene & recte regere posset, ideòque dixit Deus, quia petisti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias aut animas inimicorũ tuorũ, sed postulasti tibi sapientiam ad discernen-

dum iudicium, Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens. Impetranda igitur eſt illa ſapientia à Deo, nec à ſtudio humano ſperanda. De hac Iacob.3. 17. *Si quis indiget ſapientia poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, de ſurſum enim*

Iacob.3.5. *eſt, pacifica, modeſta, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis.*

Secundò in auctor. ſuperiùs adducta tangitur illud quod eſt neceſſarium reſpectu eorum quæ iudex tenetur iudicare, quod fieri debet ſecundum ſcientiam eorum quæ dicuntur.

Porro quædam dicuntur duci neceſſaria conſulendo, & tunc habeat ſcientiã neceſſe eſt cõſiliũ diſcernendi vtile ab inutili: qua ſcientia fuit priuatus Abſalon, quando magis conſilium Chuſi probauit, quàm Achitopel.

2. Reg.17. 14. 2. Reg..7. *Dixit Abſalon & omnes viri Iſrael. Melius eſt conſilium Chuſi Arechitæ, conſilio Achitofel. Additur: Domini autem nutu diſsipatum*

Concilium peſſimum. *eſt conſilium Achitofel vtile, vt induceret* Dominus *malum ſuper Abſalon.* Sic hanc diſcernendi ſcientiam non habuit Roboam filius Salomonis, qui prætulit conſilium malum iuuenum, conſilio vtili, & bono ſenum & ſapientum conſiliariorum ſuorum. 3. Reg. 12. Vnde Iob.42.3. *Qui celat conſilium abſque ſciẽtia*, quaſi diceret celatur conſilium vtile ei, qui eſt abſque diſcernendi ſcientia.

Quædã verò dicuntur neceſſaria duci pertinentia ad iudiciũ, ſicut quãdo aliqui denũciantur ei vel accuſãtur, vel coram eo, per di-

ctá testium probantur: & tunc ne decipiatur scientiam callere debet falsum à vero discernendi, & iustum ab iniusto. Hac scientia caruit Dauid, quando Mipsiboseth accusatus falsò à Syba, eidem omnia sua adiudicauit. Et vnde postea veritate comperta reduxit ad dimidium, 2. Reg. 16. & 19. Præditus autem illa scientia fuit Salomon quando iudicium tulit de mulieribus meretricibus, 3. Reg. 3. 16. De hac scientia dicitur, Leuit. 10. *Habetis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum.*

2. Reg. 16 4

Leuitic. 10. 10.

Scientia vera.

Est alia scientia vt quæ in scriptura docet ea quæ sunt credenda, speranda, & diligenda, hæc dicitur scientia sanctorum, Sap. 10. 10. *Dedit illi scientiam sanctorum.* De his qui illa carent habetur, Sap. 13. *Vani sunt omnes homines, quibus non subest scientia Dei quandoquidem omnia quæ in ea docentur, sunt indubitanter tenenda.*

Sap. 13. 1.

Tertio in auctoritate superiùs citata describitur illud quod est necessarium respectu eorum, quæ dux debet operari, scilicet vitæ longitudo, vt maiorem experientiam sibi cōparet, sicque melius agat & operetur in muneris functione, ideò dicitur, *vita ducis longior erit.* Igitur vita ducis primò nobilis esse debet, vera nobilitate, quæ est à virtutibus, his potissimum, quibus sibi & alijs quibus præest, sit vtilis. De his Sap. 8. Ita habetur: *Sobrietatem & prudentiam docet & iustitiam & virtutem, id est, fortitudinem,* quibus vtilius nihil in vita excogitari potest.

Vita longitudo.

Nobilitas in virtute.

Sap. 8. 7.

Quas quidem dux, non tam verbo, quàm
Hier.3.4. exemplo docere debet. Nomen ducis idipsũ
ostendit. Vocatur enim dux aliquando, qui
alios præit in itinere ps. *Dux itineris fuisti in*
conspectu eius. Ex quo colligimus ducis esse
Matth.2.6. per prudentiam alios dirigere. Dicitur etiam
dux qui custos est virginis. Hierem. 3. *Dux*
virginitatis meæ tu es. In quo notatur sobrietas & pudicitia duci necessaria. Est etiam dux
præpositus in regimine aliorum. Matth. 2.
Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Igitur per iustitiam, sine qua nullum
regimen bonum stare potest. Dux præterea
ille appellatur qui præest in certamine. 1.
Machab. 9. *Te hodie elegimus in principem ad*
bellandũ bellum nostrum. Ex hoc innuitur fortitudo quæ in duce requiritur. Secundò agitur in fine auctoritate inducta de vitæ diuturnitate, quia vita ducis longior erit.

Vita longior ex quinque. Porro quinque sunt, quæ longiorem vitã
efficere solent. Primum est honor exhibitus
Eccl.3.7. parentibus. Eccl. 3. *Qui honorat Patrem suum,*
vita viuet longiori: Et meritò, quia sustentando vitam Patris eam facit longiorẽ, & Deuter. 5. 16. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuã*
sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo
viuas tempore & bene sit tibi. Quidam illam auctoritatem exponunt de futura vita, quia post
hanc vitam, æterna vita viuet, pietas enim
promissum habet vitæ quæ nunc est, & futuræ.

Secundum obseruantia præceptorũ Dei.

Prou.3.1. obedientia.

Prouerb. 3. *Ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat: longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.*

Eſa.38.1.5.

Tertium eſt pœnitentia ſicut patet exemplo Ezechiæ Eſay.38. *Qui ægrotauit vſque ad mortem. Et venit Eſaias propheta & dixit ei: Morieris tu & non viues: Sed poſtquam orauit & fleuit fletu magno dixit illi Eſaias. Hæc dicit Dominus, audiui orationem tuã, & vidi lachrymas tuas: Ecce ego adijciam ſuper dies tuos quindecim annos.* Vnde in Pſal. 20. *Vitam petij à te, & tribuiſti ei longitudinem dierum.*

Humilitas. Pſal.20.4.

Odium vitiorum.

Quartum eſt odium vitiorum, potiſſimùm auaritiæ. Prouerb.28. 16. *Qui odit auaritiam longi fient dies eius.* Ad literam enim multi auari citiùs moriuntur: quia vel immoderatè laborant pro diuitiis acquirendis, vel quia ſe periculis exponunt: Vel quia propter ſuas diuitias nonnulli occiduntur, quæ omnia effugit, qui auaritiam odit. Vel longi fient dies eius, participes erunt claritatis æternæ, vt gloſa exponit.

Prouidẽtia.

Quintum autem eſt, vſus intellectualium virtutum, ſcilicet ſapientiæ & prudentiæ: quibus mortis pericula præcauentur, & regimen vitæ debito moderamine exercetur, remediáque contra euentus fortuitos adhibentur. Et ideò Prouerb. 3. poſtquàm dixit Salomon. *Beatus homo qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia,* ſubdit, *Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.* q. d. Si ſit in dextera proſperitatis, ſcit

Prou. 3.13.

ctam ita tenere & vti, vt inde sequatur lõgitudo dierum, sicut patet in Abraham: Et dato, quod sit in sinistra aduersitatis, scit eam ita prudenter & sapiẽter tolerare, vt inde sequãtur diuitiæ & gloria, vt in Iob manifestum est, cap. vlt. quia Dominus benedixit nouissimis Iob, magis quam prioribus. Vidit enim filios suos & filios filiorum suorum vsque ad quartam generationem, & mortuus est plenus dierum. Huius ergo nostri ducis, & si non fuit longior ætas, tamen propter sapientiam peruenit citiùs ad longitudinem æternitatis vitæ sequentis.

Ezech. 30. 31. Secundò in Themate assumpto innuitur beneficium adeptæ libertatis, quia de *terra Ægypti*, id est, de loco angustiæ & tribulationis, per mortem eductus est, & ita *non erit ampliùs*: Poterat ergo dici; dum in agonia *Deutero.* 11. 10. & proximus morti noster dux erat illud Deut. 11. *Terra ad quam ingrederis non est sicut terra Ægypti de qua existi.* In quibus quidem verbis describuntur quatuor.

Primum est, habitatio æternæ stabilitatis.

Secundum est, promissio assequendæ fœlicitatis.

Tertium, separatio calamitatis.

Quartum est exẽptio adeptæ libertatis.

Beatitudo immutabilis & constans, Circa primũ obseruandũ est, statũ beatitudinis nihil prorsus in se habere mutabilitatis, est enim in Deo, apud quẽ nõ est trãsmutatio, nec vicissitudinis obũbratio, vt in hac vita. Hinc assimilatur terræ, quæ in medio mũdi perpetuò maneat stabilita ex Arist. lib.

de cœlo: quia motus partiũ terræ, est ad centrũ tantùm, & eadem est causa motus alicuius, ad locũ & quietis in loco: Et ideo cõcurrentibus partibus terræ ad cẽtrũ suũ, scilicet ad medium mũdi, stat terra fixa in medio, vnde repræsentat vitã beatorũ, quæ semper stat fixa & immobilis in deo. Differentia inter vtramque vitã tangitur. Ecclesi. 1. *Generatio præterit & generatio aduenit, terra autem in æternum stat.* Hoc est generatio vna hominũ per mortẽ præterit, alia aduenit per natiuitatẽ. Terra autem viuentium de qua Psal. 141. *Portio mea sit in terra viuentiũ*, in æternum stat, quia semper viuit & nũquã moritur. Et quia in rebus nullo modo mutationi obnoxijs, mors nihil efficere potest: Ideo vita, quia in Deo animæ fœlices viuunt, est omnino immutabilis propterea de illis dici potest, illud, Ps. *Fũdasti terrã super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi.* *Ecclesiast. 1. 4.* *Psal. 141. 7.*

Secundò ponitur in auctoritate superiùs allegata promissio assequẽdæ fœlicitatis cum subditur, *ad quã ingredieris*, q. d. Et si forte adhuc in purgatorio detẽtus nõdũ sis ingressus terrã illã viuentiũ, tamen ingredieris triplici ratione, primò propter notitiã fidei, quemadmodũ enim ad nuptias tãtũ amici & noti ingredi permittũtur, sic in domũ cœlestis cõuiuij amici & Deo grati tãtùm ingrediũtur fide & charitate præditi, Hebr. 4. *Ingredimur enim in requiẽ*, scil. terræ viuẽtiũ, *qui fide imbuti sumus*. In cuius figurã habemus Caleph & Iosue qui credẽtes terram promissionis sunt ingressi. *Deuter. 11. 10.* *Hebr. 4. 3.*

Quorum vnus significat fidem videlicet Iosue, alter charitatem fide informatam scilicet Caleps, qui interpretatur, quasi omne cor, quia charitate Deum diligimus ex toto corde.

Secundò, propter decentiã ministerij: Nã ministros & domestcos decet cõuiuij domũ ingredi, sed omnino mundos & immaculatos, quales Deus requirit in administratione rerum diuinarum, cum diligẽtissima sollicitudine in rebus suis gerẽdis vt domum cœlestis conuiuij ingrediantur, Psal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.* Hoc in Noe figuratur, qui propter iustitiam & innocentiam suam, ingressus est arcam, Esa. 26. *Aperite portas, & ingredietur gens iusta.*

Psal. 14. 1.

Esa. 26. 2.

Encœnia.

Tertiò propter Encœnia, qui enim ea offerre solent, domum conuitij ingrediuntur hæc, quæ deferuntur in terram promissionis, & domum Dei, sunt opera misericordiæ, quia sola misericordia comes est defunctorum, ait Ambros. vnde dicetur, viro misericordi illud Genes. 1431. *ingredere benedicte Domine: Cur foras stas?* Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei,* &c.

Misericordia opera.

Matth. 25. 34.

Præterea in loco illo Deut. 11. ponitur segregatio præsentis calamitatis, quia ibi deerit omnis molestia aut afflictio, non enim erit illa terra viuentium sicut terra Ægypti, id est, huius seculi. Ratio triplex est, prima terra hæc est tota tenebrosa & ignorantiæ

Deut. 11. 10.

Mundus qualis.

atque

atque tenebris repleta, Ægyptus tenebras significat. Sed terra viuentium illa, est tota luminosa. Exo. 10. figuras habemus, quando factæ sunt tenebræ horribiles, in vniuersa terra Ægypti, & vbicunque habitabunt filij Israël, lux erat secunda terra Ægypti est angustiis plena. Dan. 13. *Angustiæ sunt mihi vndique.* At illa viuentium terra ab omni angustia liberata est. Prou. 11. 8 *Iustus de angustia liberatus est.* Esa. 65. 16. *Non erunt in memoria angustiæ priores.* Tertia quia terra Ægypti est tribulationibus subiecta, & ideo filij Iacob in Ægypto existentes dixerunt. Gen. 42. *Venit super nos tribulatio,* Esa. *Aspiciemus in terram, & ecce tribulationis tenebræ.* At terra viuentium ab omni tribulatione est remotissima Iob. 5. *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.*

Exo. 10. 22. *Daniel. 13 22.* *Genes. 42. 22.* *Iob. 5. 19.*

Per sex tribulationes intelliguntur illæ, quæ sunt huius mundi: quia mundus sex diebus factus est, qui sunt dies laboris quibus liberatus est homo per labores pœnitentiæ, & per patientiam in præsenti vita, vt in Sabbatho æternitatis requiescat.

Quartò, in auctoritate superiùs allata, ponitur exemptio adeptæ libertatis, cum dicitur, *de qua existi*, & ideo iam liber factus es, ab iis angustiis & calamitatibus. Qui in terra est aliena, & incommoda patitur, libenter, de ea exiit, vt habiturus pacem, in suam redeat. Sic terra aliena nobis est mũdus hic, in quo diu habitare non possumus, nec inue-

Deuter. 11. 19. *Mundus terra aliena.*

Mundus terra aliena. nire quietem, & in qua multa sustinemus incommoda: Sed patria nostra, vbi futura est perfecta requies, & possessio pacifica omnium bonorum, est terra viuentium, ad quã non peruenit, nisi spiritus hominis hinc
Psal. 145.3 exierit. Psalm. 145. *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam.*

Ezech. 30. 13. TERTIÒ, in themate assumpto describitur exterminium interceptæ potestatis, *quia ampliùs non erit*, Sup. dux, & ideò ante-
Psal. 38. 18. quam, huc veniret, debuit petere cum Propheta dicens Psalm. 38. *Remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam, & ampliùs non ero.* In quibus verbis facit quatuor: primo petit relaxationem culpæ, est enim primum quo homo disponitur ad beatitudinem comparan-
Psal. 31. 1. dam, vnde Psalm. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates:* Quæ remissio fit in contritione quando cum proposito confitendi, secundũ illud, Psalm. 316. *Dixi scilicet* contritus in corde meo, *confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Secũdo petit mitigationem pœnæ, cũ dicit, vt refrigerer. Refrigerium enim aut tollit aut mitigat ardorem: Et hoc fit in pœnitente, quando pœna æterna, in pœnam tẽporalem commutatur. Verùm tantus potest esse feruor compũctionis, & ardor delectionis in homine cõtrito, vt culpæ macula pur-
Psal. 65. 11. getur, & pœna tollatur. Et tunc est refrigeriũ, de quo Psalm. 65. ait. *Transiuimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium.* Aqua si-

gnificat amarissimam compunctionem, quæ lauat culpæ maculas. Ignis magnũ dilectionis ardorem, quo reatus pœnæ tollitur, & sic peccator in magnum educitur refrigerium gratiæ. Tertio petit horæ præuentionẽ, scilicet mortis, nam sicut homo priùs delinquit, quàm humilietur per pœnitentiam, Psalm. *Priusquam humiliarer ego deliqui*: sic debet priùs delicti veniam impetrare, quàm vt per mortem humilietur. Iob. 10. *Dimitte me, vt plangã paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar.* Vnde si priusquam exeat è vita hac, per planctum pœnitentiæ peccata abluerit, tunc ei continget illud 1. Reg. 19. *Abijt & saluatus est.* Quartò prædixit destructionẽ vitæ, *quia ampliùs non ero.* Scilicet, in hac corruptibili vita, & per consequens neque in prosperitate temporali diuitiarum, gloriæ, honoris, & dignitatum Ista enim omnia sunt fluxa & caduca, quæ locum non habent in vita futura quæ perpetua constans, & æterna. Apoc. 10. *Tempus non erit amplius.* Et ideo finaliter erunt aut in æternis pœnis, aut gaudiis in sempiternum duraturis. Ad quæ nos perducat qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Iob. 10. 20.

Apoc. 10 6.

IN FVNERE ALICVIVS MAGNI PRINCIPIS.

THEMA.

2.Reg.3. 38. *Princeps maximus cecidit hodie in Iſraël.* 2. Reg. 3.

SI fortè fortuna aliqua turris altiſſima corruat, maximum ſolet ſonitum edere, plura damna inferre, multoſque illius caſu opprimere. Exemplum habemus huc. De octodecim viris, quos in Syloe turris occidit. Ita ſi quando maximus aliquis princeps & optimus, morte corruat, flentium magnus ſonitus, audiri ſolet, & meritò: Sæpiſſimè enim ex tali caſu multiplex damnum populo accidit, vt oppreſſio, ſiue ab hoſtibus, ſiue ab inſolentibus, qui cum audacia maxima inſurgunt. Figura huius habetur. 1. Machab. 9. *Quia poſt obitum Iudæ, in omnibus finibus Iſraël multi improbi exorti ſunt, qui operabantur iniquitatem, & facta eſt tribulatio magna in Iſraël.* Vnde non mirum eſt, ſi propter noſtri Sereniſſimi Principis obitū lugentium voces & ſonitus audiantur, ipſe enim erat tutela pacis & ſalutis totius populi, multa ergo damna, quis non videt nobis accidiſſe? Princeps igitur maximus cecidit hodie in Iſraël,

Fletus ex morte principis.

1. Machab. 9.20.

ideſt in detrimentum totius gentis noſtræ, quæ in Iſraël ſignificatur. Hæc igitur verba dominum principem noſtrum tripliciter deſcribunt.

Primò, quidem vt venerabilem, ob officij excellentiam.

Secundò, vt flebilem, ob excidij præſentiam.

Tertiò, vt formidabilem, ob detrimenti conſeruantiam.

Princeps dici potuit, non ſolum magnus, ſed etiã maximus: magnus ratione nobilitatis, maior ratione dignitatis, ſed maximus ratione probitatis meritò ergo figuratur in Matathia 1. Machab. 2. Cui nuntij miſſi ab Antiocho dixerunt. *Princeps & clariſsimus & magnus es, in hac ciuitate, & ornatus filiis & fratribus.* In quibus verbis iſte noſter ſereniſſimus Princeps ex quatuor, quæ olim habebat, commendatur. *1. Machab. 2.17.*

Primò quidem ex potentiæ dignitate.

Secundò, ex famæ celebritate.

Tertiò & ex opulẽtiæ facultate.

Quartò, ex familiæ nobilitate.

Multos non dubium eſt reperiri, qui obtineant dignitates & principatus, nec tamen digni ſunt, ait enim Ariſtot. *Principatus oſtendit virum.* Multi indigni iudicantur ob defectum prudentiæ, ſicut fuit Roboam, filius Salomonis, de quo dicitur Eccleſ. 47. *Dereliquit* ſup. Salomon, *poſt ſe, de ſemine ſuo* *Princeps imprudent.* *Eccl. 47.27.*

gentis stultitiam, & imminutum, à prudentia Roboam, qui auertit gentẽ, à consilio suo. Est enim Princeps sine prudentia, veluti oculus sine lumine, qui rectã viã tenere nescit sicut nec imprudens rectum consilium. Vtinam ergo impleretur verbum Esayæ 32. *Non vocabitur vltra is, qui insipiens est, princeps.* Idcirco ergo huius nostri principis, stabilis fuit principatus, quia iste in omnibus se ostendit sensatum & prudentem. Iuxta illud Eccl. 10. 1. *Principatus sensati stabilis erit.*

Esa 32. 5.

Princeps iniustus lupus rapax.

Alij iudicantur indigni principatu ob iustitiæ defectũ, quia nõ intendũt neruos animi ad reddẽdũ vnicuique ius suũ, sed ad rapinã, hi equidẽ dicendi sunt nõ Principes, sed lupi rapaces. Lupi enim oues rapiũt, sanguinẽ effundũt, carnes earũ rapidissimè comedunt & deuorant. De his dicitur Ezech. 22. *Principes eius, in medio eius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auarè sectando lucra.*

Ezech. 22. 27.

Princeps intẽperans.

Quidam indigni sunt principes ob defectum temperantiæ. Porrò antiqui multi principes temperantes in cibo maximè fuerunt, qui vsque ad meridiem cibum non sumebant, sed post confecta negotia corpus reficiebant, sicut Ioseph de quo dicitur Psalm. 104. *Constituit eum dominum domus suæ, & principem, omnis possessionis eius.* Et Eccl. 10. 10. *Væ terræ cuius principes mane comedunt.* Quia principes qui indulgent gu-

Psa. 104 20

læ & voluptatibus parum laborant in rerum ſuarum adminiſtratione. Deinde quia aliis ſunt exemplo, vt malè agant. Eccl. 10. *Qualis rector ciuitatis, tales habitantes in ea.* Eccl. 10. 2.

Nonnulli etiam ſunt indigni principatu propter defectum fortitudinis, nam quia non ſunt fortes & generoſi, vt tentationibus reſiſtant & vitiis, ſed corruunt, ideo ſæpiſſimè Deus ab hoſtibus vinci & ſuperari permittit. Oſ. 7. *Facti ſunt quaſi arcus doloſus, cadent in gladio principes eorum*: At vero princeps qui generoſo animo vitia debellauit, & virtutibus claruit, eductus è corporis ergaſtulo, ad cœlum euolat. Hier. 30. 21. *Princeps de medio eius producetur, & applicabo eum, & accedet ad me.* Princeps abiecti animi. Eſa. 7. 15.

Secundò commendatur bonus princeps de famæ celebritate clariſſimus dicitur, 1. Cor. 15. 41. *Alia eſt claritas ſolis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum.* Clara eſt ſtella, clarior luna, clariſſimus Sol. Princeps qui eſt ſapientia præditus, claritatem habet ſtellæ, Sap. 8. *Per hanc habebo claritatem ad turbas.* Et Sap. 6. 13. *Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit Sapientia.* Et quia Sapientis eſt alios erudire, clarus vt Stella dicitur Daniel. 12. *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, erunt ſicut ſtellæ.* Et hanc claritatem famæ habuit Salomon. Eſt porro multo celebrior inter homines, qui eſt miſericordiæ deditus, lunæque ſplendorem habere dicitur Eccl. 36. *Oſtende nobis* 1. Machab. 2. 17. Sap. 8. 10. Daniel. 12. 13. Eccl. 36. 15.

gentis stultitiam, & imminutum, à prudentia Roboam, qui auertit gentē, à consilio suo. Est enim Princeps sine prudentia, veluti oculus sine lumine, qui rectā viā tenere nescit sicut neq; imprudens rectum consilium. Vtinam ergo impleretur verbum Esayæ 32. *Non vocabitur vltra is, qui insipiens est, princeps.* Idcirco ergo huius nostri principis, stabilis fuit principatus, quia iste in omnibus se ostendit sensatum & prudentem. Iuxta illud Eccl. 10. 1. *Principatus sensati stabilis erit.*

Esa 32. 5.

Princeps iniustus lupus rapax.

Alij iudicantur indigni principatu ob iustitiæ defectū, quia nō intendūt neruos animi ad reddēdū vnicuique ius suū, sed ad rapinā, hi equidē dicendi sunt nō Principes, sed lupi rapaces. Lupi enim oues rapiūt, sanguinē effundūt, carnes earū rapidissimè comedunt & deuorant. De his dicitur Ezech. 22. *Principes eius, in medio eius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auarè sectando lucra.*

Ezech. 22. 27.

Princeps inteperans.

Quidam indigni sunt principes ob defectum temperantiæ. Porrò antiqui multi principes temperantes in cibo maximè fuerunt, qui vsque ad meridiem cibum non sumebant, sed post confecta negotia corpus reficiebant, sicut Ioseph de quo dicitur Psalm. 104. *Constituit eum dominum domus suæ, & principem, omnis possessionis eius.* Et Eccl. 10. 10. *Væ terræ cuius principes mane comedunt.* Quia principes qui indulgent gu-

Psa. 104 20

læ & voluptatibus parum laborant in rerum suarum administratione. Deinde quia aliis sunt exemplo, vt malè agant. Eccl. 10. *Qualis rector ciuitatis, tales habitantes in ea.* Eccl. 10. 2.

Nonnulli etiam sunt indigni principatu propter defectum fortitudinis, nam quia non sunt fortes & generosi, vt tentationibus resistant & vitiis, sed corruunt, ideo sæpissimè Deus ab hostibus vinci & superari permittit. Os. 7. *Facti sunt quasi arcus dolosus, cadent in gladio principes eorum*: At vero princeps qui generoso animo vitia debellauit, & virtutibus claruit, eductus è corporis ergastulo, ad cœlum euolat. Hier. 30. 21. *Princeps de medio eius producetur, & applicabo eum, & accedet ad me.*

Princeps abiecti animi.

Esa. 7. 15.

Secundò commendatur bonus princeps de famæ celebritate clarissimus dicitur, 1. Cor. 15. 41. *Alia est claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum.* Clara est stella, clarior luna, clarissimus Sol. Princeps qui est sapientia præditus, claritatem habet stellæ, Sap. 8. *Per hanc habebo claritatem ad turbas.* Et Sap. 6. 13. *Clara est, & quæ nunquam marcescit Sapientia.* Et quia Sapientis est alios erudire, clarus vt Stella dicitur Daniel. 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, erunt sicut stellæ.* Et hanc claritatem famæ habuit Salomon. Est porro multo celebrior inter homines, qui est misericordiæ deditus, lunæque splendorem habere dicitur Eccl. 36. *Ostende nobis*

1. Machab. 2. 17.

Sap. 8. 10.

Daniel. 12. 13.

Eccl. 36. 13.

lucem miserationum tuarum. Luna splendet his qui sunt in tenebris, sic misericordia compatitur & subuenit his qui miseriis huius vitæ opprimũtur. Luna cũ luce vmbrositatẽ habet, quia vir misericors in ipsa subuectionem misericordiæ animi compassione mouetur Iob. 31. *Si vidi Lunam incedentem claré.* Talis fuit claritas Dauid. 1 Machab. 2. 57. *Dauid in sua misericordia cõsecutus est sedẽ regni.*

Iob. 31. 26.

Verùm hic noster princeps clarissimus vt Sol dici potest, ex iustitiæ celebritate & splendore. Est enim vt ait Philosophus, *Iustitia omnium virtutum præstantißima*, nihilque illa clariùs, non Lucifer; non hesperus. Iustus igitur princeps vt Sol, clarus dicendus est Melchisedech Heb. 7. 10. interpretatur Rex iustitiæ, Rex Salem, id est Rex pacis, quia vt dicitur Esay. 32. 17. *Opus iustitiæ pax.* De tali igitur principe illud dicetur Psalm. 88. *Thronus eius sicut Sol.* Propter iustitiæ claritatem & firmitatem Eccl. 27. 12. *Homo sensatus manet in sapientia, manet sicut Sol.*

Princeps iustus.

Psal. 88. 39.

Tertiò, in auctor. inducta, commendatur princeps ab opulentia diuitiarum, quia magnus in ciuitate hac. Nam homines efficiũtur in ciuitatibus magni, maximè propter diuitias, eò quod vtilior sit reipublicæ, diuites enim magis rempublicam iuuare possunt, quã pauperes: Vnde si promoueãtur ad officia, & magistratus vt sint vtiliores Reip. non est peccatũ: quia hoc non est honorem

1. Machab. 2. 17.

exhibere diuitiis, sed necessitati & vtilitati consulere: Sicque honore digni erunt diuites propter dignitatem, nõ propter personã, quæ vt honoretur requirit virtutem.

Porro Principi diuitiarum magnitudo maximè conuenit: decet enim Principem magnificum esse, magnos sumptus faciendo, quod sine diuitiis impossibile est. Tenetur etiam aliquando gerere bellum, exercitum alere, suos defendere & tueri, ad quod impensæ maximæ necessariæ sunt & ingentes diuitiæ, quas si vi & violentia à subditis extorquere vellet, eorum sibi odium cum vitæ suæ periculo, conciliaret. *Diuitiarũ magnitudo Principi conueniens.*

Oportet etiam aliquando Princeps militibus munera largiatur, & alijs de se benemeritis, vtaturque erga suos magnificentia, sicut Hester. 2. *Habetur de Assuero Rege qui dona largitus est, iuxta magnificentiam Principis.* Princeps igitur diuitijs abundet necesse est. Iob. 1. Erat ille vir magnus inter omnes orientales, id est ditissimus omnium, vt exponit Glosa. *Hest. 2. 18.*

Quartò commendatur Princeps de familiæ nobilitate, quia ornatus filijs & fratribus. Decet enim Principẽ præ cæteris dici fœlicẽ, saltem fœlicitate polytica, ad quam, sicut tradit Philosophus, 1. Rheto. requiruntur intrinseca & extrinseca bona: illa, vt sunt virtutes, iustitia, temperantia, fortitudo, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, mansuetudo, prudentia, & sapientia, quę principem *1. Machab. 17.* *Fœlicitas principis in quibus consistit.*

maxime honorabilem reddunt.

Intrinseca bona, quæ corpori insunt, vt sanitas, fortitudo, robur, pulchritudo, magnitudo, potentia, ars, & bona senectus. Extrinseca sunt, vt multitudo amicorum, amicitia bonorum, abundantia diuitiarum, bona proles, eiusdem multitudo, honores, magistratus, &c. Verum præcipuè ad ornamẽtum & bonũ principis spectat, quod habeat bonos fratres, *Quia frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*, Prouerb. 18. 19. Exemplum est in Iuda Machabæo, de quo dicitur, 1. Machab. 3. Quod post mortem Matathiæ surrexit Iudas qui vocabatur Machabęus filius eius pro eo, & adiuuabant eum omnes fratres eius. Habuit etiam multitudinẽ prolis, id est filiorum. Iudic. 8. *Gedeon habuit 70. filios, qui egressi sunt de fœmore eius*: Verùm melius esset, vnum probum habere filium, quam impios multos, imo melius est nullum habere, quam omnes malos. Eccl. 16. *Ne iocunderis in filijs impijs si multiplicentur*, Nec oblecteris super illos, si non est timor Dei in illis, & post. Melior est timens Deũ vnus, quam mille filij impij, & vtilius est mori sine filijs, quam filios relinquere impios: Igitur prolis bonitatem princeps magis desiderare debet, quàm multiplicationẽ.

Prou. 18 19.

1 Machab. 3. 1.

Iudic. 8. 30.

Eccl. 16. 1.

Secundò, in assumpto Themate introducitur iste noster Dominus vt deflendus propter mortem, quia cecidit hodie sup. à statu dignitatis & vitæ præsentis. Iste casus com-

2. Reg. 3. 38.

munis est, quo ita labuntur minores sicut maiores, ita populares, vt Principes: Ratio est, quia hæreditas transit ad posteros, cum onere suo: sicque humana natura transit, à primis parentibus ad posteros cum onere mortis, à quo nullus eximitur, Ps. 81. *Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de Principibus cadetis.* Psal. 81. 7.

Verùm animaduerte, si vento impellente arbor vetusta & infructuosa cadat, Dominũ gaudere, quia aliam in eodem loco plantabit, quę fructus producet. Si vero arbor procera & fructuosa decidat, dolet & conqueritur: Ita quando Princeps aliquis senio confectus & inutilis, morte concidit, potiùs gaudendum videtur, quàm dolendum: Si vero princeps aliquis iuuenis, generosus, fortitudine præditus & maximè Reip. necessarius de medio tollatur: tunc materia non deest flendi, & cum dolore & lachrymis dicendi illud, Threno. 5. *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster, cecidit corona capitis nostri.* In quibus quidem verbis ostenditur ob mortem boni principis lugẽdum esse triplici ratione. *Similitudo.* *Thren. 5. 15.*

Primò ratione amicitiæ.

Secundò, ratione strenuitatis.

Tertiò, ratione dignitatis.

Obseruanda est differentia inter bonum Principem & tyrannum, quia tyrannus plus curat timeri quã amari, sicut de Alexãdro fertur, sũmũ bonũ enĩ ducebat terrori esse, ignorans etiã animalia bruta ab hominib⁹ timeri. *Differentia inter bonũ Principem & tyrannũ.*

At quãuis bonus Princeps sciat vtrumque esse necessarium, tamen plus studet amari quam timeri. Quando enim Princeps tantum est suis timori, odio tantum habetur ab illis, & de eius absentia aut interitu nõ tristãtur sed gaudent. E'contrario si ametur, illis enim gratissima est eius præsentia & prosperitas, qua si priuentur morte, maxima tristitia afficiuntur. Ose 2. *Cessare faciam omne gau-*
Ose 2. 11. *dium eius*. Secunda ratio est propter eius strenuitatem. Olim si quando magnus & strenuus aliquis Princeps, pręclarum & insigne facinus perpetrasset, debellando hostes, vel victoriam aliquam reportando, chorus mulierum & iuuenum eius laudes cãnentiũ ei occurrebat: 1. Reg. 18. Vbi habetur, quod
1. Reg. 18. 6. cum reuerteretur Dauid percusso Philistæo, & ferret caput eius in Hierusalem, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel decantantes, chorosque ducentes in occursum Regis Saulis, in tympanis lætitiæ & systris, & præcinebant mulieres ludentes, &c. Idem fiebat alijs Principibus generosis, sicut patet
Exod. 15. 21. *Iudic. 11. 34.* Exo. 15. de Moyse & Iudic. 11. de Iephte. Qui quidem chori & ludi post mortem conuer-
Deut. 34. 7. tebantur in luctum, sicut patet de Moyse, Deut. 34. vbi dicitur, *Quod Moyses centum viginti annorum erat, quando mortuus est, non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt, fleueruntque filij Israel in campestribus Moab, triginta diebus, & completi sunt dies planctus lugentiũ Moysem.* Et idẽ habetur de Iuda Machabæo,

1. Machab. 9. Ionathas enim & Simon tule- *1. Machab. 9. 19.*
runt Iudam fratrem suum, & sepelierunt e-
um in sepulchro Patrum suorum in ciuitate *Luctus Principis.*
Modin, & fleuit omnis populus Israel plan-
ctu magno, & lugebant dies multos: Tunc
ergo poterat dicere omnis populus, *versa est* *Iob. 30. 31.*
in luctum Cythara mea Iob. 30. Et organum meum
in vocem flentium.

Tertia ratio lugendi est propter principa-
tus dignitatem, quia cecidit corona capitis
nostri. Vbi nota, coronam capitis, significa-
re honorem & gloriam regni siue principa-
tus. Et quia hoc bono Principe, totum re-
gnum in honore fuit, & in gloria: Eo igitur
defuncto, corona & honor de capite, cecidis- *Hiere. 13. 18*
se dicitur, Hier. 13. *Descendet de capite nostro,*
corona gloriæ nostræ. Vel per caput intelligitur *1. Reg. 15. 17*
ipse Princeps. 1. Reg. 15. *Caput in tribubus*
Israel factus es. Vnde corona cadit de capite,
quando dignitas aufertur per mortem à ca-
pite, Iob. 19. 9. *Abstulit coronam de capite*
nostro.

Tertiò in Themate assumpto mors boni
principis ostenditur esse formidabilis, quia *2. Reg. 3. 38.*
sæpius remoto Principe schismata & dissen- *Principis boni mors incommoda affert. Reip.*
siones consequũtur, ambitionis auaritiæ &
superbiæ causa, vt remoto Pastore fit disper-
sio gregis. Hoc figuratũ fuit 3. Reg. 22. Vbi
ait Micheas propheta. *Vidi cunctum populum* *3. Reg. 22. 17.*
Israel dispersum in montibus, sicut oues non habẽ- *Hierem 50.*
tes pastorem, & Hier. 50. *Grex dispersus Israel* *17.*
Leones, id est maiores, *eiecerunt eum.* Prudens

princeps cum vid t dispersos in acie milites, eos in vnū colligere nititur. Deum optim ū. Max. rogemus, vt nobis Principem successorem concedat, de quo illud sperare possimus, Psal. 146 *Dispersiones Israelis congregabit.* In quibus verbis tria facit Propheta.

Psal.146 2.

Primò, insinuat periculum.
Secundò, debitum.
Tertiò, remedium.

Matth. 12. 25.

Periculum siquidem populi est in dispersione siue diuisione, *quia omne regnum in se diuisum, desolabitur*, Matth. 12. Non tamen dicit dispersionem in singulari, sed dispersiones, quia diuersa vitia, in hominibus diuersas faciunt dispersiones. Superbiam vnam, de qua dicitur, Iob. 21. *Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turbo dispergit*: Nā paleæ sunt homines leues, qui non habent in se pondus humilitatis. Hinc ventus superbię eleuat eos, in sui existimatione, & per diuersas ambitionis actiones dispergit. Et vita nostra, est scintilla secundum Isidorum & cinis modicus ex extinctione scintillaris materiæ, derelictus. Erant enim primi nostri parentes, tanquam scintillę quædam fulgentes, ex quorum materia, nostra propagata sunt ex cinere corpora: Sed ex eorum extinctione, id est, peccati transgressione, relicta est nobis modica fauilla, id est, breuis & incerta vita, *quia per vnum hominem, peccatum intrauit in*

Iob.21.18.

mundum, & per peccatum mors, Rom. 5. Hinc ait Iob. 30.19. *Aſſimilatus ſum fauillæ.* Sed hanc fauillam turbo id eſt ſuperbia diſpergit; quia initium omnis peccati ſuperbia. Quæ turbo dicitur, quia ſicut aërem perturbat & obſcurat, ita ſuperbia mentem, Iob. 3. *Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat*, quod fit, cum ſuperbiæ tentatio occupat cœcam mentem. Aliam diſperſionem facit vitium auaritiæ. Exod. 5. *Diſperſus eſt populus per Aegyptum*, id eſt, per mundum, *ad colligendas paleas*, hoc eſt, bona temporalia. Omnes enim paupertatem reformidantes, ad congregandas diuitias ſe conferunt, nihilque de cœleſtibus & æternis cogitant. Hinc Horatius.

Rom. 5. 12.

Vita hominis fauilla.

Iob. 3. 6.

Exod. 5. 12.

Diuitiarum ſtudium.

Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Pſ. 58. 17.

Aliam diſpertionem facit vitium gulæ, Pſ. 58. *Ipſi diſpergentur ad manducandum, ſi vero non fuerint ſaturati murmurabunt.*

Secundo ponitur debitum vnitatis, qui diſperſiones Iſraelis ſunt, id eſt populi Deum videntis, hoc eſt, cognoſcentis per fidem; in quibus non debet eſſe diſperſio, ſed potius vnitatis cōgregatio. Nam ſicut in eis eſt vna fides, vnum baptiſma, & vnus Deus & pater omnium, ita deberet eſſe vna puritas & vna charitas. 1. Machab. 5. *Congregauit Iudas*, qui interpretatur confitens, *omnes Iſraelitas*, id eſt, fideles, quia ſcilicet confeſſio vnius fidei debet omnes fideles vnire, vt qui ſunt vnius fidei, ſunt etiam vnius animi. 1. Petr. 3. 8. *In fide autem omnes vnanimes.*

1. Machab. 5. 45.

Pax.

Psal.146.2. Tertiò, ponitur etiam in auctor. inducta, dispersionis remedium, quia cõgregabit. Ad hoc enim bonus princeps principaliter intendere debet, vt omnes in vnitate pacis sint congregati, exemplo Christi, qui est pater futuri seculi, princeps pacis, de quo Ioan. 11. *Dicitur, quod moriturus erat pro gente, vt filios*
Ioa.11.52. *Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*: Quæ in hoc mundo incipiens consummabitur in
Mar.13.27 cœlo. Marc. 13. *Congregabit electos à quatuor plagis terræ, vsque ad summum cæli*; id est cœlestis gaudij, ad quod nos perducat Deus optimus Maximus trinus & vnus. Amen.

IN FVNERE ALICVIVS MAGNI VIRI,

THEMA.

Magnus & paruus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo, Iob. 3.

Iob.3.19. OMnia videmus naturalia in eam resolui materiam ex qua generantur, sicut manifestũ est in ijs, quæ ex seminibus oriuntur, in ea enim ipsa reuertuntur. Ex frumẽto generatur herba, deinde stipula, postea spica, ex qua excutitur frumentum, & ita de aliis. Eodem modo corpora humana cum ex terra sint producta, in terram tandem redeunt.

Ait

Ait autem D. Gregor. naturam pares nos omnes genuisse, sed variato meritorum ordine, culpam alios alijs post posuisse. Quibus verbis noluit excludere disparitatem, quæ esse potest, secundum differentiam iustitiæ & peccati, ex qua accidit vt quidam, in futuro seculo, puniantur, alij præmio afficiantur, sed asserere voluit omnes natura esse æquales, quia scilicet omnes homines genuit mortales. Vnde quamuis postea varietas maxima secuta fuerit, vt quidam magni, alij parui, quidam liberi, alij serui nascantur, in primã tandem materiam mortalitatis omnes reuertuntur: Et ideo dicitur in verbo proposito in Themate magnus & paruus ibi sunt, scilicet in dominio & potestate mortis, quasi dicat æqualiter inuadit mors magnũ sicut paruum, & seruus est liber à Domino, & ita rapit liberũ sicut seruum, hoc excepto quod qui erat seruus ante mortem, per mortem fit liber à Domino suo. Vel potest intelligi magnus & seruus, qui in hac vita erant inæquales, ob prosperos successus, sublata, per mortem prosperitate, ibi, id est, in alia vita, quãtùm ad eam sunt æquales, & seruus est ibi, liber à Domino.

Possumus ergo dicere in verbis propositis tria describi de morte.

Primò, quidem eius communitas in inuadendo.

Secundò, eius potestas in retinendo.

Tertiò, eius auctoritas in manumittendo.

Idcirco à morte inuaditur magnus sicut
Rom. 5. 12. paruus, quia mors est supplicium, quo peccatum naturæ humanæ punitur. Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, & per peccatum mors.* Hoc est per Adam, in quo omnes peccauerunt, quia in eo tota natura humana continebatur & corrupta est. Modus autem iudicij diuini est, vt omnes æqualiter iudicet, nec personæ rationem ha-
Sap. 6. 8. beat, hinc mors æqualiter omnes percutit, Sap. 6. *Non subtrahet personam cuiusque Dominus, nec verebitur, quoniam pusillum & magnum fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus.* Ex quibus quidem verbis colligimus Deum in iudicio mortis tria circa homines ostendere.

Primò, communitatem suæ iustitiæ.

Secundò, magnitudinem suæ potentiæ.

Tertiò, æqualitatem suæ prouidentiæ.

Acceptio personarũ non est in Deo.

Ostenditur primò in mortis iudicio, Deũ æquissimum esse iudicem, non personarum acceptorem, neminem enim excipit à morte, non magnum, non paruum, primò, quia sen-
Gen. 2. 17. tentia primæ damnationis, est inuariabilis, Gen 2. *De ligno scientiæ boni & mali, quod est in medio Paradisi, ne comedas: in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Omnes autem homines in Adamo comederunt, quia ab eo descenderunt: vitiata igitur radice, Adamo videlicet, per peccatum, omnes in eo
Rom. 5. 18. vitiati sunt, & mortem contraxerunt. Rom. 5. *Iudicium quidem ex vno in condemnationem, quia per vnius delictum in omnes homines mors pertransiit in condemnationem.*

Secundò, propter rationabilẽ causam, nullus à morte eximitur, ne mala fiant absque terrore, & bona sine remunerationis spe: Nam si multa mala perpetiantur, hoc ipso, quod non statim sequatur pœna, quid fieret, si nusquam? dum ergo iudicium mortis omnibus imminet, omnes terrere debet. Iusti vero, quam sperarent remunerationem si sẽper in hac vita plena miseriis, remanerent? Quia igitur non est apud Deum iniquitas, vt velit semper impios prosperis frui, bonos vero affligi, iudicium mortis placuit Deo, omnibus esse commune. 2. Paral. 19. *Non est apud Deum iniquitas; neque personarum acceptio.* Iob. 34. *Absit à Deo iniquitas & ab omnipotente impietas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis.* Et post: *Qui non accipit personam Principum, nec cognouit tyrannum*: Opera enim manuum eius sunt vniuersi: subito morientur: Quoniã cũ interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo, gloria eius.

Personarũ acceptio nõ est apud Deum.

2. Paral. 19. 7.

Iob. 34. 10. 9

Tertia ratio, est familiaris materia consolationis. Vnde Seneca: idcirco videtur mihi rerum natura, id quod amãtissimũ est, fecisse commune, vt acerbitatem facti cõsolaretur æqualitas. Eccl. 38. *Mihi heri & tibi hodie.* Acerbũ videtur ei, qui bene agit, affligi: maximè dum videt malè agẽtes, prosperare. Verũ adæquatio cõpensationis & remunerationis per mortẽ illũ cõsolatur. Molestũ est etiã illi, qui iniurias patitur, si iniuriosus non puniatur, consolatur vero ipsa morte, in qua Deus

Mortis æqualitas cõsolatur.

Eccl 38. 23.

Ad Coloss. 3.24. vindictam non prætermittet, sed per omnem patientiam præmio afficiet. Ad Coloss. 3. *Scientes quod à Domino recipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo seruite.* Quod ergo
Hebr. 10. 39. boni non excipiantur à morte, nec mali, non fit ad perditionem, vt verum est de malis, sed ad acquisitionem salutis, Hebr. 10. *Non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei, in acquisitionem animæ.* In iudicio mortis, De⁹ etiam magnitudinem suæ potentiæ ostendit: In hac vita multi magni habentur vt Reges, Principes, &c. quos Deus nihili facit, dum
Ps. 135. 17 morte eos opprimit, Ps. 135. *Qui percußit Reges magnos, & occidit Reges fortes.* Iob. 12. 18.
3. Reg. 4. 30 *Balteum regum dissoluit.* Alij magni sunt ob sapientiæ magnitudinem & scientiæ. 3. Reg. 4. *Præcedebat sapientia Salomonis, sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat sapientior omnibus hominibus:* Hos Deus etiam contemnit, quia sapientia æterna omnibus præstat. Iob. 36. 26. *Ecce Deus magnus, & vincens nostram scientiam; & ideo moritur Do-*
Psal. 48. 9. *ctus, pariter & indoctus.* Psal. 48. *Cum viderit sapiētes moriētes simul insipiēs & stultus peribūt.*

Quidam habentur magni propter diuitiarum abundantiam, 1. Reg. 25. 2. Nabal dicitur magnus nimis, id est, *valde diues: Erant enim illi oues tria millia, & mille capræ,* &c. Has diuitias nō veretur Deus dum illis homines
Luc. 12. 19. per mortem spoliat. Luc. 12. exemplum est, de illo diuite qui animæ dicebat, *Anima mea, habes multa bona,* &c. Deus respondit. Stulte

hac nocte repetam animam tuam, & quæ cõgregasti, cuius erunt? Igitur Deus per mortẽ, omnem magnitudinem ad æqualitatem reducit. Vnde Exod. 15. *Irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui.*

Tertiò, Deus in iudicio mortis, ostendit æqualitatem suæ prouidentiæ, quia pusillum & magnum fecit Deus, ideo æqualiter est illi cura de omnibus: Simile quid iubet fieri in iudicio humano, vt conformetur iudiciò diuino. Eccl. 5. *Iustifica pusillum & magnum similiter:* Dicet aliquis Deum æqualiter curã non habere de omnibus quandoquidẽ Deus non æqualiter amat omnes homines: inquit D. August. super Ioan. licet Deus amet omnia quæ fecit, rationales tamẽ creaturas magis diligit, inter quas illi chariores sunt, quæ sunt membra vnigeniti filij sui, ergo non æqualiter est illi cura de omnibus.

Exod. 15. 17.

Eccl. 5. 18.

Prouidētia Dei.

Obiectio.

Respondendum est, amare esse velle bonum alicui: Si ergo consideretur iste actus ex parte Diuinę voluntatis, Deus æqualiter omnia amat, quia omnia diligit vno simplici actu voluntatis, & semper eodem modo se habente. Si vero ex parte boni, quod Deus vult his quos amat, dicitur plus amare eos, quibus vult maiora bona. Et cum eius amor sit causa bonitatis rerum, consequens est, vt quantò aliquis melior est, tantò magis à Deo diligatur. Cum ergo ait æqualiter illi est cura de omnibus, non intelligendum est, quasi æqualia bona omnibus largiatur, sed quia æ-

Prouidētia Dei.

Sap. 12. 13. quali sapientia & bonitate omnibus prouidet, omnesque gubernat, Sap. 12. *Non est alius* 1. Pet. 5. 7. *Deus, quàm tu, cui cura est de omnibus.* Vnde ad eum omnes confugere debemus, iuxta illud. 1. Petr. 5 *Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis.*

Secundò, in themate assumpto describitur mortis potestas in detinendo, quia ibi sunt sup. in sepulchro, magnus & paruus De Ioa. 19. 41. Christo dicitur, Ioan. 19. *Erat autem in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Ibi ergo posuerunt Iesum, licet non diu in eo permanserit, quia tertia die resurrexit. Porro causa mortis, in alio seculo mortui perpetuò collocantur. Et hoc est Ecclesiast. 11 3. quod figuratè dicitur Ecclesiast. 11. *Si ceciderit lignum ad austrum vel ad Aquilonem, vbicunque ceciderit, ibi erit.* In quibus quidem verbis quatuor describuntur.

Nam primò, describitur hominis viuentis figura.

Secundò, morientis ruina.

Tertiò, ruentium distantia, ad austrum vel ad Aquilonem,

Ezech. 15. 2. Quartò, distantiæ perseuerentia.

Per lignum figuratur homo: Per lignum inutile, homo peccator, Ezech. 5. *Fili hominis, quid fiet de ligno ex omnibus lignis nemorũ,* Peccatum separat nos à Deo. *quæ sunt inter ligna syluarum: Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricetur de ea paxillus vt dependeat in eo, quodcunque vas:* Ecce igni datum est in escam. Lignum vitis, id

est palmes, quo nihil fructuosius quandiu viti adhæret, à vite vero separatus, nullum est lignum eo inutilius. Idem iudicandum est de peccatore: Vitis est Christus, palmes à vite separatus est peccator à Christo gladio iniquitatis separatus, *quia iniquitates nostræ, diuiserunt inter nos & Deum nostrum*, Esa. 59. Inter ligna nemoris id est, inter fideles Ecclesiæ, qui diuersis funguntur officijs, efficitur peccator inutilis respectu sui, non tolletur enim ex eo lignum, ex quo aliquod opus fieri possit, id est, nullus ab eo producetur actus, qui sit meritorius, ex quo mansio cœlestis fabricari possit. Et etiam respectu aliorum, quia erit lignum, quo non fiet paxillus, id est, paruus palus, in quo pendeat aliquod vas, hoc est, ex quo fieri possit Prælatus humilis, rectus & constans, à quo dependeant & sustineantur subditorum animæ. Et ideo solum valet, vt sit esca ignis peccati in hoc seculo, quia peccatum est fornax babylonica, quæ succenditur malleolis: Et etiam vt sit esca gehennæ ignis in futuro. Per viride autem lignum & fructuosum, figuratur homo iustus, qui est in charitate radicatus, diuinæ gratiæ influentia irrigatus, & fructibus bonorum operum repletus, de quo Psal. 1. *Erit tanquā lignum, quod plantatum est, secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Esa. 59. 2. Psal. 1. 3.

Secundo notatur in auctoritate inducta hominis morientis ruina, cū dicitur si ceciderit. Ecclesiast. 11. 3.

Hominis fragilitas. Quando cadit vel frangitur vas aliquod vilissimi prætij, parum quis irascitur, si sit prætiosissimum, nec reparari possit, maximo dolore afficitur: homo in se duo vasa continet, vnum luteum & debile, hoc est corpus, quod quidem si cadat & morte frangatur non debet multum curari, maximè quia in resurrectione reparabitur. Alterum est vas prætiosũ & nobile, anima videlicet quæ frangitur, quando homo impœnitens in peccato moritur, quia nequaquam amplius reparari potest, Hier. *Cadetis quasi vasa prætiosa*: contra de vero pœnitente dicitur, cum ceciderit non collidetur. Sup. collisione damnationis.

Ecclesiast. 11. 3. Tertio ponitur in auctorit. allata morientium differentia, cum dicitur ad austrum, & ad Aquilonem. *Austrum quid.* Nam ille cadit ad austrum, qui moritur in gratia, per contritionem perfectam, integram & humilem confessionem, & idoneam satisfactionem. *Eccl. 43 22.* Ille vero cadit ad Aquilonem qui moritur in frigore infidelitatis vel malitiæ, Eccl. 43. *Frigidus ventus Aquilo flauit & congelauit chrystallus ab aquis.* Frigidus ventus Aquilonis est finalis & vehemens tentatio Dæmonis, qua tentat morientem, vel de infidelitate, vel de desperatione, & tunc aqua mobilis efficitur, per cõgelationem crystallus durus, immobilis à sua malitia, quia mens, quæ per liberum arbitriũ erat mobilis ad bonum & ad malum: per cõgelationem infidelitatis vel desperationis, efficitur dura ad pœnitẽtiã & omnino obstina-

ta ita vt impœnitens & desperatus moriatur peccator. Vel per lignum præcisum, intelligitur iustus, qui sublatus per mortem, cadit austrum, hoc est, transit ad paradisi gaudium. Iob. 36. *Plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrū.* Accipiter significat animā pondere peccati alleuatam, vel onere corporis *plumescit*, dum nouas plumas seu dotes gloriæ accipit: *expandens alas suas*, intellectū & voluntatem, ad austrum id est ad summum paradisi gaudium, siue ad Deum. Abacuc. 3. *Deus ab Austro veniet.* Cadit vero lignum ad Aquilonem, quando peccator mortuus ducitur ad inferni supplicium, vt ibi in sempiternum permaneat cū Apostata Angelo qui ait. Esa. 14. *Ponam sedem meam in lateribus Aquilonis.* Aquilo dicitur, quia aquas ligat & cōstringit. Ideo Aquilonis regio gelida est, obscura & tempestuosa propter ventorum impetus & tempestates. Significatur infernus in quo est frigiditas obstinatæ malitiæ, & obscuritas non tantum corporalis, sed etiam spiritualis, ob luminis gratiæ & gloriæ omnimodam priuationem. Hierem. 1. cap. *Ab Aquilone pandetur omne malum.*

Iob. 39. 29.

Abac. 3.

Esa. 14. 13.

Aquilo quid significet.

Hier. 1. 14.

Quarto in auctor. inducta ponitur distātiæ perseuerantia, cum dicitur, *Vbicumque ceciderit, ibi erit,* scilicet, immutabiliter. D. Hieronimus. Vbicunque tibi locum præparaueris futuramque sedem, siue ad Austrum, siue ad Aquilonē, ibi cum mortuus

Eccl. 1. 15. 2.

fueris, permanebis Psalm. 65.5. *Ibi lætabimur*
Esa 51.11. *in ipso.* Sup. Deo. Esa. 51. *Lætitia sempiterna super capita eorum.* Psalm. 5.13. *In æternum exaltabunt & habitabis in eis.* De Aquilone vero. Matth. 8.12. *Ibi erit fletus, & stridor dentium.*

Job. 3. 19. Tertiò quoque in themate, ostenditur mortis auctoritas, est enim tanta vt de seruo liberum faciat, & ideo dicit, quod ibi seruus est liberá domino suo. Est porro seruitus quædam salutem impediens, quæ est peccati: Ioa. 8. *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati*: Ab hac homo liberatur per mortem, respectu præteriti, si adsit pœnitētia, respectu futuri, quia ampliùs peccare non potest, neque demereri. Beati enim habent voluntatē confirmatā in bono, & damnati obstinatā in malo, quæ obstinatio est potius pœna quàm culpa. Est alia seruitus quæ salutem non impedit, vt quando aliquis alteri famulatur, eam parum nos afficere debet, licet libertas melior sit, 1. Cor. 7. *Seruus vocatus es, nō sit tibi curæ. Sed si potes liber fieri magis vtere, qui enim à domino vocatus est seruus, libertus est domini.* In quibus verbis ostendit Apostolus triplicem rationem, quare homini ea seruitus non debet esse molesta: prima est, quia non excludit animæ salutem, nec impedit quominus ad fidem Christi, & eius cultum vocari possit. *In Christo Iesu, non est seruus neque liber*, ad Gala. 3. id est, differentia seruiāt liberi apud eum nihil efficit. Secunda ratio,

Seruitus duplex.

Ioan. 8, 34.

1. Cor. 7. 21.

Ad Gala. 3. 28.

quia non excludit benefaciendi libertatem: multa enim bona poteſt agere ſeruus, ſi tamen potes fieri liber, magis vtere, quia plura bona facies. Nullus tamen deſinet bene agere in quocunque ſtatu, Epheſ. 6. *Vnuſquiſque quodcunque fecerit bonum, hic percipiet à domino, ſiue ſeruus, ſiue liber.* Tertia ratio, quia humana ſeruitus, non tollit diuinam libertatem, quia qui in domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt domini. Sicut etiam de contrario, humana libertas nō prohibet diuinā ſeruitutem. Secundum illud 1. Cor. 7. *Qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti*, de cuius ſeruitio recipiet æternam mercedem. Ad quam nos perducat dominus Ieſus, qui ſine fine viuit & regnat, Amen.

Ad Epheſ. 6. 8.

1. Cor. 7. 22.

IN FVNERE ALICVIVS MILITIS, AVT EQVITIS aurati.

THEMA.

Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.
Iob. 14.

Iob. 14 14.

REges & Principes, diuerſi generis diuerſas domos poſſident, quædam ſunt vt in eis voluptatem capiant, vt palatia ad conuiuandum, horruli ad

deambulandum. Quædam sunt doloris & supplicij, vt turres, carceres, patibula: Aliæ exercitij causa, eiusmodi sunt castella, vbi exercentur equi & homines ad militiam. Ita Christus Dominus, Rex regum & Dominus dominantium locum habet, vbi omnis capitur delectatio, estque paradisus, in quo sunt regales diuitiæ, fœlices delitiæ, & honores excellentiæ Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, Regnum: vt edatis & bibatis, super mensam meam in regno meo*: In regno namque diuitiæ, in esu & potu delitiæ, in sessione mensæ, honor excellentiæ designatur. Locum possidet pœnarum & tristitiæ, infernum scilicet, vbi pro diuitiis sunt inestimabiles miseriæ, pro delitiis interminabiles angustiæ, pro honoribus confusibiles contumeliæ. Vnde Dominus Matth. 25. dicet reprobis. *Discedite maledicti*: damnatos ita vocat, propter æternas ad ardorem ignis miserias, qui paratus est diabolo & angelis eius. Habet etiam Dominus locum exercitij, mūdum videlicet, qui ad militandum, non ad quiescendum, datus est nobis. Est veluti cāpus latissimus, in quo nonnulli armis exercentur pœnitentiæ, vt peccatores conuersi, Alij armis misericordiæ, vt sunt qui vitam profitentur actiuam, quidam armis sapiētiæ, vt qui contemplationi incumbunt: Nonnulli armis patientiæ, vt omnes iusti, quia multæ tribulationes iustorum. Ex his patet arma militiæ nostræ, non esse carnalia sed

Luc 22. 29.

Matth. 25.

Mundus locus exercitiis militia.

Militia hominis.

ſpiritualia: Quæ militia licet ſit laborioſa, tamen mortis & iudicij mutatione accedēte, maximo præmio compenſabitur: hoc eſt, quod ex perſona cuiuſlibet militis dicitur in verbis in Themate propoſitis. *Cunctis diebus, quibus non milito, &c.* In quibus quidem verbis de exercitio ſpiritualis militiæ, deſcribūtur tria.

Primum eſt opportunitas temporis.

Secundum eſt, ſtrenuitas operis.

Tertium eſt, excellentia & æquitas muneris ſeu mercedis.

Primum inducit ad laborandum, Secūdum ad dimicandum, Tertium ad expectandum. Hæc igitur militia laboribus plena eſt, & afflictionibus propter expectationem: *quia ſpes quæ differtur affligit animam.* Prou. 13. *Prouerb. 13*

Circa primum, animaduertendum eſt, tēpus laboris huius militiæ, primò diuturnitatem habere, qûia durat, *cunctis diebus*, quibus homo viuit, ideoque laborioſa: Nam bellum ſemper gerit aduerſus carnem, mundum & diabolum. Vt ſe defendat miles Chriſtianus tueatur, & conſeruet. Eccl. 2. *Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni ſunt: nec per noctem quieſcit mens eius.* Hi dolores ſunt plurimum à parte mundi, dolor enim inquit D. Auguſt. 14. Lib. de Ciuit. eſt animæ, ab iis rebus, quæ nobis nolentibus & diſſentiētibus accidunt. Hoc autem ſingulis diebus contingit: Cuncti igitur dies hominis dicuntur eſſe doloribus pleni. Tullius li. 4. Tuſcul. quæſtionum:

Militiæ huius mundi labor diuturnus.

Eccl. 2.

Dolor quid. *Dolor est ægritudo crucians* : Vocat ægritudinem, passionem animæ, qua in seipsa cruciatur, dum patitur, quæ sibi displicent. His doloribus quotidiè affligitur homo, quos tamen si æquo animo ferat, & temperet, multas à Deo consolationes accipiet Psal. 93. *Secundum multitudinem dolorum, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Patientiam sequitur cõsolatio.

Psal. 93. 19.

Dies hominis dicuntur etiam pleni doloribus & ærumnis, ob carnis frequẽtes, impugnationes, caro enim concupiscit aduersus spiritum : Vel propter eiusdem ægritudines, nam vt ait Tullius. Ærumna est ægritudo laboriosa sensualitati. Propter resistendi difficultatem: Vel si non resistit, in conscientia oritur ex remorsu, tristitia. Vnde Eccl. 5. *Cunctis diebus vitæ suæ, comedit in ærumna & tristitia* : Comestio hæc est sibi ad ærumnæ augmentum, tum quia in sudore vultus sui vescitur pane suo : Tum quia ipsa comestio auget concupiscentiæ passionem.

Ecclesiast. 5. 16.

Quando vero mens impugnatur à dæmone, inquietudinem habet, propterea dicit, *neque per noctem*, id est, neque per tenebras tẽtationis diabolicæ quiescit mens eius. Vel ad literam, *neque in nocte*, quando homo plus appetit quiescere, diabolus varias immittit tentationes Iob. 9. *Non concedit quiescere spiritum meum.* Eccl. 8. *Non sinitur quiescere ingruẽte bello.*

Iob. 4. 18.
Eccl. 8. 8.

Secundò, tunc tempus militiæ præsentis habet oportunitatem, cum est oportunũ

ad dimicandū & militandum. Tria sunt tempora vitæ humanæ, præteritum , præsens & futurum. In præterito non possumus militare Deo, quia iam præteriit. Futurum incertum est, nullus enim certus est, se ad senectutem peruenturum. Vnde si contingat alicui illud expectare forte non attinget. Et ita sit, natura tamen debilior ad pœnitentiam agēdam, consuetudo procliuior ad peccandum, & hostis crudelior ad impugnandum. Opera vero pœnitentiæ minus grata, ad accipiendum, sicut qui domino seruit, cū equo claudo, cæco & senectute cōfecto: aut qui alteri vestem putridam & consumptam offert. 2. Cor. 6. *Ecce tunc tempus acceptabile*, hoc idem patet ex loci cōgruentia, nō enim omnia loca idonea sunt ad militandū: nam damnati in inferno non militāt, turpiter enim ab hostibus deuicti, in carcere detinentur & cruciantur. Qui etiā sunt in purgatorio, nō militāt, quia ibi inclusi, pro peccatis satisfaciūt. Nec qui in paradiso, deuictis enim hostibus, ibi perpetua quiete fruuntur. Hic igitur mūdus, est locus militiæ. 2. Machab. 1. *Nunc autē hic sumus*, scilicet in loco pugnæ & militię Ios. 24. 14. *Nunc ergo timete dominum & seruite ei. Seruite*, Scilicet, in exercitio spiritualis militiæ, contra vitia viriliter dimicando.

Militia tēpus præsens oportunum.

2. Cor. 6. 2.

Machab. 1.

SECUNDO, in themate assumpto describitur strenuitas operis, quæ inducat ad dimicandum , cum dicitur , *Milito* : Nam militia corporalis instituta est ad strenuum

Iob. 14. 14.

opus, id est, ad bellandum pro defensione patriæ vel reipublicæ. Narrat Eutropius Romulum, instituta republica Romanorum pro eiusdem defensione mille viros fortes, generosos & armatos elegisse, quos à numero millenario milites appellauit: At vero qui militiæ Christi inscripti sunt, aduersus hostes dimicant spirituales, dæmones videlicet & tentationis, carnis, & mundi, pro animæ salutis defensione, ne iis, qui ituri sunt in cœlum, sint impedimento: Cum ergo vtraque militia, ad bonum animæ & reipublicæ ordinetur, bona dici debet: Nam cuius finis bonus est, id quod est ad illum finem, bonum, sit necesse est 1. ad Timo. 1. *Milites in illis bonam militam habent fidem, & bonam conscientiam.* In quibus verbis Apostolus tria facit.

Militia corporalis bona.

Miles unde dictus.

1. ad Timoth. 1. 18.

Primò, præcipit exercitium difficile.

Secundò, adiungit officium laudabile.

Tertiò, ostendit armaturam inuincibilem.

Circa primum animaduerte, militare officium difficile esse, & laboriosum quia milites arma gestare & sese periculis exponere sæpissimè coguntur: Qui labor mitigatur, si miles bona stipendia recipiat, & honorifica præmia expectet: Tūc enim fortiter pugnat, & nihil non patitur, vt vincat. Obijciet aliquis propter stipendia gerere bellum, non licitum esse: quia præferre minus bonum maiori non licet: Sed vita ēst maius bonū quàm

Bellum genere propter lucrum sit ne bonum.

quàm pecunia, igitur propter lucrum pecuniæ, vita non eſt periculo exponenda, nec ex conſequenti militare licet propter lucrum. Reſpondendum eſt, militare propter ſtipendium, non eſſe licitum, quoties in ipſo lucro vel ſtipendio vltimus conſtituitur finis militiæ: Si autem ad commune bonum reipub. referatur: militia licita eſt, eſtquę ſaluti & vitæ propriæ præferenda. Refertur etiam iſtud lucrum ad finem aliquem honeſtum puta ad ſuſtentationem ſui vel familiæ, vel pauperum, ſicut & alia lucra honeſta. Sic militantes Chriſto in militia ſpirituali, recipere poſſunt ſtipendia pecuniarum vel alterius alicuius rei, vt ſunt prædicatores, & Eccleſiarum rectores non per modum venditionis aut emptionis, quia hoc eſſet Symoniacum, 1.q.1. dicitur, quicquid inuiſibilis gratiæ, cõſolatione tribuitur, nunquam quæſtibus vel quibuſlibet præmiis venundari penitus debet; Sed tamen accipere poſſunt, pro ſubſtantatique ſua, quod illis debetur, iuxta ordinationem Eccleſiæ & conſuetudinem approbatam. Ita tamen vt ſemper venditionis aut emptionis abſit intentio: nec vi exigatur, per ſpiritualium abſtractionem: Hoc enim quandam præ ſe fert venditionis ſpeciem. Sed gratis priùs exhibitis ſpiritualibus, licitè capi poſſunt ſtatutæ & conſuetæ oblationes, vel quicunque alij prouentus, exigi: Vnde concionantibus debentur etiam temporalia, ad eorum ſuſtenta-

tionē, non ad emendum prædicationis verbum, hinc super illud. 1. ad Timo. 5. *Qui bene præsunt presbyteri*, dicit glosa, quod necessitatatis est accipere vnde viuitur, sed charitatis prædicare Euangelium.

1. ad Timo. 5.17.

Dantur etiam aliqua temporalia missas celebrantibns, vel dicentibus officium Ecclesiasticum, siue pro viuis, siue pro defunfunctis, non quasi præmium, sed quasi sustētationis stipendium. Item ille qui non tenetur ex officio spiritualia exhibere, potest pro eis eodem modo recipere aliquid temporale 12. q. 2. charitatem. Ex quo sumitur argumentum, sacerdotem posse locare suas operas, si non habeat vnde viuat. Item processionibus quæ fiunt pro defunctis, & in funeribus, nonnullæ recipiuntur elemosynæ. Illi etiam qui dant pauperibus elemosynas, vt impetrēt orationum suffragia, & ex charitate pro eis orent. Inde patet milites siue Dei siue mundi non debere suis militare stipendiis. Ideo dicitur. 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis suis?* quasi dicat nullus.

1. Cor. 9. 7.

Secundo in auctoritate inducta specificat officium laudabile, scilicet bonam militiam. Illa autem dici potest spiritualis, de qua Apostolus 2. Corinth. 10. ait, *arma militiæ nostræ non esse carnalia, sed spiritualia.*

2. Cor. 10. 4.

Intelligi etiam potest militia corporalis, quæ ad defensionē reipublicæ refertur, & ad rebelles armis corporalibus reprimendos. Nec desunt Sancti viri qui in sacra

ſcriptura militaſſe dicuntur: Auguſt. ad Bonifacium; Noli exiſtimare neminem Deo placere poſſe, qui armis belliicis miniſtrat. Inter hos erat Sanctus Dauid, de cuius integritate dominus teſtatus eſt. Item Iudas Machabæus. 1. Machab. 3. *Is præliatus eſt prælia Iſraël cum lætitia, & dilatauit gloriam populo ſuo.* Et Symon frater eius, qui dixit 1. Machab. 16. 2. *Vos ſcitis quanta ego & fratres mei, & domus Patris mei fecimus pro legibus & ſanctis prælia.* Ex quibus cõcludendũ eſt militiã eſſe bonam, quæ ad reipublicæ defenſionẽ, & diuini cultus conſeruationem ordinatur. 1. Machab. 3. 2.

Apud Chriſtianos inſtitutæ ſunt quædam religiones ad militandum, vt eſt hoſtiliariorum Sancti Ioannis, ob occultus diuini & Eccleſiæ, veræ & publicæ ſalutis, vel etiam oppreſſorum & pauperum defenſionẽ Pſal. 81. *Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris, &c.* Item ille bonus centurio de quo dixit dominus. Matth. 8. 9. *Non inueni tantam fidem in Iſraël: Nam & ego ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites.* Pſal. 81. 1.

Porro vt militia ſit bona & licita, quatuor obſeruanda ſunt. Primo militans ſit laicus, neceſſe eſt, clericis enim interdicta eſt militia, arma geſtare, & ſanguinem fundere 23. q. 8. clerici, niſi cogat maxima neceſſitas. Secundo debet eſſe bellum iuſtũ, vt quando geritur auctoritate principis, aut ex iuſta cauſa. Tertio ſit intentio recta bellantium, hoc eſt, vt bonũ promoueatur, *Militia quando iuſta.*

& malum vitetur. Si igitur constet bellum esse iustum, licet bellum gerere, sin minus, non licet. Si vero sit dubium, excipere debet superioris mandatum, quia tunc propter obedientiam excusatur: Licet dominus & superior peccet præcipiendo militi, arma sumere: Si vere non sint subditi, huic periculo non se committant, vt in præiudicium alterius, aliquem iuuent. Quia vt dicit D. Ambrosius, si non potest alicui subueniri, quin grauetur alter, commodius est, neutrum iuuare, quàm alterum lædere, 24. q. 5.

Denique habenda est ratio stipendij militis, ne dolo vtatur, careat armis vel aliis rebus, quas ad militandum habere tenetur: Nec aliquid aliud præter stipendium debitum, vi & violentia exigat, aut rapiat, tanquam prædo. Vnde ait Augustinus. Propterea quadam prudentia militantibus: stipendia constituta sunt, ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur 23.q.1. Militare. Vnde Luc 3. *Conuēti estote stipendiis vestris.* Miles etiam debet vitare militiæ abusum qui in concutione innocentium consistit. Patet igitur, quomodo secularis militia bona dici possit de qua. 2. Cor. *Labora sicut bonus miles Christi.*

Luc. 3.4.

Militia bona quid requirit.

Vbi ostenditur ad bonam militiam hæc requiri, vt militet quis diligenter, decenter, viriliter, & salubriter, Diligentia notatur in labore, decentia in milite, virilitas in bono

milite, ſed ſalubritas in Chriſti militia. Felix ergo miles, qui eſt diligens in labore, decens in conuerſatione, virilis in actione, ſalubris in intentione. *Miles Fælix.*

Tertiò, in auctoritate ſuperius inducta inuincibilis additur armatura, quæ eſt bonam. conſcientiam & fidem habere. Quia conſciẽtia recta nihil metuit. Ait enim Seneca, quod nihil timendum faciat animum niſi reprehenſibilis conſcientia. Hanc armaturam habebat qui dixit. Act. 23. *Ego omni conſcientia bona conuerſatus ſum ante Deum.* Sed fides vera eſt, ſicut ſcutum, quod omnes ictus aduerſarij refellit. Vnde Apoſtolus ad Epheſ. 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere.* *Act. 23. 1.* *Ad Epheſ. 6. 16.*

TERTIÒ, notatur dignitas & præſtantia muneris ſiue mercedis, quia expecto, *donec veniat immutatio mea.* Duplicem immutationem expectat miles. Vnam in morte, Aliam in reſurrectione. Prima erit ad gloriam animæ, ſecunda ad corporis reformationẽ. Iacob. 5. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum. *Iob. 14. 14.*

Temporaneus fructus, eſt pręmium quod redditur animæ tempore mortis, pro labore vitæ temporalis: Serotinus eſt quem recipiet ſero, hoc eſt, in finę mundi ad Philip. 3. *Saluatorem expectamus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitati noſtræ, &c.* *Ad Phil. 3. 20.*

Cæterum primam immutationem miles Christi, cũ magno desiderio expectat, triplici ratione. Primo ratione veritatis cognoscendæ: Nam in hac vita, nulla perfecta ratio de rebus reddi potest, ne quidem de herbis aut plãtis, & earũ proprietatibus & virtutibus.
Eccl. 8. 17. Eccl. 8. *Hoc intellexi, quod omnium operum Dei, nullam possit homo inuenire rationem*: At in illa Dei visione benefica omnia videbuntur. Nã ait D. Gregor. Quid est quod non videant,
Esa. 8. 17. qui videntem omnia vident? Esa. 8. *Expectabo dominum, qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum.* Quasi dicat, qui nunc
Cognitio perfecta cũ Dei visione. abscondit faciem, tunc reuelabit, eã & ita in visione essentiæ suæ, videbimus eũ, sicuti est.

Primo ratione beatitudinis assequendæ: Nã ab omnibus beatitudo desideratur, nec vllus est, qui nolit esse beatus: Vnde quicquid potuit, effecit Salomõ, vt hîc diceretur
Eccl. 2. 4. beatus. Eccl. 2. *Feci* (inquit) *mihi domos, & plantaui vineas*, &c. *Et omnia quæ desiderauerũt oculi mei, non negaui eis*, &c. *Cumque me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores meos, in quibus sudaueram; Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem spiritus, & nihil permanere sub sole.* Quidam Philosophi in diuitiis beatitudinem posuerunt, alij in honoribus, nonnulli in voluptatibus, alij eam constituerunt in futura vita: Cum enim beatitudo sit status, omniũ bonorum aggregatione perfectus, nec sit in hac vita, necesse est
Tob. 2. 17. expectetur in alia. Tob. 2. *Vitam illam expecta-*

mus, quam Deus daturus est. Primo ratione quietis possidendæ. Non enim quietatur res nisi in suo loco, ait Aristotel. Sicut patet in pisce, lapide & ignè, sed non inuenitur nisi in Deo, Micheæ. 2. *Surgite & ite, quia non habetis hîc requiem.* *Mich. 2.10.*

Secunda immutatio, quam expectat miles Christi, erit in resurrectione, quando corruptibile hoc, sup. corpus, induet incorruptionem, & immortalitatem. 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Nam mali non immutabuntur immutatione glorificationis, sed tantùm boni glorificabatur. Ad quam glorificationem perducat nos dominus Iesus, Amen. *1. Cor. 15.51.*

IN FVNERE ALICVIVS MILITIS RELIGIOSI.

THEMA.

Militia est vita hominis super terram. Iob. 7. *Iob. 7.1.*

IMperatoriam maiestatem, non solum armis decet esse instructã, sed etiã legibus munitã: Legibus enim diriguntur subiecti, armis vero reprimũtur relbelles & aduersarij. Ad eũdem modum cœlestis imperator Deus optimus Maximus, in cuius manu est potestas & imperiũ rempublicã suam maiestati subiectam sapientissimis legibus decorauit: *Leges necessariæ.*

Lege scilicet veteri, per Angelos in manu Moysi: deinde lege noua, per verum mediatorem Dei filium, quem præfigurauit Moyses. Deinde eandem fortissima militia circũcinxit, & illorum armis, de quibus dicitur.

Zach. 9. 8. Zachar. 9. *Circumdabo domum meam*, id est, Ecclesiam, ex iis qui militant mihi.

Militiæ Dei duo loca. Obseruandum est porro, deum habere duo loca præcipua, vbi militiam suam exercet. Alter locus est, in quo milites probantur: Sicut apud Romanos, priusquam ascriberentur Tyrones numero militum, multum probabantur. 4. Reg. 25. *Dicitur quod Sopher princeps exercitus probabat Tyrones de populo terræ.* Alius locus est, in quo milites probati honorantur & præmio afficiuntur. Ille est terra, hic est cœlum: hinc militia cœlestis appellatur, quæ ex Angelis & hominibus constat. Luc. 2. *Facta est cum Angelo, multitudo militiæ cœlestis.* Hic viuens homo vere miles est, vnde vita hominis, quasi probatio militis dici potest. Ideoque in Themate dicitur *militia super terram.* Quibus quidem verbis, de vita hominis tria docet.

4 Reg. 25. 19.

Luc. 2. 13.

Primò difficilem esse & laboriosam.

Secundò, breuem & calamitosam.

Tertio, vtilem, & ignominiosam.

Probantur milites, quando in bello exercentur, quod quidem difficillimum est & laboriosissimum: Atqui hominibus, in hac vita degentibus, nõ desũt hostes frequẽtissimi, cum quibus perpetuò sit dimicandũ, vt sunt

à carne, mundo, & dæmonibus tentationes: Armis igitur semper muniantur, ne succumbant & vincantur necesse est. 2. Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destructionem munitionum.* *Arma spiritualia.* *2. Cor. 10. 4.*

Vbi arma spiritualia quadrupliciter commendantur.

Primò, à necessitate.

Secundò, à congruitate.

Tertiò, à duratione.

Quartò, à virtute.

Circa primum, licet homo sit fortis & generosus, si tamen inermis in certamen prodeat, non tanta securitate pugnat, quam si armis instructus fuerit: Arma igitur audaciā augent: Quorum alia sunt iuuasiua, quibus hostis impugnatur, vt ensis, lancea, & alia huiusmodi: Alia defensiua, quibus homo protegitur, vt scutum, lorica, & huiusmodi: Illis miles debet esse instructus, quando ineundum est certamen cum hoste: His vero semper, maximeque si versetur inter hostes, & si nesciat locum, aut tempus, quo sit dimicandum. Arma spiritualia quibus inuaditur & impugnatur hostis noster Diabolus, sunt opera virtutum, ea gestare semper non est necesse, imo impossibile: Sufficit enim vt tempore & loco, virtutes in praxim reuocemus, sicut viso paupere, elemosynam largiamur. Defensiua vero, sunt habitus virtutum, quibus homo stat securus ne lædatur, Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, vt possi-* *Arma inuasiua & defensiua.* *Virtutes arma spiritualia.* *Ad Ephes. 6.11.*

tis stare aduersus insidias diaboli. Figuram habemus in Ægyptiis quando persequebãtur filios Israel. Quemadmodũ enim homo inermis, eodem ictu læditur & occiditur, sic destitutus gratia & virtutibus, aliquando eadẽ vehementissima tentatione percutitur, & vita priuatur: quod quidem malum & periculum euaderet, si virtutum armis muniretur, Rom. 13. *Induamur arma lucis*: Illuminãt enim mentes nostras, & cautos nos reddunt, aduersus hostium insidias.

Ro. 13. 12.

1. Cor. 10. 4.

Secundò in auctoritate citata commendatur opera virtutum ex congruitate: Vbi obseruandum est, militiam nostram, Dei esse militiam, qua purgandum est aduersus exercitum diaboli: qui constat militia carnis, mundi, & dæmonum. Hæc est congeries peccatorum superbiæ, vanæ gloriæ, inuidiæ, iræ, & accediæ, aliorùmque huius generis. Hæc dicitur militia cœli, quia diabolus de cœlo cecidit, cum talibus vitiis. Quando ergo miles Dei horum vitiorum tẽtationibus, forti & generoso animo resistit, tunc militia cœli, id est, dæmonum qui de cœlo ceciderunt tabescit & vincitur. Esa. 34. *Tabescet omnis militia cœlorum, & defluet.*

Militia dæmonum quæ

Esa. 34. 4.

Alia est militia carnis, cuius milites sunt desideria carnalia & immunda: à quibus abstinendum est, vt vincantur. 1. Pet. 2. *Obsecro vos abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.*

1. Pet. 2. 11.

Tertia militia est mundi, cuius milites sunt concupiscentiæ, prosperitatis, diuitiarũ, delitiarum, voluptatis & honorum. Item formido aduersitatis. Qui igitur ea magnitudine animi prędiccus est, quia prospera despiciat, & aduersa non metuat, dicet cum Iudith. 6. *Gladius militiæ meæ transibit per latera eius.* Gladius iste est virtus magnanimitatis, quæ tunc per latera mundi transit, quando prospera mundi contemnit, & eius aduersa non metuit. *Arma spiritualia.* *Iudith. 63.*

Tertiò, commendãtur arma spiritualia ex duratione, quia cum ipso spiritu, non cum carne durant & remanent. Ratione igitur subiecti, primò dicuntur non esse carnalia, quia arma hoc est habitus virtutum inhærent animæ, Matth. 26. *Spiritus promptus est, caro autem infirma.* Et D. Aug. Virtus est bona qualitas mentis. Atqui vnumquodque est in aliquo, secundum modum eius in quo est, ergo sunt habitus virtutum in mente firmiter & cõstanter inhærentes. Est enim (inquit Philosophus) habitus qualitas difficile mobilis. *Matth. 26. 41.* *Habitus quid.*

Non quod illi habitus amitti non possint, quia virtus infusa per vnum actum peccati mortalis tollitur, licet anima cui inhæret sit perpetua, constans & firma, secundum substantiam: Deinde licet virtus recipiatur in anima secundum modum animæ, vt recipitur etiam mediante potentia naturali,

cuius proprietas est, vt ad opposita sese extendat: Ideoque non sic firmatur per habitum, quin ipse per oppositum tollatur. Præterea nulla est res adeò stabilis, quę statim ex se non deficiat, sua deficiente causa: Deus autem est causa infusionis virtutum: Deo igitur ab anima separato, non est mirum, si virtus infusa non permaneat. Dicuntur tamē arma spiritualia multò stabiliora carnalibus, tum quia caro est interitui obnoxia, non autem anima, tum quia nusquam nisi voluntariè homo armis illis destitui potest. Carnalia vero, vt sanitas, fortitudo, pulchritudo etiam nobis inuitis eripiuntur. Caro etiam, quæ est illorum subiectum, multas causas mutationis habet, ideòque etiam illa, quæ ex ea pendent. Anima verò immobilis est, & perpetua ergo & eius qualitates difficillime amouentur à subiecto.

Arma spiritualia, stabiliora carnalibus.

Quartò commendantur arma spiritualia ex virtute, quia à Deo virtutem accipiunt, in naturalibus virtus inferior non sufficit ad agendum, nisi à superiori corroboretur, vt secundæ causæ nihil efficerent, nisi à primis mouerentur, hinc ait Arist. Sol & homo generant hominem. Sic virtus humana non sufficiet aduersus hostes spirituales, nisi auxilio muniatur diuino ad Philip. 4. *Omnia possum, in eo qui me confortat.* Et Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere, & omnis sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3. 5. Eò autem arma spiritualia referuntur, vt munitiones destru-

ad Phil. 4. 13.

Ioan. 15. 5.

antur, vt docet auctoritas superior. 2. Cor. 10. 4. quando ait, ad destructionem munitionũ, id est astutiarum diaboli, de quibus Esa. 34. *Paluirus in munitionibus eius.* Paluirus est carduus quo pannus applanatur, & attritus fit pilosus & quasi nouus, vnde falluntur emptores: Ita diabolus, quod est malum & noxium, sub specie boni apparentis repræsentat, sicque in Angelum lucis se transfigurat. Ab ijs munitionibus seu astutijs, spiritualibus armis instructus, fide videlicet, spe & charitate & alijs virtutibus sese eximere potest. *Esa. 34* *Iob. 7. 1.*

Secundò in themate assumpto ostenditur vita humana esse breuis & calamitosa, *quia vita hominis est.* Nam vita hominis cuiusuis propria & particulari affligitur miseria, hic paupertate, ille infirmitate, tristitia, rerum acquirendarum sollicitudine, &c. Iob. 14. *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis.* Est nihilominus vita ab omnibus expetita, quemadmodum mors reformidanda. Quis non igitur vitam beatam maximo desiderio expetendam & mortẽ æternã fugiendam, dicet cum tantopere hac misera & præsenti vita frui desideramus, & mortem æternam horrescamus? Mirabile hoc, quod vitam temporalem in nostra potestate retinere, aut mortem abnuere, non sit: Possit tamen vitam beatã possidere homo, si velit, & à morte æterna liberari. *Iob. 14.*

Hoc est quod docetur, Eccles. 15. *Ante ho-* *Eccl. 15.*

minem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi. Quibus verbis tria describuntur.

Primo differentia præmij.
Secundò, distantia meriti.
Tertiò, libertas arbitrij.

Vita præmium bonorum. Circa primum, certum est, bonorum præmium esse vitam, malorum vero esse mortem. Quæ ante hominem posita sunt, vt ea contempletur & consideret. Vita igitur beata per fidem ante hominem posita est, quæ erit bonorum præmium, Deuter. 27. *Deut. 27.* *Erit vita tua, quasi pendens ante te.* Ad hanc vitam omnibus modis contendere debemus vt eam assequamur. Qui multum laborat in aliquo loco, non piget eum surgere vt aliò ire, si nobiliori & abundantiori vita gaudere speret.

Luc. 15. Figura habetur in filio prodigo, qui dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose, & postea cœpit egere, & dixit, *surgam, & ibo ad patrem meum*, &c. Luc. 15. Sic homo in hac vita expleri non potest, sẽper fame auaritiæ laborat, nec satiatur. At si velit surgere & ire in domum Patris, tunc cibabitur pane vitæ & intellectus, & fruetur vita nobilissima & omnibus delicatissimis cibis referta: homo hîc triplici gaudet vita,

vegetante cum plantis, ſenſibili cum brutis, intellectuali cum Angelis. Illæ duæ ſunt corporis, hæc ſolius animæ, ideoque extincto corpore, ſola intellectus operatio remanet, quæ omnium eſt nobiliſſima vita: Maximeque in ijs quæ ad viſionem diuinæ eſſentiæ eleuantur, in qua repletur & omnibus modis ſatiatur ſumma delectatione, & omnium bonorum fruitione, quæ in actionibus intellectus & voluntatis conſiſtit Pſal. 118. D*a mihi intellectum & viuam*, ſcilicet vita æterna, quia hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. *Pſ. 118.*

Secundò, ante hominis conſpectum poſitum eſt præmium malorum Abac. 3. *Ante faciem eius ibit mors.* Sup. æterna, Mors humana & corporalis tolerabilior multo videtur ſi à defectu naturæ & ſenio proficiſcatur, quam ſi ſit violenta, cui mors gehennæ comparatur, qua moriuntur peccatores finaliter impœnitentes. Hier. 42. *Morientur gladio & fame & peſte, & non effugient à facie mali, quod ego afferam ſuper eos.* *Hier. 42.*

Quandiu manet gladius in vulnere, non efficit ſanationem: hic gladius eſt vltio diuinæ iuſtitiæ, ſeparans hominem à Deo, & ſemper remanens. 2. Reg. 12. *Non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum.*

Dicit Propheta, Hier. 42. *Fame*. Qui caret cibis & alimentis, quæ expetit, vt pascatur, dicitur mori fame: Sic in inferno, auferetur omnis copia boni, & omne expetitum, negabitur, quod patet in diuite Epulone, Luc. 16. Vnde Deuter. 32. consumentur fame & deuorabunt eos aues morsu amarissimo. Sequitur ibidem & peste. Pestis dicitur à pascendo, quia est morbus contagiosus, depascens & affligens, qui totum hominem inficit & torquet. Hinc morbus qui ex aere corrupto gignitur, omnem mali copiam repræsentat & pœnam, quæ ex peccantis corruptione profluit. Exo. 9. ait Deus per Moysem Pharaoni id est diabolo, percutiam te populum tuum peste, & non effugient à facie mali, quod ego afferam super eos: vbi notatur malorum perpetuitas. Sap. 16. Manum tuam effugere impossibile est, Thren. 2. Non
Thren. 3. fuit qui effugeret in die furoris Domini.

Secundò, ponitur differentia meriti, quia bonum & malum coram homine posita sūt, vtrumque autem potest facere: Si bonum merebitur vitam æternam, si malum, supplicium æternum: Itaque consilium sequamur diui Pauli dicentis, Ro. 12. *Odientes malum, adhærentes bono.*

Porro naturæ nostræ conditio ad bene operandum, nos inducit, quia natura vniuscuiusque rei, inclinat eam ad suam propriam actionem, est enim inconueniens hominem esse otiosum à sua propria operatione ait A-

ristoteles

ristoteles in libris Ethicorum: hinc videmus quamlibet partem corporis propriam habere operationem, sicuti propria actio oculi est videre, pedum, ambulare, & sic de alijs. Ergo multo magis debet operari secũdum partem sui digniorem, scilicet animam quæ est forma hominis: Cuius operatio esse dicitur propriissima actio hominis: Op⁹ igitur rationis maxime ad hominẽ qui est particeps rationis spectat, quale est actio virtutis & honestatis. Sicut enim producere bonũ fructũ est arboris proprium, ita proprium hominis opus, & aliquid facere rationi consentaneum, ad Coloss. 1. *In omni opere bono fructificantes.*

Ex consequenti homo debet vitium odisse, & malum fugere: Sicut enim nihil amatur nisi sub ratione boni, ita nihil odio habetur, nisi sub ratione mali: ideo peccatum est maxime fugiendum, quod nusquam potest rationem boni inducere: Eiusmodi non est malum tentationis aut pœnæ, cui si non consentiamus est materia virtutis exercẽdę, ait D. Gregorius: Pœna autem est bona, quatenus nos á mundo segregat, & ad Deũ, mentem eleuat. Hinc Gregorius ait, quod mala, quæ hîc nos premunt, ad Deum ire compellunt. Malum vero culpæ, non item, quia diuinæ dilectioni aduersatur, & á summo bono nos separat. Esa. 59. Iniquitates nostræ diuiserunt inter nos & Deum: Atqui separatus á fonte bonitatis, bonus verę esse non potest. Ideòque dixit Dauid, Psal. 96.

Qui diligitis Dominum, odite malum. sup. peccati.

Tertio in auctoritate citata, ostenditur facultas liberi arbitrii, cum dicitur, *quod placuerit ei*: Sup. bonum, & dabitur vita, si ma-
Eccl. 15. lum, mors. Iob. Optio datur vobis, eligite vobis hodie. Non tamen illa libertas sufficit homini sine gratia, ad vitandum pecca-
Iob. 7. 1. tum, & ad faciendum bonum, quo vitam æternam assequatur.

Postremò, in themate assumpto, ostenditur vita hominis vilis & ignominiosa, ratione loci, quia super terram: Principium enim hominis fuit ex terra, & resolutio vltima & finalis fiet in terram, vnde conueniens fuit vt eius medium scilicet vita, esset super terram. Quando vero dicitur, *militia hominis super terram*: sensus est, debet homò militare non pro terrenis bonis, sed pro cœlestibus & supremis. Ad Colo. 3. *Quæ sursum sunt sapite, & non quæ super terram*, scilicet, immediati. Eccl. 5. *Exaltasti super terram habitationem meam*, sup. in cœlesti gloria. Ad quam nos perducat, qui sine fine viuit & regnat,

AMEN.

IN FVNERE DOCTORIS LEGVM VEL decretorum.

THEMA:

Vbi est literatus? vbi verba legis ponderans, vbi Doctor paruulorum? Esa. 33. *Esa. 33. 18.*

IN hoc mundo stultos plures esse, paucos sapientes nemo non videt. Iuxta illud, Eccl. 1. *Stultorum infinitus est numerus*. Cum enim homo sit ex duplici natura compositus, sensitiua, qua cum brutis communicat, & intellectiua, qua cum Angelis: Et quamplurimi sequantur passiones sensitiuas, pauci vero, recto rationis iudicio dirigantur, certũ est Stultos, numero sapientes superare. Quoties igitur sapiens è mundo tollitur, tristitiæ & lamentationis materia offertur: est enim sapiens in ciuitate, oculus in corpore, sua enim sapientia & prudenti consilio, alios dirigit & gubernat. At verò quis nescit hunc defunctum literatum virum & magnum iuris Doctorem fuisse? potest igitur veri illud, Esayæ adaptari. *Vbi est literatus, vbi verba legis ponderans?&c.*

Ecclesiast. 1. 15.

Sapiens quid efficiat.

Manifestum est hunc hominem literatis-

ſimũ virum,& iuriſperitiſſimum fuiſſe, Doctorēque præclariſſimũ, ac omnibus gratiſſimum. At quæritur, vbi eſt? quod dubium non erat, illo ſuperſtite. Reſponderi enim poterat, eſt in muſæo, vel ſcola, vel cubiculo,&c. modo talis locus aſſignari non poteſt, corpus enim illius, licet ſit in feretro, confeſtim tamen in eſcam vermibus dabitur. Remanet igitur quæſtio tantum de anima, vbinam ſit? Et quod Propheta Eſayas intendit quærere, cum ait. *Vbi eſt literatus: vbi verba legis ponderans?* &c. In quibus verbis duo conſideranda proponit.

Primum eſt, multiplicatio quæſtionis.

Secundum eſt, ſpecificatio intentionis.

Intendit Propheta quęrere an anima ſit in cœlo, an in purgatorio, an in inferno: Quemadmodum enim in naturalibus, quod eſt graue vt terra, vt in infimo collocatur, quod vero leue vt ignis, in medio, ſcilicet inter aërē & cœlum: Quod vero neque graue, neque leue vt cœlum, locatum eſt in ſupremo. Cœleſtia enim corpora, quia non ſunt grauia, nō cadunt deorſum, nec ſurſum aſcendunt, quia non ſunt læuia, ſed ſolùm mouētur per circulum: Sic anima grauata & onerata peccatis mortalibus deſcendit in infernum, Iob. 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto, ad inferna deſcendunt*, vbi pro diuitiis habent omnem indigentiam & defectum: pro delitiis, crudele tormentum, pro honoribus ſempiternum opprobrium. De hoc mortuo,

Anima grauata peccatis mortalibus.

Iob. 21. 13.

Iob. 14. *Homo cum mortuus fuerit nudatus, atque consumptus, vbi quæso est?* Ita ille locus exponitur, homo impœnitens, cum mortuus fuerit delitijs denudatus, diuitiis cōsumptus, ita vt nihil honoris amplius recipere possit, vbi quæso est? sup. secundum animam. Respondere quis poterit, in inferno. Ibi enim mortua est anima, licet viuat vita naturæ, propter tormenta quę patitur, quæ cum morte similitudinem habent, quia omnium terribilium terribilissima mors. Deinde quia ibi anima est spoliata & denudata omnibus bonis, scilicet summo, hoc est, vita æterna, qua fruuntur in cœlo existentes: & spe, qua gaudent qui in his inferioribus vitam agunt. Item nudata est anima in inferno bono interiori, hoc est habitibus virtutum, quorum loco vermes sunt, desideria peruersa, à quibus quotidie corroduntur damnati: Qui etiam spoliati sunt bonis externis, videlicet, diuitijs, voluptatibus, & dignitatibus, ita vt à nulla creatura auxilium vel remedium recipere possit, Iob. 24. *Nudos mittunt homines, indumenta tollentes*, scilicet mors: diabolus & consanguinei. Vnde ait Iob. de damnatis cap. *Consumpti sunt absque vlla spe.*

Iob. 14. 10.

Infernus spoliat omnibus bonis.

Iob. 24. 7.

Secundò, est aliqua anima, quę non est grauis, sed leuis: illa videlicet quæ dum ex hac vita recedit, est purgata à grauiorib⁹ peccatis & mortalibus, non tamen à leuioribus, & omnibus pœnis temporalibus, ideòque

in purgatorium mittitur, qui locus creditur esse supra infernum. Si ergo de eo quæratur, vbi est? Respondebitur, in loco satisfactionis, & tamen securo.

Tertiò, est aliqua anima, quæ neque grauis est, neque leuis, quæ videlicet discedit ex hac vita, omnibus modis absoluta, tam à leuioribus peccatis, quàm à peccatorum pœnis, vt martyres, vel statim à baptismo suscepto, decedentes & nonnulli sanctissimi viri, sicut D. Dominius cui Christus apparuit, dicens, *Veni dilecte mi, veni ad gaudia, veni.* Talis igitur ad vitam diuturnam proficiscitur, de qua Baruch. 3. *Scias vbi sit longiturnitas vitæ & victus, vbi lumen oculorum & pax.* Sicut hæc vita est breuis, Iob. 14. 1. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore,* sic futura & cœlestis, est diuturna, & perpetua: Est enim ibi in medio Paradisi lignum vitæ, Christus Deus & homo, cuius fruitio mortem & corruptionem excludit. Est etiam ibi lumen oculorum, id est, clarissima & manifestissima cognitio primæ veritatis, & aliarũ rerum, pro statu & conditione cuiusque intellectus: Item est etiam lumen oculorum exteriorum, scilicet ex humanitate Christi clarissima, & ex corporibus glorificatis aliorum corporum, quia fulgebunt sicut Sol: illa enim ciuitas non eget lumine solis, *quia claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus.* Apoc. 21. Item est ibi pax interior, per concordiam spiritus, & carnis, & animæ cũ

Baruc. 3. 13.

Apoc. 21. 23.

Deo. Eſt etiam exterior, excluſo omni hoſte contrario & moleſtante, vnde verè dicitur à Chriſto, Ioan. 14. *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.*

Secundò, in themate ſpecificatur intentio quærentis, quem deſcribit ex triplici gradu iuriſprudentiæ. *Ioan. 14. 27*

Eſa. 33. 18.

Primò, ex habitu ſcientiæ.
Secundò, ex actu ſcientiæ vel intelligẽtiæ.
Tertiò, ex vſu magiſtralis ſcientiæ.

Quærit ergo primò, vbi eſt literatus? id eſt literarum ſcientia præditus: is enim ſapientior illiterato, & idiota eſſe debet: At vero finem qui meliorem attingit, hoc eſt vitam æternam, ſapientor vere dicitur, Eccl. 6. *Quid habet amplius ſapiens ſtulto, niſi quod pergat illuc, vbi eſt vita?* Sed heu hodie contrarium frequenter contingit, vt ſcilicet idiotæ potiùs rapiant cœlos quàm ſapientes & literati, quod ſæpe voluptatibus potiùs indulgeant, auaritiæ atque ſuperbiæ magis ſtudeant, minuſque bene de fide ſentiant, quàm ignari, rudes, & imperiti, ſicut patet de multis philoſophis & medicis, qui fidei Chriſtianæ aduerſati ſunt, inter quos Auerrois commentator aſſeruit, nihil ſubſtãtiæ animi noſtri, poſt mortem remanere. De his Dauid loquitur. cum ait, *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt, iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* *Sapiẽs quis.* *Eccleſiaſt. 6. 8.*

Quidam etiam ſunt literati edocti à diabolo, & artibus magicis inſtructi de horum literatura dicebat propheta, Pſal. *Quoniam non cognoui literaturam*, Introibo in potentias Domini, & Apoſt. 2. Cor. 3. *Litera occidit.*

Aduocatus.

Secundò, quærit vbi ſint verba legis, ponderans, quo intelligi debet aduocatus, cuius eſt verba legis ponderare, defendendo vel impugnando: quod ſæpiſſime contrarium accidit, iniuſtas cauſas ex certa malitia & ſcientia aſſumendo, perſequendo, vel etiam veritatem occultando, & falſos teſtes inducendo. Is malè verba legis ponderat. Micheæ 6. *Nunquid iuſtificabo ſtateram impiam, & iniquum iudicium, & ſacelli pondera doloſa?* Sacellus hîc, eſt mens & lingua aduocatorum, qui verba legis doloſè ponderant, ſequitur, *& habitantes in ea loquebatur mendacium, & lingua eorum fraudulentia in ore eorum, & ego cœpi percutere te, perditione ſuper peccatis tuis.*

Micha. 6. 11

Legis Doctor verus quis?

Tertiò, quæritur de vſu magiſtralis licentiæ, ſcilicet, vbi eſt doctor? quando enim decoratum eſt adeptus poteſtatem, & docendi in cathedram aſcendendi accepit. Eſt porro verus & perfectus legis Doctor, cuius vita non diſcrepat à legis doctrina: ſicut Chriſtus, qui fuit legifer, & magiſter noſter, cœpitque facere & docere, Actorum. 1. capite. Vnde cum lex ſit ſancta ſanctio, affirmans honeſtum, & prohibens contrarium, ille dicetur verus legum Doctor, qui hone-

Act. 1.

ſtè viuet,& turpia fugiet. Eſt etiam lex ciuilis, quam iſte docuit, vel canonica, propter quatuor: vt appetitus noxius ſub iuris regula imitetur, per quã genus humanũ vt honeſtè viuat, alterum non lædat, & ius ſuum cuique tribuat, informatur. Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit*, Sup. iſta quatuor, *hic vocabitur magnus in regno cælorum.* Ad quod Chriſtus Dei filius nos perducat. Amen. *Matth. 5. 19.*

IN FVNERE ALICVIVS IVDICIS.

THEMA.

Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum, mihi heri & tibi hodie. *Eccl. 38. 23.*

Eccl. 38.

EX Ariſtotele in libris Ethicorum ſermones habendi ſunt, iuxta materiam ſubiectam: vnde quia de morte iudicis hodie dicendum eſt, etiam ſermo iudicio mortis, habendus eſt. Ait Seneca, diei præcedentis diſcipulum, diem eſſe ſequentem, quia ex iis quæ priùs acciderunt, notitiam futurorum nobis acquirere poſſumus. Quod in morte locum habere videtur, iudicium enim mortis, quod in præſentia huic contigit, docebit nos quid in poſterum nobis contingere debeat. Dicitur ergo nobis, in perſona huius iudicis defuncti. *Memor eſto iudicij mei: ſic enim erit & tuum.* Id eſt memineris meæ mortis,

ſic enim morieris,& ad iudicium venies. In quibus quidem verbis tria Eccleſiaſticus facit.

Primò, inducit ad vilem conſideratione͂.

Secundò, exprimit terribilem definitionem.

Tertiò, facit infallibilem prædictionem.

Mortis cõſideratio vtilis. Circa primum aduerte vtiliſſimam eſſe memoriam & conſiderationem eorum, quæ in morte homini accidere poſſunt, ex hac enim totius vitæ ſuæ curſum dirigere poteſt. Que͂admodum enim nauta vt nauem optime regat in fine illius reſidet, ita confugiat ad meditationem mortis, qui vitam bene dirigere velit. Seneca, conſidera (inquit) quam pulchra ſit res ante mortem vitam præparare: deinde ſecurè expectare reliquam temporis partem. O quam ſolliciti ſunt nautæ, vt ſibi prouideant, dum de aliquo periculo reformidant. Sic quilibet prouideat ſibi, du͂ mortis periculum obeu͂dum eſt. Quia illic naues pertranſibunt, id eſt, animæ noſtræ, per arctum foramen mortis. Quia igitur quæ in morte contingunt, vocantur nouiſſima, dicitur. *Ecc..38. 21.* Eccl.38. *Memento nouiſsimorum, & noli obliuiſci.* In quibus verbis duo facit.

Primò inducit ad conſiderationis actu͂.

Secundò prohibet conſiderationis defectum.

Memoria mortis & nouiſsimorum. Dicit ergo primò, memento nouiſſimorum, id eſt, eorum quæ tibi in nouiſſimo vitæ neceſſario accidere debent memoriam

habe. Primo nihil eorum quæ poſſides, tecum deferes: hinc quæ ſunt huius mundi cōtemnes. Secundo non erit locus pœnitentiæ poſt hanc vitam: ſicque ad pœnitentiam hic agendam, incitaberis. Tertio quò peruenies, ibi in perpetuum permanebis: ideóque gloriam aſſequi procurabis. Quarto omnibus erunt cognita tua peccata, nemini occulta, hic propterea per pœnitentiam delere curabis. Quinto à ſententia vltima ſummi Iudicis appellare nemo poterit, ergo hic reformidanda erit. Hæc ſunt nouiſſima, quorum memorem te eſſe oportet Eccl. 7. *Memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis.* Ecol. 7. 40.

Secundo prohibetur conſiderationis defectus, cum dicitur, *& noli obliuiſci*, ſcilicet mortis & iudicij. Antiqui vt ſuæ mortalitatis memores eſſent, mortis quędam inſignia, ob oculos ſibi proponebant. Apud quoſdam mos erat vt electis imperatoribus latomus quatuor diuerſi coloris lapides marmoreos exhiberet, & ab ipſis quæreret, ipſo die coronationis, quo genere marmoris fieri ſepulchrū iuberent, ſicque ſe eſſe mortales perpetua mortis meditatione cogitarēt. Iohannes Patriarcha ſepulchrū iuſſit imperfectū manere, atque in diebus honoris conſtituit quendam, qui his verbis illum admoneret: Domine tuum eſt imperfectum ſepulchrum, iube perficiendum, quia neſcis qua hora fur venturus ſit. Conſueuerat Papa in loco, vbi frequentius verſabatur, lectū Eccl. 38. 21.

defuncti habere, vt eo viso, finis sui recordaretur, & humiliaretur.

Item non debet iudicij mortis, quod subiturus est, obliuisci, eo quod peccatũ celare, aut à iudice declinare, aut ab eius sententia appellare, & ad alium prouocare, nemò poterit. Hinc Prouer. consulit Sapiens his verbis. *Ne obliuiscaris legem meam*, qua sup. statutum est omnibus semel mori. Heb. 9. & Deutero. 25. Caue ne obliuiscaris.

Deut. 25. 19.

SECVNDO in assumpto themate, in huius defuncti persona, terribilem mortis definitionem, in mentem Ecclesiasticus reuocat, quando dicit, *Iudicij mei*, hoc est mortis meæ, ad quam iudicatus sum. Mos inualuit apud Lombardos, vt iudices qui alios iudicauerunt, completo officio, aliis iudicibus subiiciantur, eorumque iudicium subeant. Hic qui alios iudicauit, modò coram Deo vt iudicetur, morte oblatus est: in quo iudicio, non erit locus astutiis, cauillationibus & allegationibus procuratorum, sed tantum propriæ conscientiæ testimoniis.

Eccl. 39. 23.

Quæ tunc Deo iudicāti, Angelo custodi, & Diabolo accusanti nuda erunt & aperta: Verum erit peccatoris, si libuerit, iudicij illius dānationē effugere, quod fiet facili negotio, si ad pœnitentiam confugiat, & quisque seipsum iudicet: teste D. Paulo. 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino.*

1. Cor 11. 31.

Porrò licet iudicium mortis terribile & malum videatur, re vera tamen bonum est,

& vtile: Multa enim verissimè bona sunt quæ tamen mala esse videntur, vt quando Ioseph à fratribus fuit venditus, illud malum visum est, licet re vera fuerit bonū, vt euentus comprobauit, nam factus est Dominus Ægypti, hinc Gen. 50. dixit fratribus suis. *Vos cogitastis de me malum, & Deus vertit illud in bonum:* Ita sentiendum est de mortis iudicio, est enim secūdum rei veritatem bonum. Eccl. 41. *O mors quàm bonum est iudicium tuum!* In quibus verbis tria de morte ostēduntur. *Gen. 50. 20.* *Eccl. 51. 3.*

Primò, quomodo illa est pœnalis.

Secundò, quomodo est vtilis.

Tertiò, quomodo est terribilis.

Obserua mortem dici à mordendo, quia qui mordet partem tollit, & partem relinquit: sic mors eripit vitam corporis, & animam non tollit In pomo, remouetur quod est putridum, & solidum ramanet. Mors etiam aufert putridum, animam verò quæ perpetua est, & immortalis relinquit. Eiusmodi tamen morsus, siue separatio dolorem affert, propter corporis & animæ vnionem arctissimam & connaturalem. Hac de causa dicitur mors amara 1. Reg. 15. 32. *Siccine separat amara mors?* *Mors à mordendo.* *Eccl. 41. 3.*

Secundò ostenditur quomodo sit vtilis, quia iudicium eius dicitur esse *quam bonum*, hoc est, valde vtile. Idque ob multas causas. Prima, quia omnium miseriarum huius vitæ est terminus: hinc calamitosi sæpissime mortē expetunt, vt à miseriis & calamitatibus li- *Mortis vtilitas.*

Eccl 30.17. berentur. Eccl. 30. *Melior est mors, quàm vità amara.* Ferunt apud Massilienses venenum fuisse cicuta temperatum, quo vti solebant qui miseria & calamitate premebantur, vel qui prospera gaudebāt fortuna, ne in aduersam caderent. Secunda est, humilitas; spes enim vitæ & prosperitas superbum cor extollit: mors vero deiicit. Vnde Antiochus timore mortis humiliatus, 2. Machab. 9. *Iustū:* (inquit) est, *subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.*

Humilitas ex mortis memoria.

2 Macha. 9. 12.

Æqualitas à morte.

Tertia, quia morte omnes pares efficimur, hic alij alios superant diuitiarū copia, honorum dignitate & potentia, scientia, & nobilitate, verum mors adæquabit omnes: hinc assimilatur demissæ ianuæ, in cuius exitu omnes pariter se inclinant. Quarta causa vtilitatis mortis est animæ beatitudo, quæ quidem est bonum ab omnibus expetitum, purum, perfectum, & ab omni malo, miseria & tristitia alienum. Apoc. 14. 13. *Beati mortui qui in domino moriuntur.* 1. Cor. 9. *Bonum est mihi magis mori.* Eccl. 42. *Laudaui magis mortuos, quàm viuentes.*

1. Cor. 9. 15.

Eccl. 41. Tertiò, in auctoritate allata, ostēditur mors esse terribilis, propter iudicium, quod mortis sequitur terribile & tremendū, quod reformidās Propheta dicebat, *Nō intres in iudiciū cum seruo tuo.* Psal. 142. Tunc enim multa, quæ nunc latent peccata, apparebūt, sicuti lucēte radio solis multi atomi in aëre apparēt, qui priùs non videbātur. Qui vult igitur nō dānari, accedat ad iudicium, bona instrumenta

Psalm 142. 2.

munitus, id est, bona conſciētia: procuratorē habeat beneinſtructū, & aduocatum peritū, hoc eſt pauperē, Prouerb. 19. *Fœneratur domino qui miſeretur pauperis.* Et aliquē ſanctum, qui noſtras partes, apud dominum tueatur & defēdat, & pro nobis intercedat. Eccle. 18. 19. *Ante iudicium para animam tibi.* Prouer. 19. 17.

TERTIO in themate aſſumpto, ex perſona iſtius defuncti, fit infallibilis prædictio, *ſic erit tuum*, ſup. iudiciū: Nā de conſimilibus idē eſt iudicium. Vt autē inter homines, triplex eſt ſimilitudo, ita triplex eſt iudiciū: Prima ſimilitudo eſt naturæ, quia omnes ſunt ſimilis & eiuſdem naturæ mortalis. Propterea de omnibus idem eſt iudicium mortis, quia omnes moriuntur. 3. Reg. 22. *Sicut ego ſum, ita & tu.* ſup. morti obnoxius. *Iudicium triplex.* 3. Reg. 22. 4.

Secunda eſt culpę, quia quidā ſūt cōſimiles in culpa, horū etiā idem erit poſt hanc vitam iudiciū, ſcilicet eiuſdē pœnæ. Matth. 13. *Colligite primū zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendū,* ſicut ergo colliguntur zizania, & igni cōburuntur, ſic erit in conſummatione ſeculi. Mittet filius hominis Angelos ſuos & colligent de regno eius omnia ſcādala, & eos qui faciūt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Dicuntur autem alligari in faſciculos, quia ſicut dicit Iſidorus: ſimilis culpæ reos, conſimilis cruciatus conſtringet. Matth. 13. 30.

Tertia ſimilitudo eſt gratiæ, vt qui ſunt ſimilis gratiæ participes, eandam etiam habeant retributionem, ſcilicet in vita æterna, quia gratia Dei vita æterna: Et in his

omnibus apparet æquitas diuinæ iustitiæ, & rectitudo diuini iudicij, vt verè illud dici
Psal 118. possit. Psalm. 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Ad hoc vitæ æternæ retributionis iudicium nos perducat æquissimus Iudex Christus Dominus. Amen.

IN FVNERE ALICVIVS EXCELLENTIS Notarij.

THEMA.

Vbi sapiens? vbi Scriba Vbi conquisitor
1. Cor. 1. 20. *huius seculi?* 1. Cor. 1.

NOn est dubiũ quin sapiẽtiæ beneficio, hominis sæpissimè multa euadant pericula, præualet enim & prædominatur his,
Sapientiæ effectus. quibus illa causari solent. Quædã enim ortũ habent à causis superioribus, ab astris videlicet, vt sterilitates agrorum, ægritudines animalium & similia., quæ sapientibus sunt præcognita: hinc prouerbium vulgatum, *Sapiens dominabitur astris*, ex Ptolomæo desumptum in centiloquio suo, quo docere intendit, sapientem iuuare posse vel impedire cœlestes effectus, adhibendo ea quæ impressiones corporum cœlestium corroborant. Vt si eiusmodi esset impressio corporis cœlestis,

lestis, quæ ex se inflammando choleram, ad iram excitaret, & per consequens ad bellum, & sapiens aliquis adhiberet aliquid, quo magis commouerentur homines, tunc diceretur cœlestem effectum iuuare: E contrariò si motus cœlestis, ita illam inflammaret, vnde febris sequeretur, sapiens vero choleræ resistentia remedia adhiberet, quibus ille euacuaretur humor, verè illum effectum astrorum impediret. Vnde Hieremias 10. dicebat. *A signis cœli nolite timere.* *Hier. 10.*

Alia sunt pericula, quæ à causis inferioribus proueniunt, vt ab hominum discordia & inimicitia, vt sunt partialitates, bella, diffidia, obsidiones, homicidia simultates, quæ frequenter hominum prudentia & sapientia reprimuntur, & penitus extinguntur. Eccl. 9. *Ciuitas parua & pauci in ea viri, venit contra eam rex magnus, & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum; perfectaque est obsidio; inuentusque est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam*, subditur eodem capite. *Melior est sapientia, quam arma bellica.* *Eccl. 9. 14.*

Vel promanant pericula ex multiplici hominum malitia. Sed quicquid sit de aliis: profectò contra periculum mortis, nulla vnquam sapientia viri periti cuiusquam aut medici, aut scribæ, aut Notarij remedium potuit inuenire, quo mortem quis euadere posset, & idcirco *moritur pariter*

Eccl. 2. 16. *doctus, moritur & indoctus.* Eccl. 2. Omnes enim rapit mors, & quo defunctum deferat nescimus, & propterea in verbis in themate citatis de nostro Notario queritur vbi est? Sup. sapientia & agilitas scribendi, dictandi, & sagacitas & sollicitudo diuitias congregandi? igitur vere D. Paulus quærit, vbi scribæ? &c. In qubus verbis excellentia cuiuscunque notarij describitur ex tribus.

Primò quidem, ex generali notitia artis notariorum.

Secundò, ex speciali peritia confectionis instrumentorum.

Tertiò, ex singulari solertia procurationis causarum & litium.

Sapientis est omnia scire.

Vt de primo dicamus, obseruandum est illud Aristotelis lib. 1. Metaph. *Sapientis esse, omnia scire.* Sup. in genere. Quod si ita est, qui secundum artem aliquid sciet, dicetur sapiens secundum quid, vt medicus sapiens dicetur secundum, quid quia tenet quæ sunt illius artis. Et sapiens notarius, qui omnia tenet, quæ ad artem illam spectant. Quando igitur quæritur, vbi est sapiens, intelligitur in arte sua, quia iam euanuit comparatione nostri. Ait enim mors illud 1. Corinth. 1. *Perdam sapientiam sapientum.* Quibus verbis significatur triplex defectus sapiētiæ secularis, siue sit medici, siue iudicis, siue notarij.

1. Corinth. 1. 19.

Primus attenditur, respectu periculi.

Secundus, respectu præmij.

Tertius, respectu subiecti.

Defectus sapientiæ secularis in hoc apparet, quod pluribus sit causa periculi, imo perditionis animæ: eo quod male sua vtantur sapientia atque scientia. Sunt enim quædam in homine, quibus homo non potest male vti, veluti virtutes. Ait enim D. August. *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte viuitur, qua nemo malè vtitur:* Ita scilicet, quod malus sit eius actus, licet odio quis illam habere possit, vel ea abuti superbiendo, vel in malum finem referendo. Dicta definitio conuenit omni virtuti humanæ vt scientiæ, quæ est virtus intellectualis hominis, quia homo illa malè vti non potest, in quantum est principium vsus, ita quod malus sit scientiæ actus;, non obstat quin de ea superbire possit homo, nam scientia inflat, & iniustam aliquam causam scientiæ beneficio, tueri & defendere. Item de medico affirmare possumus, qui in perniciem alterius medicinæ scientia abuti potest. Talis scientia est periculosa & noxia, quamuis lucratiua Luc. 9. 25. *Quid proderit homini, si vniuersum mundum lucretur, se autem ipsum perdat, & animæ detrimentum faciat?* *Sapientia secularis.* *Virtus quid.*

Secundò, ostenditur in auctoritate citata defectus secularis sapientiæ, respectu præmij. Hæc est enim sapientia de qua dicitur Iacob. 3. 15. *quòd non est desursum descendens à Deo:* Nec illa de qua fit mentio Eccl. 1. loquitur enim *1. Cor. 1. 19.* *Eccl. 1. 4.*

ibi Ecclesiasticus de sapientia increata, quæ à Domino Deo est. Vnde subdit, & cum illo fuit semper, & est ante æuum, estque illa diuina sapientia filius Dei, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Ad Colos. 2. At vero D. Iacobus loquitur de sapientia creata, & humana, quam vocat terrenam humanam, & diabolicam. Hæc igitur non est desursum descendens, sup. à Deo sed potius de deorsum, veniens ab humana prauitate, & ideo terrena, non inhians ad cœlestia præmia, sed solum ad lucra terrena. Item est animalis, non intendens ad spiritualia bona, sed tantum ad corporalia commoda. Est etiam diabolica, fallaciis & deceptionibus plena, sicut diabolus sua vtitur scientia, ad decipiendos & fallendos homines.

Ad Colo. 2. 3.

Sapientia animalis.

1. Cor. 1. 19. Tertio describitur sapientiæ singularis efectus respectu subiecti. Apud rudes & ignaros, sapientes vulgo appellantur, qui

Hier. 4 22. astutè mala perpetrant, Hierem. 4. *Sapientes vt faciant mala, bona autem facere nescierunt.*

Vera è contrario illa est sapientia, quæ bona agere, & mala cautè vitare docet. Verum

Iob. 28. 12. quia hæc rara auis in terris, quæritur Iob. 28. *Sapiens vbi inuenitur.*

SECVNDÒ, in themate assumpto des-

1. Coo. 1. 20. cribitur scientia excellẽtis Notarij defuncti, cum quæritur, vbi scriba? Scriba secundum Papiam est librarius, qui circa chartas & publicas scripturas versatur. Hic igitur scriba notarius est, ad quem spectat scribere, con-

ficere,& publicare contractus,testamenta,& alia eiusmodi: Quo defuncto, quærere possumus, vbi scriba, quasi dicat, non est hic amplius, periit eius industria,& peritia.

Porro obserua scribam peritum siue notarium raro inueniri, & rariùs bonum iustũ, & veracem. Qualis debeat esse ratione artis ostẽditur exemplo Esdræ, de quo dicitur.1. Esd. 7. *Quod ascendit de Babylone, & ipse scriba velox in lege.* Quibus verbis docet quadruplicem peritiam esse notario necessariã. *1. Esdr. 7. 5.*

Prima est, vt sciat clarè dictare.

Secunda, vt sciat expeditè pronuntiare.

Tertia, vt sciat celeriter notare.

Quarta, vt sciat chartas seu instrumenta legitime scribere.

Primò ergo necessariũ est, vt sciat notarius clarè & apertè dictare. Quod fiet si ordinatè, distinctè & breuiter nihil omittendo dictet, non confusè & indistinctè, propterea dicitur quod ascendit de Babylone, hoc est de cõfusione, Babylon enim, idem est quod cõfusio. Recedit igitur notarius de confusione, si cõfusè acta vel dicta, ordinatè & succinctè colligat: Sin minus adsit verborum prolixitas & cõfusio in scripturas notariorũ, sæpissimè ex ea cauillationes, lites, & dãna oriũtur. Vnde in figura rei hui⁹ dicitur.1. Esdras. *Hic Esdras ascendit de Babylonia, cum esset scriba ingeniosus.* *Notarij officia.* *1. Esdr. 7. 5.*

Secunda peritia necessaria notario, sciat apertè & expeditè pronuntiare, vt scilicet lingua eius correspondeat manui siue

Psal. 44. 2. pennæ, nam requiritur velocitas in scribendo, & in legendo & pronuntiando. Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.* Vbi apte linguam calamo scribæ comparat, quia nec calamus sine lingua, nec lingua sine calamo valet. Oportet enim contractus coram testibus & contrahentibus, primò verbis exprimere, deinde scriptis mandare.

Tertia vero peritia est, vt sciat benè, emẽdatè, & celeriter scribere, tum propter eos, qui indigent contractibus, tum quia multa sæpissimè habent scribenda, & nisi quam primùm & sine mora scribantur, obliuioni traduntur. Debet igitur scriba breuitati studere, sine tamen vlla rerum, quæ scribendæ sunt, omissione. In omnibus enim operibus velocitas commendatur, non quæ diligentiam tollit, sed quæ negligentiam excludit, & operandi scientiam ostẽdit, quia malè artẽ tenet, tardè & non expeditè operatur, sed apud se liberat, quomodo vel scribendum sit. Vnde ait Philosophus, artifices peritos,

Eccl. 31. 26. & certos non deliberare. Eccl. 31. *In omnibus tuis operibus esto velox.* Cui aduersare illud vi-

Eccl. 32. 24. Consilium. detur. Eccl. 32. cum ait Sapiens. *Sine consilio nihil facias.* Atqui consilium non debet esse velox, ait enim Seneca, velox consilium sequitur pœnitentiam, ergo nec operatio. Prouerb. 4. 25. *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.*

Verum respondebis duplicem esse velocitatẽ: altera dicitur strenuitatis, altera præcipitationis. Illa est bona, hæc vituperanda. Illa contraria est accediæ, & suadetur, hæc

deliberationi, & prohibetur.

Quarta peritia necessaria scribæ, vt sciat chartas seu instrumenta legitimè conficere, & testamenta & alia huiusmodi. Legitimè quidem, hoc est, secundum instituta legis ciuilis, canonicæ & municipalis. In his enim legibus multa sunt, quorum notitiam callere debent. Aliàs multi defectus & errores inuenirentur in instrumentis, contractibus, testamentis & aliis eorum scriptis. Ex quibus maxima dãna sequuntur, quæ reparare & restituere tenentur notarij, si ignorantes fuerint. Hinc antiquitus notarij vocabantur scribæ legis, quia omnes erant legum peritissimi, quarum vsus illis erat necessarius. Ester. 3. 12. *Vocati sunt scribæ legis, aliàs regis.* *Notarij legũ periti.* *Est. 3. 12.*

Tertiò, in themate assumpto, describitur singularis solertia, quam debet habere notarius, in procuratione aut scindicatus officio, & præcipuè in causis aut quæstionibus secularium negotiorum, quæ cũ mortis finẽ accipit, ideoque quærit, vbi cõquisitor huius seculi, qui in curiis, aliorũ causas agebat, iuraque defendebat? Vel conquisitor huius seculi dicitur, qui ad nihil aliud est intentus, quàm ad conquirẽda & terrena & secularia, cupiditate lucrãdi, & auaritia motus. His sæpius contingit, vt in scriptis vel dictis falsum committant: In scriptis falsum scribendo, vel verum delendo, ne appareat; in dictis, testes procuratores vel iudices, ne rectum ferant iudicium, aut verum dicant, *1. Cor. 1. 20*

corrumpendo, munera promittendo, vel offerendo: Item præsidi mentiendo, vel aduersario secreta causæ aperiendo, dum prodit instrumenta.

Notarius improbus. Improbus etiam est ille notarius, qui instrumenta vsuraria sciens conficit. Talem periurum esse Hostiensis docet, quia id se non facturum iuramento affirmat & promittit: ideoque infamis efficitur, nec in posterum instrumenta conficere aut testari potest, actus enim legitimus illi interdicitur: extra de testim. Licet ex quadam. Peccant etiam frequenter immoderata stipendia exigentes pro scripturis suis, qua omnia pertinent ad immoderata desideria, & viro Christiano indigna, quæ D. Paulus dissuadet ad Titum. 2. *Abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & piè, viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem*, sup. futuræ resurrectionis & gloriæ. Ad quam nos perducat, qui sine fine viuit & regnat. Amen.

Ad Tit. 2. 12.

IN FVNERE ALICVIVS MEDICI.

THEMA.

Medicus non est ibi. Hier. 8.

Hier. 8.22.

ARtes omnes, quæ humanæ vitę deseruiunt, plurimùm vtilitatis & lucri hominibus affere solent, sicut patet de arte lanificium & textorum, & aliorum artificum, qui sua arte & industria se suamque alunt & sustentant familiam. Inter has vero; medicina ea est, quibus medici sibi parāt non tantū diuitias, sed etiam honores. Ecclef. 38. *Honora medicum, propter necessitatem.* Sub. precibus, muneribus, gratiarum actionibus. Verum hæ nec aliæ artes, locum habent in futura vita: quia hæ omnes ad corpus spectant: Vnde Galenus ait, quod si esset immortale & impassibile corpus, non indigeret arte ipsum constituente. In alia autem vita, animæ non subiacent huiusmodi passionibus & affectionibus, nec subijcientur post resurrectionem, erunt enim corpora incorruptibilia, ideoque nec artes superiores, nec artifices in futura vita necessarij erunt. Id ipsum affirmat Hieremias propheta in themate

Artes vtiles humanæ vitæ.

Eccl 38. 1.

quando ait, *medicus non est ibi.* In quibus verbis tria considerare possumus.

Primò, artis præteritæ cõmemorationẽ.

Secundò, corporeæ vitæ priuationem.

Tertiò, alterius seculi locationem.

Medicinæ vtilitates. Circa primum, obseruandum est medicũ esse naturæ ministrum: nam virtus naturæ, est quæ principaliter sanat, medicus iuuat, & perficit ipsum. Quia vero ea virtus est à Deo, medicus dicitur Dei ministrer & naturæ. Gratus igitur est bonus medicus & Catholicus Deo & hominibus, Eccl. 38. *Disciplina medici exaltabit caput illius: Et in medio magnatorum collaudabitur: altißimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abborrebit eam.* *Ecclef. 38. 3.* In quibus verbis describitur, & laudatur ars medicorum quadrupliciter.

Primò, quidem vt fructuosa.

Secundò, vt famosa.

Tertiò, vt virtuosa.

Quartò, vt gloriosa.

Est ergo primò fructuosa, quia medicus potest arte vti, vt inde aliquem fructum spiritualem consequatur, & mercedem in cœlo sibi comparet: Vt si medicus id præstare nitatur circa animam, quod medicina docet circa corpus agendum, studeatque per medicinam pœnitentiæ, vitiorum ægritudines & animi morbos sanare: Est enim ægritudo animi multo deterior, corporis infirmitate. *Vtilitates medicinæ.*

Compatiatur ergo non tantum infirmitati corporis, sed etiam animæ, ideo dicitur Luc. 4. *Medice cura te ipsum.* Potest etiam alijs, esse auxilio in spirituali curatione animæ, eo modo quo præcipit Ecclesia medicis extra de pœnitētiis & remissionibus cap. 13. Vbi dicitur, cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente Domino, languido quem sanauerat: Vade, & amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Præsenti edicto statuimus & districte præcipimus medicis corporum, vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos antea moneant, & inducant, vt medicos aduocent animarum, vt postquam fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur, cum causa cessante cesset effectus, & infra. Si quis autem medicorum huius nostræ constitutionis transgressor extiterit, tandiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur: Cæterum cum anima sit multo pretiosior corpore, sub interminatione Anathematis prohibemus, ne quis medicorum, pro corporali salute aliquid ægro suadeat, quod in periculum animæ conuertatur. Item si medicus sua arte, misericordia motus, vteretur in pauperes & infirmos, non enim medicus tenetur elemosinā facere de sua arte, quam diues, de diuitijs suis in casu saltem extremę necessitatis: puta si pauper periclitaretur de vita defectu curæ & medicinæ alicuius

Luc. 4. 23.

Medicus succurrere infirmo tenetur.

teneretur consilium exhibere gratis, & illi subuenire, imo & medicinam soluere, si ægrotus non possit: Extra necessitatem extremam, maximi est meriti succurere infirmo, arte medicinæ. Sicut faciebat Magister Rogerius de colle Valiselsæ, is enim medicus tanta deuotione, pietate, & humanitate erat erga pauperes infirmos, vt ab ipsis nihil quicquam reciperet, sed gratis eos curaret: qui igitur tali medicina imbutus, hac

Prouerb. 4. 8 ratione ad salutem animæ vsus fuerit, exaltabitur in cœlo. Prouer. 4. *Accipe sapientiam*

Eccl. 38. 3. *& exaltabit te.*

Medicina laus.

Secundo medicina commendatur vt famosa, non solùm apud mediocres homines, sed etiam apud magnates, propterea ait Sa-

Matth. 9. 2. piens, *In medio magnatorum collaudabitur*: Ratio est, quia sicut dicitur, Matth. 9. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*: Sed etiam Principes & magnati male se habent, imo sæpius, quàm qui sunt infimæ plebis, ob superfluas delitias & voluptates, quibus abundant, & modicas exercitationes: idcirco frequentiùs medicis indigent, & ab ipsis laudantur, si eos sanauerint, Eccl. 39. *Multi collaudabunt sapientiam eius.*

Eccl. 39. 12.

Porro propriè quis laudatur propter virtutem, quia aliquid est laudabile quatenus bonum, igitur & medicus, quia bonus: honestum vero seu virtus, maxime rationem boni habet, estque ipsa, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Ex

Arist. in lib. Ethic. Igitur si ars medicinæ est laudabilis, intelligitur, quia est quædam virtus, quod verum est, cum Aristoteles cõstituat artes inter virtutes intellectuales: Et meritò, quia cum omnis virtus dicatur in ordine ad bonum, duplici ratione aliquis habitus dicitur virtus: Vno modo quia dat faculatem bene operandi: Alio modo, quia cum facultate, confert etiam bonum vsum: Vt vis appetendi præstat vsum omnibus potentijs & facultatibus, virtus vero bonum vsum, & secundum rectum rationis iudiciũ. Ars ergo quæ est rectà ratio factibilium, potest dici virtus in quantum dat facultatem bene agendi & conficiendi opus alicuius artis: non autem est virtus, quæ secundum se, vsum bonum & rectæ rationi consentaneũ præstet, quandoquidem non est habitus, perficiens appetitum in se, sed opus ipsum, quod ab arte proficiscitur: Vnde non pertinet ad laudem artificis in quantum artifex qua voluntate opus faciat, sed quale sit opus, quod facit.

Virtus dicitur duobus modis.

Virtus intellectualis.

Vnde ipsa ars, est quædam virtus intellectualis, in quantum dat facultatem bene operandi. Sed quia vt bene quis ea vtatur, bona opus est volũtate, ideo ratione vsus boni, ars minimè virtus dicenda est.

Tertiò, ostenditur ars medicorum virtuosa, ratione videlicet primi principij, hoc est Dei optimi Maximi. Vnde ait: *Altißimus de terra creauit medicinam*, id est, herbas & om-

Gen.1.11. nia medicamenta ad salutem hominũ. Gen. 1. quando dixit, *Germinet terra herbam virentem & facientem semen iuxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam.* Ex quibus patet Deum in illis omnibus à Deo creatis, virtutes etiam medicinales illis inditas, aduersus omne morborum genus, creasse: Sicut videre est in Arthemisia, Bethonica, Borrigine & alijs herbis, quarum nulla est, in qua aliqua virtus medicinalis non reperiatur. Idem dici potest de seminibus, vt de Anisi semine, Mellloti & multis alijs.

Medicinalis virtus à Deo.

Inuenitur etiam huiusmodi virtus in lignis, vt manifestum est de ligno Aloe, & alijs, & fructibus vt piris, radicibus, frondibus & floribus, lapidibus pretiosis & diuersis mineralium speciebus, seu etiam animalium, quæ ex terra vel in terra gignuntur. Quæ virtutes vel ex diuina inspiratione, vel ex diuturna temporis experientia sunt compertæ. Vnde dicitur Eccles. 38. Post verba auctoritatis citatę, *Ad agnitionem hominum virtus illorum: Et dedit hominibus scientiam altißimus, honorari in mirabilibus suis.* Quasi diceret ad agnitionem hominum peruenit virtus illorum, scilicet medicinalium, vt herbarum, lignorum, fructuum, & seminum. Vnde Sap. 7. *Dominus dedit horum scientiam veram*: Et post differentiam virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa & improuisa didici. Hinc subdit Ecclesiasticus. *Altißimus dedit hominibus scientiam.* Sup. me-

Eccl. 38. 3.

Sap. 7. 17.

dicandi vel prædicta cognoſcendi, honorari in mirabilibus ſuis, id eſt vt honoretur in mirabilibus operibus ſuis.

Quarto, deſcribitur ars medicorum, vt gratioſa & accepta etiam viris prudentibus, propterea dicitur in auctor. citata, *Quod vir prudens non abhorrebit eam.* Propter tres rationes. Primò ratione principij, à quo ſcilicet eſt virtus medicinarum, Eccl. 38. *A Deo omnis medicina, & à rege accipiet donationem.* Quod intelligendum eſt, non tantùm de corporali, ſed etiam de ſpirituali, Iob. 5. *Ipſe vulnerat & medetur.* Hierem. 17. 14. *Sana me Domine & ſanabor.* Sequitur & à Rege, ſup. cœleſti, accipiet efficaciam & virtutem in donationem medicinæ. q. d. non ſolum à Deo medicina, ſed etiam ab eo, quod medicus efficaciam habeat in diſtributione medicinæ. Et ideo in infirmitate fiducia maximè eſt habenda in Deo. Inde reprehenſibilis oſtenditur Aſa. 2. Paral. 16. de quo dicuntur hæc verba. *Ægrotauit Aſa dolore pedum vehementiſſimo, & nec in infirmitate quæſiuit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt.* In quantum ergo medicina eſt à Deo, non eſt reijcienda, quia vt dicitur. 1. ad Timo. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarū actione percipitur.* Secundo ratione exempli, quia ſancti & prudentes viri, non abhorruiſſe medicinas, leguntur, patet in Eſaia & Ezechia: Etenim Eſaias emplaſtrum caricarum alligauit Ezechiæ, Eſa. 38. 21.

Eccl. 38. 3.

Iob. 5. 18.

2. Paral. 16. 12.

illud, Esa. 3. *Non sum medicus, & in domo mea nõ est panis neque vestimentum.* Anima enim medici vsurpare potest hæc verba vbicũque sit: Si in paradiso, his excluditur triplex passio siue necessitas, quam in præsenti sæculo patimur: Est enim quædam passio, quæ infertur ab exteriori, sicut illa quę est à frigore, aut vento & aëre frigido: Aduersus quam indiget homo vestimentis. Secunda est ab interiori, vt fames, contra hanc indiget pane, hoc est, alimento corporeo. Aliæ passiones sunt ab vtroque, sicut morbi, ægritudines, quæ quandoque causantur ab humoribus, aliquando ab aëre pestilente, & alijs huiusmodi. Aduersus huiusmodi, medico, vel chirurgo indigemus. In vita autem æterna nihil tale formidandum est, sed perpetua sanitas & impassibilitas speranda est. Malach. 4. *Orietur vobis sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Et ideo non est ibi medicus, quia sicut dicitur, Luc. 5. 31. *Non egent, qui sani sunt medico.* Esa. 49. *Non esurient, neque sitient amplius.* Ideoque ibi non erit necessarius panis, aut cibus corporalis. Meritò igitur dicetur animæ regnum cœleste intranti, illud 3. Reg. 13. *Non comedes panem, neque bibes aquam, neque reuerteris per viam, qua venisti,* id est, per mortem, *quia scilicet resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Rom. 6. Non est etiam ibi frigus: Cant. 2. *Iam hyems transijt, im-*

Passio triplex.

Medico non est opus in futura vita

Mala. 4. 2.

Esa. 49. 10.

3 Reg. 13. 17

Rom. 6. 9.

ber abijt & recessit. Sicut nec æstus, Apoc. 7.16. *Non cadent super illos sol, nec vllus æstus.* Ideòque vestimento non egent. Iob.1.21. *Nudus reuertar illuc.* Erit tamen post resur-
Ps.103. rectionem quilibet amictus lumine sicut vestimento, Psal. 103.

In inferno etiam non est opus medico,
Hier.15.18. quia damnatorum plagę sunt insanabiles. Hier. 15. in persona damnati dicitur, *Factus*
Inferni pœna. *est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis renuit curari.* Fames tamen nusquam
Daniel.10.3. ibi deerit, propter carentiam omnis boni, sine refectionis consolatione, quia nihil desiderabile dabitur eis. Daniel. 10. Dicet damnatus, *Panem desiderabilem non comedi.* Erit etiam æstus intolerabilis, &
Iob.24.19. frigus intensissimum, *quia transibunt ab aquis nimiis, ad calorem nimium.* Iob. 24.
Iob.24.7. Et erunt in omnimoda vnitate, quia de Dæmonibus, peccatis & parentibus dicitur illud, Iob. 24. *Nudos dimittunt homines vestimenta tollentes, quibus non est operimentum in die frigoris.*

Tertiò ponitur in themate alterius loci locatio, cum dicitur, nam anima hominis morientis pergit in infernum, ibique locata nunquàm habebit requiem. Ideòque dicitur homini reprobo morienti.
Esa.23. Consurgens trans freta. Ibi quoque non erit tibi requies, Esa. 23. Pœna enim damnatorum perpetuò durat, odio enim

ſemper erunt Deo, & eiecti à conſortio beatorum. Oſe. 9. *Ibi exoſos habui eos, propter malitiam adinuationum eorum : De domo mea eijciam eos, & non addam vt diligam eos.* Aut anima morientis petit purgatorium, ibique exoluit debita pœnarum, quæ à nobis redimi poſſunt eleemoſynis & ſacrificijs aliiſque ſuffragiis, quę ex miſericordia Chriſti valent, & ex virtute paſſionis, quia ipſe Dominus nos redemit. Mich. 4. *Redimet te Dominus.* Aut anima morientis fertur in regnũ cœleſte, vbi gaudio fruitur ſempiterno. Matth. 28. Dicitur, *Ibi eum videbitis.* Ad quam viſionem Chriſtus Dei filius nos perducat, AMEN.

Oſea.9.15.

Mich.4.

Math.28.7.

IN FVNERE ALICVIVS VIRI DOCTI ET literati.

THEMA.

Moritur Doctus, similiter & indoctus, Eccl.2.

Ecclesiast.2.16.

MVltiplex notatur discrimen inter viros doctos & illiteratos: primò ratione solatij, nam vt ait Seneca, otium sine literis, mors est, & viui hominis sepultura. 1. Macha.12. *Habentes solatio sanctos libros*. Rom. 15.4. *Per patientiam & consolationem scripturarũ spem habeamus*. Secundo ratione commodi, quia sæpissimè coguntur illiterati ad literatos confugere, vt vel aliquid legant, vel scribant, quod docti per se ipsos efficiunt: Sicque alijs secreta communicare necesse est, quod sine magno incommodo sæpè fieri, cõtingit. Vnde Eccles. 8. *Ne communices cum homine indocto*. Tertio ratione lucri differũt, quandoquidem docti viri, sua arte & scientia sæpissimè multas congerunt pecunias, opes & diuitias, vt videre est, in multis aduocatis, medicis, & alijs scientia præditis: E' contrario literarum rudes fere semper summa egestate pecuniarum affligi videmus.

Discrimen inter doctos & indoctos.

1. Machab. 12. 9.

Eccl.8.5.

Quarto differunt quantum ad doctrinæ fructum, alios enim docere possunt docti, non autem ignari. Prouer. 14. *In corde sapientis requiescit sapientia, & indoctos quoque erudiet.* Hæc in hac vita, non autem in extremo vitæ momento, locum habent, quia vterque moritur, doctus similiter vt indoctus, vt est in Themate. In quibus quidem verbis possumus considerare tria. *Prou.14.35.*

Primo quidem flebilem subtractionem.

Secundo, ineuitabilem communionem.

Tertio, illaudabilem priuationem.

Circa primum animaduertendum est, subtractionem & mortem boni alicuius viri & docti, longè fletu & lamentatione digniorem esse, illiteratorum obitu: quia illorum labor & opera plus reipublicæ, & singulis hominibus, vtilitatis affert, quàm eorum, qui nullam omnino artem callent: Vt enim terræ nedum vtilis, sed etiam necessaria est pluuia: Ita reipublicæ scientia & consilium. Hinc Daniel. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Vbi nota hominum Doctorum discrimina. *Doctus vir magis flendus, quia Reip. vtilis.* *Daniel.12.3*

Quidam sunt instructi, non tamen instruentes.

Quidam sunt instructi, & instruentes simul.

Primo aduerte tria bona, quæ à scientiis *Scientia vtiles.*

manant. Vnum est, doctus fit per doctrinam magis intelligens, qui in eo qui est instructus ab alio generatur scientia & ars, iuxta Aristot. lib. 2. Ethic. Deinde quia sicut lux Solis in aere recepta, plura videre facit. Ita scientia in homine per doctrinam animo impressam, multò plura intelligere facit. Vnde Hesiodus sicut refert Aristot. in primo Ethic. dixit, qui per se intelligere potest, est optimus, qui vero recipit, quæ dicuntur ab alio, est etiam bonus: Qui autem neutrum habet, est inutilis, quãtùm ad acquisitionem scientię: Sed quantũ ad doctrinam moralem, impeditur homo ne doctus in ea efficiatur, ratione scientię, & finis. Primo modo iuuenis impeditur, quia experientia caret, at quæ sunt moralis philosophiæ maxima indigent experientia, ideò de ijs rectè iudicare non potest. Verus enim iudex, est eorum quę cognoscit, ait Aristot. in Ethic. Itaque iuuenis non est idoneus auditor moralis philosophiæ, cum talis debeat bona sequi, & mala respuere.

Iuuenis nõ est idoneus auditor moralis philosophiæ.

Scientia infusa.

Porro nonnunquam iste defectus à Deo suppletur ex speciali Dei priuilegio & gratia, sicut patet in Daniele, *Quia suscitauit Deus spiritum pueri iunioris cui nomen Daniel. Et dixerũt ei senes. Veni & sede in medio nostrum & indica nobis, quia dedit tibi Deus honorẽ senectutis.* Daniel 13. *Vnde postea iudicauit & cõdẽnauit senes,* quia iniquè & falsò Susannam dam-

Daniel. 13. 4.

nauerant. Alij etiam à Deo instructi fuerunt iuuenes de quibus, Esa. 54. *Ponam filios tuos doctos à Domino.* *Esa. 54. 3.*

Quidam à doctrina moralium impediuntur comparatione finis, qui quidem est bonus actus, non cognitio: Vnde passionum sectator inutilis est auditor scientiæ moralis, quæ est doctrina virtutum: Vt ille qui sibi proponit concupiscentiæ satisfacere, inaniter & inutiliter audit moralẽ philosophiam, cuius finis est actio honesta, ad quam passione quis impeditus, nusquam perueniet. Idem accidit incontinentibus, qui licet sibi proponant, à noxijs voluptatibus & delectationibus abstinere, interdum tamen passionis impetu vincuntur, ita vt eam sequantur: Hi igitur licet docti cognitione videantur, non tamen operatione, & finis cõsecutione. *Moralis doctrina finis.*

Cæterum scripturæ sacræ doctrina nobis tradita est, vt quæ sunt fidei, & vitæ honestæ cognoscamus, bonique reddamur: qui igitur vtrumque hunc finem adeptus est, scilicet scientiam fidei, & bonam operationem doctus & intelligens veré dicendus est. Quod quidem impius & malus assequi non potest, excœcat enim eum malitia sua, vt bene agat. Hinc Daniel. 12. 10. *Impie agent impij, neque intelligent omnes impij, Docti verò intelligent.* *Theologiæ finis.*

Secundum bonum à scientia manãs, est apud homines viri docti manifestatio, ideo dicitur in auctoritate citata fulgebunt: Ea enim quæ fulgent magis apparent, *Scientiæ fructus.* *Daniel. 12. 3*

fulgent enim intra se per scientiam, & extra
Tob. 13. 12. se per eloquentiam. Tob. 13. *Luce splendida fulgebis*: id est, habebis lucē scientiæ, & splendorem eloquentiæ, & fulgorem famæ.

Verum obseruandum est, quosdam fulgere non in die, sed tantum in nocte: huic fulgori assimilatur scientia & eloquentia peccatoris, quia habet splendorem scientiæ,
Luc. 11. 35 cum obscuritate peccati. Luc. 11. *Vide ne lu-*
Eccl. 45 9. *men quod in te est, tenebræ sint.*

Tertium bonum ex literarum cognitione, est eminentia, ideoque dicitur in auctorit. allegata Daniel. 12. 3. *sicut splendor firmamenti*: Firmamentum præeminet cæteris: Ita viri docti & literati, si boni fuerint vtiliùs & decentiùs præsunt: est igitur scientia præsidis & rectoris, vt splendor firmamenti. Eccl 43. *Vas castrorum in excelsis in firmamento cœli resplendens*: Debet enim rector esse vas mundum per continentiam, sed castrorum, per fortitudinem, in excelsis & in firmamento per iustitiam, resplendens per prudentiam & scientiam.

Daniel. 12. Secundo ostenditur in auctoritate allegata Danielis, esse quosdam doctos alios docētes. Ideo ait, *qui ad iustitiam erudiunt plurimos.* Vbi significātur quatuor conditiones do-
Doctrinæ conditiones quatuor. ctrinæ. *Prima est quod sit fructuosa*, quia videlicet erudiunt ad iustitiam, alij ad pecuniam & propter lucrum, vt medici & legum & decretorum doctores, hi mercedem habent:

Qui vero ſcripturam ſacram docent, quæ eſt doctrina diuinitus inſpirata, hi propriè erudiunt ad iuſtitiam, non autem propter pecuniam, quia eis dictum eſt à Christo Domino, *gratis accepiſtis, gratis date*: intendunt etiam alios ad iuſtitiam amplectandam mouere, id eſt, ad omnem virtutem, quia iuſtitia ſecundum Ariſtotelem pro omni virtute vſurpatur, vt eos ad omne opus perfectum reddat. Ideo dicitur. 2. ad Timo. 3. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Hi doctores expectant præmium & coronam in futuro, de qua 2. ad Timo. 4. *In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ,* &c.

2. ad Tim 3.16.

2. ad Timo. 4.8.

Secunda doctrinæ perfectorum conditio, vt ſit copioſa, *quia erudiunt multos.* Hæc eſt notanda differentia inter ſcientiam & pecuniam: quòd pecunia diuiſa inter multos minuitur: Scientia vero multis communicata augetur. Vnde Anticlaudianus dixit, ſciẽtiã eſſe nobilem animæ poſſeſſionem, quæ diſtributa ſuſcipit incrementum, & auarum dedignata poſſeſſorem, niſi publicetur, elabitur. Ideoque docens alios proficit. Hinc Eccleſ. 37. *Vir peritus multos erudiuit, & animæ ſuæ ſuauis eſt,* quia ſcilicet, animæ ſuæ acquirit perfectionem & ſuauitatem ſcientiæ.

Doctrina communicata non minuitur.

Eccl 37.22.

Porro notandum eſt, omne habens excellentem virtutem, conari illius virtutis ſimli-

tudinem, in multa alia imprimere, sicut sol habens lucem excellentem multa corpora facit lucida, lunam, stellas, & planetas. Et ignis suo calore multa corpora calefacit. Sic homo iustitia ornatus, quæ iuxta Philosophū omnium virtutum est præstantissima, mul-

Prouer. 10. 22. tos erudit ad iustitiam. Prou. 10. *Labia iustorum erudiunt plurimos.*

Doctrina luminosa. Tertia conditio est, quia est luminosa, id est lumine sapientiæ plena, vnde ipsi doctores stellis assimilantur. *Erunt* (inquit) *sicut stellæ*: Stellæ enim imbutæ lumine solis, ipsum in inferiora desenũt. Sic periti doctores luce solis, hoc est, cognitione veritatis pleni ipsam libenter communicant aliis. Vnde Baruch. *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt.* Vbi obseruandum est, suam scientiam largiri aliis vtiliter, quia Stellæ dederunt lumen. Nam vt lumen stellarum est vtile, contra tenebras noctis, ita & lumen scientiæ valet, contra tenebras ignorantiæ & peccati: Itē cautè & prudēter, quia in custodiis suis. Custodiunt enim seipsos, ne quod verbis prædicant, moribus destruant: Custodiunt etiam linguam suam, vt proferant

Malach. 2. 7. congruo tempore doctrinam. Machab. 2. *Labia sacerdotis custodiunt sciētiam.* Item communicant eā hilariter, quia lætatæ sunt, homini enim sciēti delectabile est docere Pro-

Prouerb. 15. 24. uerb. 15. *Lætatur homo in sententia oris sui.*

Sciētia causa gloria. Quarta conditio est doctrinæ perfectorum, quod sit gloriosa, quia finaliter recipiēt

gloriam in perpetuas æternitates, ait au&o-ritas allegata ex Daniel. 12. 3. Sunt enim ibi perpetuæ æternitates viuentium. Psalm. In æternum exultabunt & habitabis in eis. Et licet sit vna essẽtialis æternitas, tamẽ multæ sunt æternitates partiales, vnde & dies anni dicuntur ibi esse æterni. Miche. 5. *Egressus eius à diebus æternitatis.* Et Ps. Annos æternos in mente habui, inuisibilia æterna dicuntur: Quæ autem non videntur æterna ait Paulus. 2. Cor. *Mich. 5. 2.*

SECVNDÒ in themate assumpto notatur ineuitabilis communio, quia scilicet ineuitabiliter communicant in mortuis doctus & indoctus, q. d. sicut moritur vnus, ita & alius: Sunt enim similes in delicto, ergo pati debẽt similem pœnam propter peccatum originale, quod trahitur ab Adamo, nam omnes in Adam peccauerunt, ideóque *In Adam omnes moriuntur.* 1. Cor. 15. quantum ad mortis terminũ, non quantùm ad mortis modũ, non enim omnes eodẽ modo moriũtur. Est enim mors naturæ, quæ etiã cõmunis est omnibus animalibus, à principio enim diuino priuilegio & gratia speciali homo poterat nõ mori: verùm inobediẽs factus, hoc honore indignũ sese reddidit, ideóque per actum, ad animalem vitam spectantem, id est, per esum fructus vetiti, ad communem mortalitatem omnium animalium rediit. Idcirco ait Psaltes regius Psal. *Homo cum in honore esset non intellexit*, &c. Et Eccl. 3. *Dixi in*

Ecclesiast. 2. 16.
Peccatum originale causa mortis.
1. Cor. 15. 22.
Eccl. 3. 13.

corde meo, de filiis hominum, vt probaret eos Deus & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis: Et idcirco vnus eſt interitus hominum & iumẽtorum, & æqua vtriuſque conditio. ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: Similiter ſpirant omnia, & nihil habet iumẽtis amplius : Loquitur de iis quæ ſub ſenſus cadunt, non de anima, quæ immortalis eſt, nec videri poteſt. Vnde ſicut de iumento videtur cadauer, ita de homine. Eſt & alia mors, quæ dicitur æterna, quia priuat vita æterna, & omnibus bonis temporalibus, appellaturque gehennæ, propter pœnam ignis æternam quæ peccatum actuale & mortale ſequitur: Eſtque hæc communis tantum hominibus impœnitentibus. Luc. 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimul peribitis* : In quibus verbis

Luc. 13. 5.

Primò, excluditur culpæ remedium.

Secundò, infertur commune ſupplicium.

Pœnitentia purgat animam.

Obſerua circa primum pœnitentiam eſſe remedium, quo purgatur macula culpæ, & remouetur reatus pœnæ. Dicitur, quòd Leo, qui cum pardo, Leænæ cõmixtionem odore cognoſcit, totum in adulteræ ſurgit pœnam : ſed ſi Leæna poſt commixtionem in flumine lauetur, nihil tunc à Leone præcipitur.

Similitudo.

Sic ſi anima Chriſti ſponſa, diabolo per peccatum coniungitur, ipſe Chriſtus, qui eſt Leo de tribu Iuda, ad vindicandum contra eam, meritò prouocatur. Sed ſi anima in flu-

mine lachrymosæ pœnitentiæ lauetur, ab ipso Christo peccatum dissimulatur, & remissio datur. Vnde Ambros. Quod defendi non potest, ablui potest, lauant lachrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri, lachrymæ veniam non postulant, sed mœrentur. Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitētiā ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor:* Sed è contra dicitur Eccl. 2. Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus domini, & non in manus hominum, sup. reuelantium, quia in inferno nulla est redemptio: dicet aliquis melius esse incidere in manus domini, quàm hominum, teste scriptura 2. Reg. vlt. *Melius est* (inquit Dauid) *vt incidam in manus domini (multæ enim misericordiæ eius sunt) quàm in manus hominum.* Verum respondendum est, hoc esse intelligendum de vita præsenti, in qua est locus misericordiæ, non in futura, quia tunc erit tempus iustitiæ. Ideoque tunc *horrendum erit incidere in manus Dei viuentis, ad Hebr.* 10. 31.

Ezech. 18. 21.

Eccl. 2. 22.

2. *Reg. vlt.* 14.

Secundò in auctoritate adducta subinfertur cōmune supplicium, scil. hominum impœnitentium, *quia similiter peribitis.* Si aliquis viam periculosam sequi velit, quæ latronibus abundet, omnes illam relinquere & aliā tenere securam, illi persuadēt: Quod si non vult credere nec obedire, ille dicetur stultus & insipiens: Stultus, quia non exit de via mala, insipiens quia bonam non vult eligere:

Similitudo.

Luc. 13. 5.

Ideò meritò perit, & qui cum eo pergunt. Vna mala & periculosa est via peccati, quam improbi sequũtur, & in qua sunt latrones, videlicet dæmones, animã gratia & virtutibus expoliantes. Figuram habemus Luc. 10. *De eo qui descendebat à Hierusalẽ in Iericho*, hoc est, à iustitia ad culpam, qui incidit in latrones, id est, dæmones, vel peccata: expoliauerunt eum, sup. gratuitis donis, quia vulneratur intellectus per ignorantiam, voluntas per malitiam: appetitus irascibilis & concupiscibilis, per mali inordinatam concupiscentiã & impotẽtiam boni, *semiuiuo relicto*, quia licet peccator viuat vita naturali, non tamen vita gratiæ sed via bona & secura est via pœnitẽtiæ Quia vt dicitur. Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis, vita viuet & non morietur.* Est ergo stultus qui non vult à via peccati discedere, & insipiens qui non vult per viam pœnitentiæ ambulare. Omnes ergo eiusmodi improbi perituri sunt. Vt ait Psalmista, stultus & insipiens simul peribũt, sup. in damnatione æterna.

Luc. 10. 30.

Ezech. 18. 21.

Tertiò in themate assumpto ponitur laudabilis priuatio, cũ dicitur *indoctus*. Indoctus enim propriè vocatur ille, qui nõ didicit, quæ tamen discere potuit, quod sæpè à superbia manat. Prouerb. 21. *Superbus & arrogãs vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiã.* Vbi tangũtur tres modi hominũ indoctorũ.

Indoctus quis.

Prouerb. 21. 24.

Nam quidam sunt indocti à veritatis cognitione, & hoc prouenit ex superbia.

Quidam vero sunt indocti, quantùm ad sui existimationem, & hoc prouenit ex arrogantia.

Quidam autem sunt indocti quantùm ad rectam operationem, & hoc prouenit ex ira.

Tripliciter sunt quidam indocti ratione veritatis, Primo quia illam ignorant. Et hoc plerumque prouenit ex superbia, quia superbus innititur proprio sensui, & alterius iudicium cōtemnit, ideóque se non vult scientibus, vt discat, subiicere. Tob. 4. *Superbiam in tuo sensu, aut in tuo verbo, nunquam dominari permittas.* Aliquando vero procedit ex accedia, quia non curat discere ea quæ potest, & tenetur scire, quia accedia respuit spirituale bonum, in quantum est impedimentum boni corporalis, & talem alloquitur dominus per Prophetam Ose. 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam ego te.*

Indocti tribus modis ratione veritatis.

Tob. 4. 34.

Osea 4. 6.

Quidam verò sunt indocti, quia in cognitione veritatis erant, sed falsa pro veris approbantes: Et hoc etiam quandóque procedit ex superbia, quia tumor mentis est obstaculum veritatis, sicut Greg. ait: Existimat enim quandòque homo superbus se intelligere quod non intelligit, & tales dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.

Superbia causa erroris, & hæreseos.

Quidā verò sunt indocti, quantū ad cognitionē veritatis, quia in doctrina falsitatis pertinaciter perseuerāt: Et talis est pertinacia ei⁹, qui errat in his quæ pertinent ad fidē, & quæ hæreticum facit: Quæ quidem pertinacia

ex superbia oritur: magna enim superbia est, quando homo sensum suum præfert veritati diuinitùs reuelatæ, toti Ecclesiæ, & patrum antiquorum consensui. Vnde super
Hier. 49. 16. illud Hierem. 49. *Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui,* &c Glosa dicit hæreticum non facit error, sed superbia.

Secundò sunt aliqui indocti, quantùm ad sui reputationē siue existimationem: & hoc spectat ad arrogantiam. Ideo additur in auctor. allata Prou. 21. 24. *arrogans vocatur indoctus*, propter deceptionē in sui existimatione, quam de se habet & in aliis esse desiderat. Quatuor enim sunt species, quibus omnis
Superbiæ species quatuor. tumor arrogantium demōstratur. Prima est cum bonum à semetipsis habere se existimāt, quod repugnat doctrinæ Apostoli dicentis
1. Cor. 4. 7. 1. Cor. 4. *Quid habes ô homo, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Secunda est, quando bonum sibi datum à Deo credunt, sed tamen ob sua merita, quod quidem sibi persuadere, est hominis arrogātis
Ad Tit. 3. 5. & indocti. Ad Titum 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiā suam, saluos nos fecit.* Tertia species est, cum iactitant se habere, quod non habent, vnde sunt insipientes & indocti: Vel si velint alios credere hoc, quod ipsi, non esse verum, sciunt. Quarta species quando despectis cæteris, singulariter volunt videri, habere quod habent, & hoc est, quia tales præsumūt de se, ac si singulariter omnes excederent, in

quo

quo profecto decipiuntur tanquam indocti. Eccl. 8. *Non communices homini indocto*, id eſt, arrogãti: q. d. ne habeas cũ illo familiaritatem, *ne male de progenie tua*, hoc eſt, de operibus tuis, *loquatur*, ſcilicet, detrahendo, quia homo arrogans, vt videatur ipſe præ omnibus excellens, malè de aliis loquitur, etiam de domeſticis. Propter hæc dicit Sapiens Prou. 16. *Abominatio eſt Deo omnis arrogans.* *Eccl. 8. 5.* *Prou. 16. 5.*

Tertiò ſunnt aliqui indocti quantum ad operationem, ſicut eſt ille qui ira commotus aliquid ſuperbè agit, *ira enim* non audit conſilium, & ſuperbia contemnit præceptum & documẽtum: Ideo iratus & ſuperbiens indoctè operantur. Eccl. 7. *Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit* Pſal. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam*, & ideo oportet manſuetè & humiliter bona operari, ſi quis vult habitare in domo cœleſtis gloriæ. Ad quam nos perducat immenſus & ineffabilis Deus. Amen. *Ira.* *Eccleſiaſt. 7. 10.*

IN FVNERE ALICVIUS VISITATORIS, IN VIſitatione defuncti.

THEMA.

Eſa. 60.17. *Ponam viſitationem tuam pacem.* Eſa. 60.

NON rarò contingit probum & iuſtum virum, in cœtu aliquo & ſocietate vitã degens, ab eadẽ, vel à præfecto iniuſtè moleſtari, accedẽte vero aliquo viſitatore æquiſſimo, liberari à contumeliis illatis, indeque educi vt trãquillè alibi viuat, hoſteſque puniantur, ſicut exigit iuſtitia. Figura huius habetur Geneſ. 19. in Loth, quando Angeli à Deo miſſi, tanquam viſitatores ad terrã Sodomorum qui eripuerũt inde Loth, qui erat iuſtus quique affligebatur ab eis, miſſuſque eſt in alium locũ vbi ſecurè & tutò manſit, interius dum Sodomitæ pœnas dederunt. 2. Pet. 2. Hæc verba habentur. *Iuſtũ Loth oppreſſum à nefandorũ iniuria ac luxurioſa conuerſatione eripuit: Aſpectu enim & auditu iuſtus erat, habitãs apud eos, qui de die in diẽ animã iuſtã iniquis operibus cruciabant. Nouit enim Deus pios de tentatione eripere.* Idẽ accidere videtur, in morte cuiuſlibet iuſti & ſancti viri. Cum enim in hoc mundo, à multis ſæpe affligatur. In die mortis tamen, facta à Deo viſitatione iuſtitiæ, liberatur, & ad tranquillitatem & pacem æternam perducitur, hinc Pſalmiſta, *Multæ*

Geneſ. 19.1.

2. Pet. 2. 7.

Tribulatio.

tribulationes iustorũ, & de omnibus his liberabit eos dominus. Sic modo huic Sancto defuncto viro accidisse videtur, qui dum alios visitare cœpisset, iusto Dei iudicio per mortem visitatus est, vt de tribulationibus & miseriis huius vitæ eductus, in ęternitatis pace quiescat. Sicque Deus poterat illi dicere. *Ponam visitationem tuam pacem*: Quibus verbis tria prædicuntur, quæ circa hunc defunctum à Deo sunt impleta.

Primum est, promissio ineffabilis.
Secundum est, eductio amicabilis.
Tertium est, tranquillitas desiderabilis.

Quemadmodum in principum & procerũ curiis, certi iudices cõstituuntur, qui merita & causas cuiusque examinent & iudicent. Ita Deus, qui est iustus Iudex, fortis, & patiens, tẽpore mortis, merita vniuscuiusque põderat, iuxta iustitiæ suæ mensuram, vt iustum præmiũ vel pœnã vnicuique reddat: habetur figura, Matth. 25. De eo *qui vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua*, scilicet Deus, hominibus bona naturæ & gratiæ & fortunæ. *Et post multũ tẽporis*, hoc est in fine vitæ, vel mundi, *venit*, hoc est, veniet *Dominus seruorum illorũ, & posuit*, id est, ponet: quia ratione certitudinis, ponitur præteritum pro futuro, *rationem cum eis*, &c. Quia non videmus in hoc mũdo, aut bona sufficienter remunerari, aut mala sufficiẽter puniri. Et ideo conueniens est, vt fiat iudicium, in quo vnusquisque

Mors hora iudicij.

Matth. 25. 19.

Iudicium Dei in morte.

accipiat secundum opera sua: Quod quidem
Esa. 28. 17. in morte, occultè fiet, in iudicio vniuersali, manifestè. Hinc dicitur Esa. 28. *Ponam in pondere iudicium & iustitiam in mensura. Et subuertet grando spem mendacij & protectionem aquæ inundabunt, & delebitur fœdus nostrum cum morte, & pactum nostrum cum inferno non stabit.* In quibus quidem verbis quatuor describuntur, quæ circa homines in morte contingũt.

Primum est, iudicis æquitas.

Secundum est mortis veritas.

Tertium est, punitionis immensitas.

Quartum est, deceptionis claritas.

Esa. 28. 17. Animaduerte aliud fieri iudicium in morte, de iis, qui mala egerunt, aliud, de iis, qui bona. De illis dicitur primò, *Ponam in pondere iudicium*: Peccata enim ponderosa sunt, ita tamen vt alia aliis sint grauiora: Vnde sicut põdus deprimit ad partem inferiorem, ita peccatũ ad inferos. Qui grauius fert onus, currit vt citò deponat, & subleuetur. Sic qui sentit onus peccati, ad ima deprimẽtis, ad pœnitẽtiã citissimè currere deberet, vt deponat antequã in infernũ trahatur. Heb. 12. *Deponẽtes omne pondus, & circumstans nos peccatum per patientiam, curramus ad propositum nobis certamen.*

Peccatum ponderosum onus.

Hebr. 12. 1.

Tunc ergo ponitur in pondere iudiciũ, quãdo est grauitas pœnæ inflictæ, secundũ culpæ grauitatem: Et ita fit in morte ponderatio culpæ & pœnæ in statera Dei, id est, in æquitate diuini iudicij. Prouerb. 16. *Pondus & statera, iudicia domini sunt.*

Pro. 16. 12.

Sed quantum ad iudicium eorum, quæ

bona fecerunt, ſubditur, *& iuſtitiam in menſuram*: Nam iuſtitiæ hominum, dicuntur opera bona debito modo facta. Matthæ. 6. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*: Ergo iuſtitiam Deus ponit in menſura, quando ſecundum operũ merita, reddit vnicuique præmia. Mar. 4. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Secundo in auctor. citata deſcribitur mortis veritas, Eſa. 28. 17. cum dicitur & *ſubuertet grando*, id eſt, impetus mortis, *ſpem mendacij*, id eſt, ſpem mendacem quam habebatis de longiori vita: & *protectionem*, ſup. vitæ veſtræ. Hoc eſt quicquid faciebatis ad protegendã & conſeruandam vitam veſtram. Et ita veritas mortis manifeſtabit mendacem fuiſſe ſpẽ veſtram, nihilque valere protectionem vitæ veſtræ. Figura huius habetur Luc. 12. in illo diuite qui dixit. Congregabo bona mea, & & dicam animæ meæ, *Anima mea habes multa bona*, &c. Dixit autem illi Deus. *Stulte hac nocte repetam animam tuam & hæc cuius erunt*? Vide quomodo mendacium ſpei eius diuitis, eadem nocte apparuit. Dicant igitur omnes eiuſmodi diuites illud Eſa. 27. *Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.* Et totum hoc oſtendit grando, hoc eſt, impetus improuiſæ mortis, omnia ſimul in quibus homo confidebat ſubuertendo. De grandine. Apoc. 16. *Grando magna ſicut talentum, deſcendit de cælo in homines.* Iſta grando quæ cũ im-

Matth. 6. 1.
Marc. 4. 24.
Luc. 12. 19.
Eſa. 28. 15.
Apo. 16. 21.
Mors grãdo

petu descendit, est mors quæ subita & improuisa venit & dicitur de cœlo descendere in homines, quia ex Domini sententia data ad nos venit. Gen. 2. *Quacunque hora comedetis ex eo*, scilicet *ligno sciētiæ boni & mali, morte moriemini.* Et Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mūdum, & per peccatū mors.* Hæcque grando tāto impetu venit, vt omnes homines prosternat. Esa. 28. *Sicut impetus grandinis, turbo confringens.* Dicitur etiā magna, id est, magnæ potestatis, quia nullus hominū ab ea se ipsum tueri potest. Vel dicitur esse magna sicut talentum, id est, sicut peccatum, scilicet primi parentis, quia assimilatur talento ratione grauitatis. Vnde sicut illius peccatū ita magnū fuit, vt ad omnes homines sese extēderit, ita mors neminē excipit. Hinc Apostolus, sicut in Adam omnes peccauerūt, ita & in eo, omnes moriūtur.

Gen. 2. 17. *Esa. 18. 2.*

Tertio describitur in auctor. illa Esa. 28. 17. punitionis immensitas, quæ fit post mortē, quia aquæ tribulationū & pœnarū inūdabūt. In qua inundatione intelligitur abundantia & diuersitas pœnæ: Quia aqua non dicitur inundare, nisi quando multum abundat, & multæ sunt pœnæ. Videmus enim quod secundum abundantiam pluuiarum, fit abundantia fluuiorum; Sic secundū abundantiam culparum, est inundatio pœnarum. Oseæ 4. *Maledictum, & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt.* De inundatione pœnarum dicitur. Tren. 3. *Inundauerunt aquæ, super caput meum.* Vel sicut

Pœnarum inundatio. *Osea 4. 2.* *Tren. 3. 54.*

abundat fluxus aquarum, id est, concupiscentiam, ita inundabunt torrentes pœnarũ, dicẽte Deo, *Quantũ glorificauit se & in deliciis fuit, tantũ date ei tormentum & luctũ.* Apoc. 18. *Fluxerũt aquæ, & torrentes inundauerunt*, Psal. Assimilantes pœne inferni, torrentibus, quia aliquando torrentes sunt torridi. Scili. à calore desiccati, aliquando aquis pleni, in quo illud Iob. 24. 19 figuratur, *Transibunt ab aquis nimium, ad calorem nimiũ.* Apoc. 18. 7.

Quarto describitur in auctor. adducta deceptionis claritas, cum dicit, *& delebitur fœdus nostrũ cum morte*, &c. Nam eo ipso, quod peccatores non timẽt mortẽ nec infernum, videntur pactum fecisse cum vtroque, sicut homo non timet hostẽ, cum quo habet pacta pacis seu induciarum: mortem enim non timent, qui diutius se victuros putant, infernũ, etiã nõ metuunt, quia etiã improbi & malè viuentes sperant finaliter conuerti, nec in illũ detrudi: Vnde neutrũ timẽt, ac si essent cũ eo cõfederati. Esa. 28. *Dixistis enim percussim⁹ fœdus cum morte, & cũ inferno fecimus pactũ.* Verũ hoc pactũ nullũ esse apparet, quando peccator morte præoccupatur, & impœnitens ad infernũ deducitur, & tunc clare percipit & euidenter, quo modo miser & infœlix deceptus fuerit. Esa. 28. 17. *Pactum cum morte, quid.* Esa. 28. 15.

Secundo in themate assumpto ponitur eductio gratiosa, cum ait, *visitationem tuam.* Vbi aduertendum quod aliquando Deus visitat hominem corrigendo, per infirmitates Esa. 60. 17. *Deum visitare homines quidã*

& tribulationes. Multi sunt similes cuiusdã piscis, qui dicitur salpa, qui secundum Plinium non potest coqui, nisi primum fuste vel ferula verberetur. Ita multi, non nisi verberibus & flagellis infirmitatis, vel tribulationis conuertuntur. Vnde Psalmista ait, *Visitabo in vita iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Aliquãdo visitat Deus illuminando per inspirationes, & in nobis desiderium cœlestis gloriæ. Luc. 1. *Visitauit nos oriens ex alto.* Aliquando visitat corporaliter mortem immittendo, vt educat hominem de miseriis huius mundi, ad gloriam patriæ cœlestis. Cuius figura habetur Genes. vltimo, vbi dixit Ioseph ad fratres suos. *Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet à terra ista in terram quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob.* Genes. vlt. In quibus verbis tanguntur tria, quæ pertinent ad mortem iustorũ, scilicet beneficium, meritum & præmium.

Visitatio Dei fit multis modis. *Luc. 1. 78.* *Genes. vlt. 24.*

Beneficium, in visitatione.
Præmium, in ascensionẽ.
Meritum, in promissione.

Notatur primò beneficiũ visitationis, cũ dicitur, *Deus visitabit vos*: Specialiter enim mors sanctorũ est gratiosa visitatio Dei: Nõ enim esset modicum beneficium amicum in carcere inclusũ, visitare & inde educere. Sic Deus visitat amicũ & iustũ in morte, educẽs illum ex corporis carcere, vt illũ ad gloriã & libertatẽ filiorũ Dei perducat. Hoc Dei beneficiũ precabatur Psalmista, *Educ* (inquit) *de carcere Deus animã meã, & confitebor Domini*

Mors sanctorum Dei visitatio gratiosa.

tuo domine. In qua visitatione custoditur spiritus, Iob. 10. *Visitatio tua custodiuit Spiritum meum.* *Iob.10.12.*

Secundò, notatur præmium in ascensione: *Quia ascendere vos faciet à terra ista,* Sup. huius seculi, *ad viuentium terram. Portio mea Domine, sit in terra viuentium,* Psal. Dicitur etiam illa terra in æternum stare, ob illius stabilitatem Eccl. *Quia terra in æternum stat.* Alia est terra miserorum & damnatorum, qui ad modum lapidis grauissimi, peccatis grauati & obstinati ad infernum descendunt, Iob. 10. *Terra miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & sempiternus horror inhabitat.* Exo. 15. 6. *Descenderunt in profundum, quasi lapis.* *Terra viuentium.* *Iob. 10. 22.*

Porro terra viuentium superiorem locũ respicit, estque in cœlesti altitudine, propterea qui illam petunt, ascendere dicuntur: vt sunt leues à peccatis, innocentes, & verè pœnitentes. Ideoque de eis postquam quæsiuit, Dauid, Psal. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius,* subditur responsio, *Innocens manibus & mundo corde.* *Psal.23.3.*

Tertio in auctor. inducta, describitur meritum, quo ad vitam æternam ascenditur quando dicit, quam iurauit Abraham, Isaac & Iacob. Per Abraham figuratur fides, per Isaac spes, per Iacob charitas, dicit glosa: Abraham enim genuit Isaac; & Isaac genuit Iacob: Dominus autem iurauit hominibus tales virtutes habentibus dare terram viuẽtium: hoc est, stabilitatem vitæ beatæ. Cuius *Meritum.*

Exo 33. 1. rei habemus figuram Exo. 33. Vbi dicitur, *Eduxisti populum tuum in terram, quam iuraui Abraham, Isaac & Iacob dicens, Semini tuo dabo eam.* Nam si per Abraham significatur fides, semen Abrahæ est fidei actus, hoc est credere: Et semen Isaac est actus spei: Et semen Iacob, est actus charitatis, qui est diligere Deum & proximum. Ex quibus patet, quod terra ista non dabitur infidelibus, sed solùm credentibus, nec desperatis, sed firmiter sperantibus: Nec peccatoribus charitate priuatis, sed solùm Deum diligentibus.

Esa 60. 17. Tertiò in themate assumpto ponitur quies desiderabilis, cum dicit pacem. Vulgò dicitur, iura bellamus, vt pacem habeamus. *Militia hominis.* Est enim in hoc mundo perpetuò dimicandum, quia mundus, caro, dæmonia diuersa mouent præmia. Sed quando in fine belli pace fruitur miles, tunc lætatur, bellum sustinuisse. Ita nos si fortiter dimicauerimus, in fine pace perpetua & optima gaudebimus. Hic porro notandum est, duplicem esse hominis finem. *Finis hominis duplex.* Vnus est, glorificatio animæ post corporis interitum, qui est vita æterna, quam comparat sibi homo honestis actionibus, & vitæ bonæ merito. Nam sanctificata anima Dei gratiam recipit, qua meretur præmium vitæ æternæ, quæ est vltimus & supremus finis. Rom.6. 22. Rom. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam,* quæ in cognitione sanctissimæ trini-

tatis perfectissima consistit, vbi pax & tranquillitas æterna. Quod innuitur in vocabulo pacis, constante tribus literis P. A. E tres personas significantibus. P. id est Pater. A. Amor. X. Christus Dei filius. Pace igitur & quiete sempiterna, in visione Sanctissimæ Trinitatis fruemur. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Ratio huius quietis Ps. 4. 9.
est, quia quandiu quis appetitu & desiderio ad aliquid fertur, non quiescit, donec illud possideat: Ideo nullus in hac vita pace frui & quiete dici potest, quia vno habito, aliud desideratur: Qui igitur omnia possibilia habet, vt ille qui Deo fruitur, in quo est omne bonum, verè quiescit & plena pace delectatur: est enim (inquit Boetius) beatitudo, status omnium bonorum aggregatione. Perfectus, in quo solo pax & quies. Esa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulēta.* Esa. 32. 18.

Secundus vero finis erit glorificatio corporis in vltima resurrectione, 1. Cor. 15. *Nunc* 1. Cor. 15.
autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem, resurrectio mortuorum: Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur: Vnusquisque autem in suo ordine primitiæ Christus: Deinde hi qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderūt, deinde finis. Nihil enim restabit habēdum vlteriùs, postquam hi, qui sunt Christi, id est, sancti, resurrexerint cum corporibus glorificatis, tunc erunt in perpe-

tua quiete & pace, quando hoc corruptibile induet incorruptionem, & immortalitatem. Ad quam nos perducat Dominus Iesus Christus Dei filius, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. AMEN.

IN FVNERE ALICVIVS DISPENSATORIS seu œconomi.

THEMA.

Luc. 16. 2. *Vocauit Dominus villicum, & ait: Quid audio de te? redde rationem villicationis tuæ.* Luc. 16.

QVia Deus Optimus Maximus homines arbitrii libertate exornauit, qua nonnunquam benè, aliquando malè vtũtur: nec Deum deceret, aliquid finaliter sub prouidentiâ qua omnia regit & gubernat, inordinatum relinquere: necessarium est hominum facta siue bona siue mala diuini iudicij examen, vt bona præmio afficiantur & mala puniantur, subire. Hoc autem in verbis propositis exemplo villici, id est, dispensatoris cuiusdam Domini demonstratur, à quo Dominus de administrationis sibi cõmissæ dispensatione, districtam rationem exegit, & propter infidelitatem dispensan-

Ratio reddenda.

di, quod ab administratione eum amoueret, comminatus fuit. Idem præstabit Deus cuilibet homini, in die mortis vel iudicio vniuersali. Ait ergo, *Vocauit Dominus villicū, & ait, quid audio de te?* &c. In quibus verbis de isto villico, seu dispensatore quatuor describuntur, quę ad iudicium Dei in morte, congruè referri possunt. *Iudiciū Dei.*

Primum est citationis præuentio.

Secundum, diffamationis obiurgatio.

Tertium est, administrationis examinatio.

Quartum est, dispensationis priuatio.

Beatus Hieronymus villicum propriè dicit eum esse, cui, eorum quæ sunt in villa, gubernatio & dispensatio commissa est. Oeconomum vero dispensatorem generalem putat pecuniæ, frumenti & omnium, quæ Dominus possidet. Nomine dispensatoris significatur quilibet homo, cui Deus gubernationem villæ suæ commisit, hoc est, propriæ personæ & bonorum quæ possidet. Hic à Domino vocatur, siue citatur, vt ad iudicium veniat, quando è vita excedit: Vnde ipsa mors est veluti nuncius Domini citans hominem ad diuinum iudicium. Verum notanda est differentia inter diuinum & humanum iudicium. Qui enim ad humanum vocantur, sæpe non obediunt, vnde contumaces efficiuntur, Prouer. 1. *Vocaui & renuistis.* Sed vocationi quæ fit per mortem ad Dei tribunal, nullus inobediens esse potest:

Villicus quis dicendus.

Iudicium humanum differt à diuino.

Prouerb. 1.

Necessariò proinde in examine eius iudicij, *Iob.14.15.* vnusquisque iudici respondebit. Ideoque dicit, Iob. cap. 14. Deum alloquens: *Vocabis me, & ego respondebo tibi.* In quibus verbis duo sunt attendenda.

Primò, citatis auctoritatem.

Secundò, obediendi necessitatem.

Circa primum, animaduerte vocationẽ hominis per obitum, peccatori quidem valde esse terribilem, iusto multùm amabilem. *Iudicium Dei malis formidabile.* Ratio primi est, quia quando peccator moritur videt se vocari & citari ad iudicium districtissimi examinis, seuerissimæ condemnationis, & grauissimæ priuationis, maximo *Esa.22.12.* igitur pauore crucietur necesse est, de tali vocatione dicitur, Esa. 22. *Vocauit Dominus Deus exercituum in die ista ad fletum & planctũ, & caluitium.* Licet enim ad literam in morte hominis concurrant fletus consanguineorũ, & planctus lamentantium, tamen magis peccatori morienti, in diuino iudicio, contingunt: habet enim causam flendi in culparum examinatione, quæ sine tergiuersatione in publicùm prodibunt: *Similitudo.* Si quis audiret publicari crimina, quibus ad furcas damnari deberet, maxima afficeretur tristitia. Sic peccator cum peccata manifestari videbit, propter quæ ad inferni patibulum erit mittendus, flebit in æternum. Ideoque dicere poterit, *Vocauit nos Dominus ad fletum.* *Matth.13.42.* Matth. 13. *Ibi erit fletus.*

Item peccator in Dei iudicio habebit

causam lugendi, propter pœnarum damnationem, quia damnabitur ad pœnas æternas, acerbas, & multiplices. Hinc damnatæ animę dicitur, Hierem. 6. *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* Et assimilatur perditioni vnigeniti, id est, vnici filij, quia non habet homo nisi vnicam animam, quam si perdiderit non habet aliã, quæ saluare possit. *Hier. 6. 26.*

Item erit ibi caluitium, id est, denudatio siue priuatio capillorum, hoc est, priuatio & expillatio bonorum omnium: Priuantur enim damnati bonis supernis, id est, gaudiis cœlestibus. Et internis, scilicet, gratia & virtutibus, & omni interiori consolatione, estque anima tota doloribus repleta. Sunt etiam priuati bonis externis & temporalibus omnibus, Esa. 3. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion,* id est, animarum damnatarum. *Esa. 3. 6.*

Sed homini iusto, vocatio quæ fit in morte est valde amabilis, siue respectu termini à quo, siue respectu termini ad quem vocatur. Nam per hanc vocationem educitur à mundo oneroso & laborioso, perducitur tanquam filius Dei cum honore ad cœlestem hæreditatem. De hac dicitur figuratè, Oseæ. 11. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Ægyptus interpretatur angustia, siue tribulationis coangustatio, vnde recte mundum significat, in quo iusti viri multum angustiantur, & affliguntur. Tribulatio & angustia inuenerunt me. *Mors iusto grata.* *Oseæ. 11.*

Nam nihil est in mundo, quod non habeat
Num. 11. 18. plus tribulationis & doloris admixtum, quàm doloris. Hoc figuratur numero. 11. in filijs Israel, qui dixerunt. In mentem nobis veniunt cucumeres, pepones, porrique & cœpe, & allia quæ comedebamus in Ægypto. Omnia enim hæc huiusmodi plus habent acrimoniæ, quàm dulcoris, ideóque bona hæc præsentia huius vitæ significant. Gratū est igitur iusto, ex hoc educi seculo.

Item quia ex tali vocatione perducitur ad cœlestem hæreditatem quod notatur in auctoritate inducta, dicendo, vocaui filium meum. Ad Gal. 4. *Si filius & hæres, imo coheres Christi, vt perfruatur hæreditate cœlesti.* 1.
Ad Gal. 4. Cor. 1. 9. *Fidelis Deus per quem vocati estis, in societatem filij eius Domini nostri Iesu Christi.* Notatur
Iob. 14. etiam obediendi necessitas, cum dicitur, *Respondebo tibi*, quasi non potero subterfugere vt vocatus & citatus à te non veniam ad examen iudicii tui, in quo necessario oportebit me respondere tibi.

Pœnitentia iudicium. Hoc loco duplex Dei iudicium notandū est ad quod vocatur homo: Primum est pœnitentiæ, ad quam Deus inuitat per literas
Matth. sacras & prędicatores, Matth. 3. *Venit Iohannes Baptista prædicans in deserto Iudeæ*, & di-
Act. 3. 19. cens, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Et Petrus Act. 3. ait, *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.*

Secundò, vocat ad pœnitentiam multi-

beneficiis, quæ Deus etiam peccatoribus in hoc seculo elargitur, vt eius bonitatem & benignitatem considerantes ad pœnitentiã commoueatur. Roman. 2. *An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Sed quia eius monitiones peccatores sperũt, conqueritur Deus, Prouerb. 1. *Extendi manum meam, nec fuit qui aspiceret.* Dicitur extendisse manum suam Deus dona & beneficia largiendo, innuens, vt ad eũm reuertamur, sicut accipiter, cibum offerendo, reuocatur. *Ro. 2.4.* *Prouer. 1 24* *Simil.*

Tertiò, vocat Deus ad pœnitentiam vocibus, id est, inspirationibus. Esa. 30. 21. *Aures tuæ audient verbum post tergum monentis.* Audiam quid loquatur in me Dominus Deus meus: Qui stat ad ostium cordis, & pulsat, sed multi non aperiunt ei, quod ex maxima fit malitia.

Quartò, vocat & citat Dominus ad iudicium pœnitentiæ per nuncios, id est, per flagella, quæ deferunt nobis signum salutis, Sap. 16. *Ad correptionem in breui turbati sunt, signum habentes salutis.* Istis ergo nuntijs debemus respondere per cõtritionem, confessionem & satisfactionem. Verùm dolendum illud, quod multi turpiter eijciunt & sine honore remittunt, sicut 2. Reg. 10. *Factum est nuntiis Dauid missis ad Amon.* Mirum est, quod canis vocatus à Domino confestim accurrit: At creatura ad creatorem suum, filius ad Patrem, seruus ad Dominum venire con- *Sap. 16. 6.* *2. Reg. 10. 4*

Iob.19.1. temnit: Ideo conqueritur Iob. 19. *Seruum meum vocaui, & non respondit mihi*: Hinc stulti non respondendo vocati à Domino, nec obediendo citationi iudicis, efficiuntur contumaces & rei: *Contumax quis dicendus.* Contumax enim dicitur, qui citatus tribus edictis, vel vno, pro omnibus non venit ad iudicium. ff. de Re. Iud. l. contumacia. Et hoc modo peccator citat⁹ à Deo tripliciter. Primo per flagella: Secundo per verba: Tertio per beneficia, si non venit ad iudicium pœnitentiæ contumax est.

Item appellatur contumax, qui impedit vel procurat, ne citatio ad ipsum perueniat, & talis pro citato debet haberi, ff. de reg. Iu. l. ad ea §. semper, & l. in iure ciuili. & l. quibus diebus. Huic assimilantur peccatores, qui prædicatores fugiunt, de his illud Iob dici potest. Cap. 21. *Dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* *Iob.21.14.*

Item contumax dicitur, qui venit ad iudicem, sed non ita vt à iudice agnoscatur, sed potiùs latitet: huic assimilatur is, qui venit ad pœnitentiam, vel confessionis iudicium, sed non ita confitetur, vt Sacerdos eius intima cordis agnoscere & diiudicare possit: Aut quia palliat, occultat, vel sese excusat, vel per obscura & inuoluta sua peccata confitetur. Dicitur etiam contumax qui ad præceptum iudicis non desistit: illi sunt, qui ad præceptū Sacerdotis aliena non restituunt, postquā confessi sunt: Omnes autem dicti contumaces, dicuntur non respondere, ideòque omnes à Deo punientur. Sed aliter, quàm à ca-

none. Nam canon dicit excommunicari debere. 11. q. 3. Certum quia omnis contumacia, graue crimen est, pertinetque quodammodo ad idololatriā nolle acquiescere. 8. q. 1. sciendum. Sed de pœna quæ infertur à Deo, non respondentibus vocationi & citationi suæ ad iudicium pœnitentiæ, dicitur, Esa. 65. *Omnes in corde corruetis, pro eo, quod vocaui & non respondistis mihi.*

Est porro aliud iudicium Dei, quod fit in morte vniuscuiusque, & hoc nullus potest Esa. 65. 12.
effugere: Verùm quid miser peccator summo iudici respondere poterit? Iob. 31. *Cum surrexerit ad iudicandum Deus, & cum quæsierit, quid respondebo ei?* Respondeamus igitur in Iob. 31. 14.
iudicio pœnitentiæ, ne timeamus iudicium iustitiæ. 1. Cor. 11. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur.* Sup. ad pœnā.

Secundò, in themate ponitur diffamationis obiurgatio, cum dicitur, *Quid audio de te?* 1. Cor. 11. 31. Luc. 16. 2.
Vbi notandum quod ponitur obiurgatio per modum inquisitionis. Vbi tanguntur tria in inquisitione obseruanda. Primū est ex parte inquirentis, quia ait ille, id est non tacuit id de quo apud eum fuerat diffamatus villicus. Ex quo collige, quod ille cōtra quē fit inquisitio debet esse præsens, & omnes cōtra quos proceditur, nisi per cōtumaciā se absentent: debet etiā fieri corā senioribus Ecclesiæ: Et ea de quibus accusatur, sunt illi exponenda vt possit seipsum tueri & defendere: nominaque testium sunt ei dicenda, vt quid dicatur, & à quo dictum fuerit, appareat.

Sed tamen cauti iudices consueuerunt tradere depositiones sine nominibus, propter testium odia euitanda.

Secundum considerandum est in inquisitione ex parte criminis, quod notatur cum dicitur, *quid audio de te?* Hoc videlicet crimen, propter quod diffamatus est apud eum, quasi dissipasset bona illius: Ergo de lapidatione bonorum sibi commissorum inquirebat, hoc est de furto crimine grauissimo: Vnde sequitur non de leuibus criminibus, inquisitionem esse faciendam, sed de grauissimis vt de hæresi, simonia, adulterio fornicatione, & alijs eiusmodi.

Inquisitioni conditiones.

Item dixit audio, quia tunc debet moueri ad inquirendum, cum crimen commissum non tantum semel, sed sæpe & per famam ad aures eius peruenerit. Duabus scilicet vel pluribus vicibus, ab hominibus fide dignis, non inimicis aut maledicis, sed bonis & discretis.

Tertium quod debet attendi in inquisitione, est qualitas eius, contra quem fit inquisitio, & ideo dixit, *de te*, scilicet, villico meo, qui præerat, villæ in quo præfiguratur Prælatus, qui præest Ecclesiæ: Ergo etiam contra Prælatum inquiri potest & debet, si excessus ab eo fiat.

Verùm quantùm ad iudicium diuinum, quod fit in mortis articulo, ipsa propria cõscientia corã Deo accusabit. Et tunc dicet ei Deus, *quid audio de te?* Auris Dei spiritualis

est, & ideo audit omnia, quæ cor vel conscientia etiam intus spiritualiter dicit: Sap. 1. *In cogitationibus impij interrogatio erit: sermonũ autem illius auditio ad Deum veniet, & ad correptionem iniquitatum eius, quoniam auris zeli audit omnia*: Igitur in illo iudicio nihil omnino latere poterit neque cogitationes, neque sermones, neque iniquitates, quia auris cœli omnia audit. *Sap 1. 9.*

Tertium quod ponitur in themate assumpto est administrationis examinatio, cum dicitur, redde rationem villicationis tuæ. In quibus verbis *Luc. 16. 2.*

Primò, exigit debitum.

Secundò, commemorat officium.

Circa primum, non dubium est quemlibet teneri Deo reddere rationem, de his, quæ suæ curæ commisit, & ipsa rerum gestarum manifestatio erit rationis redditio, admodum formidabilis, primò, quia oportebit reddere rationem de omnibus dictis, factis, & excogitatis, Sap. 6. *Altissimus interrogabit opera vestra, & cogitationes vestras scrutabitur.* Secundo de minimis. Matth. 12. 36. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die iudicij*, sup. mortis, & vltimi. Tertio de omnibus temporum momentis. D. Bernard. Sicut nec momentum pertransibit de tēpore: Nã omnē tempus tibi impēsũ requiretur à te, qualiter sit expensum. Sicut enim in fine hebdomadæ solēt discipuli rationē reddere totius *Ratio reddenda formidabilis.* *Sap. 6. 4.* *Similitudo.*

septimanæ, ita vt qui nesciat, verberetur, qui vero sciuerit, remuneretur: sic in fine vitæ reddēda erit ratio de omnibus, vt merces vel pœna recipiatur. Matth. 15. *Veniet Dominus*

Math. 25. 19. *seruorum illorum, & ponet rationem cum illis.*

Secundò commemorat officium, quia villicationis tuæ, id est, dispensationis tibi commissę, à qua villicus dictus est: Sed malè administrauerat illam. Luc. 16. *Homo quidam*

Luc. 16. 1. *erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona eius.* In quibus verbis notantur duo. Primū est cōmissio potestatis, quia habebat villicū id est, dispēsatorem: Nam accipitur hic villicus pro œconomio, & significat quemlibet hominem, quia cuilibet commissa est dispensatio rerum corporis & animæ, hoc est, vt de rebus temporalibus reddat eleemosinas: De corpore, casta ieiunia: De anima orationes deuotas: Et hoc figurarunt illa tria, qua magi Domino obtulerunt: aurū, de quo fieri potest elemosyna: Thus, in qua signatur oratio feruida: & myrha, in qua carnis mortificatio per ieiunia.

Secūdò, notatur diffamatio criminis, quia hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius. Vbi nota, quod diffamatio aliquando fit à personis grauibus, & tunc facit violentam præsumptionem: Quandoque à personis læuibus, & tunc facit lęuem suspitionem. Aliquando verò ab infamibus & tunc potius facit cōdamnationem: Sic peccator in iudicio mortis diffamatur, à fide di-

gnis, scil. ab Angelis sanctis. Diffamatio autē istius fuit, quod dissipasset bona illius. Dissipat enim peccunias temporales, quando eas malè expēdit, dissipat corpus, quando in voluptatibus nutrit, dissipat animā, quādo nō orationes deuotas sed malas cogitationes immittit. Hæc figurantur. Luc 15. *In filio prodigo qui substantiam suam dissipauit*. Corpus suum luxuriosè viuēdo in voluptatibus enutriuit, & animam suam malis cogitationibus repleuit: Vnde cupiebat saturari de siliquiis porcorum, id est, de cogitationibus immundorum. *Luc. 15. 11.*

Quartò, ponitur in Themate, dispensationis priuatio, cum subinfertur, iam non poteris amplius villicare, supl. ab officio villicandi amotus: hic enim est effectus inquisitionis quoad Prælatum: Nam si inquiritur cōtra Prælatum administrationē habentē, qui per istum villicum videtur significari, cōuincitur de crimine: ista est pœna eius certa & determinata, scil. remotio, ab administratione, extra de accusat. qualiter quando. Tunc ergo non erit pœna arbitraria, nā facti quidē quæstio, est in arbitrio iudicantis, pœnæ vero persecutio, non eius voluntati mandatur, sed legis arbitrio reseruatur, vt 2. q. 3. §. & notandum, & ff. de Ver. sig. l. si qua pœna. *Luc. 16. 2.*

Si vero is contra quem inquiritur, sit priuata persona, non habens administrationem: tunc est pœna arbitraria, quam secundum merita personæ, & qualitatem excessus

poterit iudicantis discretio moderari, extra de accus. inquisit. in fine. Sed hæc fallunt in criminibus enormibus, quæ ordinis suscepti executionẽ aut retentionem beneficij, post pœnitentiam impediunt: vt videre est, in homicidio & simonia, in ordine & beneficio. Extra de accus. inquis. Sed quantum ad iudicium Dei, quod fit in morte, in quo per istum villicum quilibet homo figuratur, qui bona sibi commissa tam animi quàm corporis & fortunæ dissipauit: Non solum ab administratione earum rerum remouetur per mortem, sed etiã vlterius per diuinam sententiam infernali pœnæ adiudicatur, nisi sibi prudenter prouideat, sicut ille qui ait. Luc. 16. *Quid faciam, quia Dominus meus auffert à me villicationem*. q. d. non contra hoc possum mihi prouidere, quin hæc administratio auferatur: Quia hoc fit per mortem, cui nullus resistere potest. Sed quid faciam vlterius, ne videlicet mittar ad supplicium æternũ? Huic quæstioni, quid sit faciendum optime respõdet Michæas cap. 6. Et prudenter consulit dicens: *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: Vtique facere iudicium.* Scilicet de te ipso, per pœnitentiam, & diligere misericordiam proximo, per elemosynam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo, scilicet proficiendo per opera bona.

Iudiciũ in morte..

Luc 16.

Micha. 6. 8.

Secundò, notanda est in exemplo villici infirmitatis recognitio, quia dicit, *Fodere nõ valeo, mendicare erubesco*. q. d. Cognosco impo-

tentiã meã,quia non potero me,post amotionẽ à villicatione,id est,post mortẽ iuuare per meipsũ laborando,hinc ait,fodere nõ valeo. Esa.5. *Nõ putabitur,neque fodetur*:Et sic de vinea animæ, quæ post mortem non poterit putari,id est,vitiis purgari per pœnitentiam: neque fodi, vt amoueantur ab ea quod non potero me iuuare aliorum auxilio, scil. per domum vel mutuum mendicando, vnde ait, *mendicare erubesco*, scil. quia non datur mihi. Nam quamuis multum misericordes sint homines, & piissimæ sint mulieres,fonsque pietatis sit Christus, tamen diues epulo de quo Luc.16.*in inferno existens non potuit* à sanctis viris scilicet Abraham & Lazaro impetrare vnam guttam aquæ. Item virgines fatuæ,de quibus. Matth.25. Non potuerunt impetrare a virginibus prudentibus vnam guttam olei, nec à Christo sponso vt ingrederetur ad nuptias, sed clausa est eis ianua: Idem accidit pigris, qui nolunt laborare in hac vita. Prouer.20. *Propter frigus piger arare noluit,mendicabit ergo æstate*, id est, in inferno vbi erit æstus gehennæ,& non dabitur.

Luc.16.22.

Matth.25.

Prou.20.4.

Tertiò,aduertenda est in exemplo villici, sagacitatis prouisio,qui dicit,*scio quid faciam*: Et postea fecit opera misericordiæ debitoribus Domini sui debita minuendo. Et sic consulitur Luc.12. *Vendite quæ possidetis & date eleemosynam : facite vobis sacculos, qui inueterascunt thesaurum non deficientem in cœlis.* Ad quem nos perducat Deus Christus, Amen.

Luc.12 33.

IN FVNERE ALICVIVS AVCVPIS SEV venatoris.

THEMA.

Psal. 123. 6.

Anima nostra erepta est de laqueo venantium. Ps. 123.

Similitudo

Diabolus venator.

QVemadmodum auceps in capiendis auibus omne suum studium, omnem industriam & operam collocat, & venator in feris syluestribus persequendis: Sic diabolus in animabus & præcipuè fidelium decipiẽdis: Quidã enim læues sunt & incõstãtes, veluti arrogantes & superbi, qui ad modum auium capiũtur: Quidam graues & terrenis inhærentes, sicut auari & raptores, & hi ad modum ferarum apprehẽduntur: Verum si homines pœniteant & conuertantur, ante animæ excessum è corpore, ita vt à laqueo peccati liberentur, & in gratia Dei migrẽt è vita: Tunc non est dubium, quin à Deo Opt. Maximo gratias agant, quod à deceptione aucupis, & venatorũ captione liberati sint, ideoque illa verba thematis vsurpare meritò possunt. *Anima nostra erepta est*, &c. Quibus verbis ostenditur, morte animam à tribus malis eripi, quibus in hac vita affligi solet.

Primò, quidem eripitur à mundi tribulatione.

Secundò, à peccati infectione.

Tertiò, à diaboli deceptione.

Circa primum dico animæ duplicẽ esse afflictionem: Temporalem & transitoriã, deinde futuram & æternam: Imprudentes illã magis timent, hanc vero prudentes: ratio est, quia prudentia destituti tantum præsentia sentiunt, quæ quidem sub sensus cadunt, in quo bestiis assimilantur, hinc amor rerum terrenarum & contemptus æternarũ. Vnde prouerbium natum est, ad præsens oua, cras pullis sunt meliora. Figura huius habetur. Esa. 39. in Esaia qui dixit. *Fiat tantum pax & veritas in diebus meis:* Non ita viri prudentes qui futura potiùs, quàm præsentia animo volutant. Hinc Boëtius, non quod ante oculos situm est sufficit intueri, sed rerũ exitus prudentia metitur: verùm quia in exitu animæ peccatoribus infertur pœna æterna, tunc suam imprudentiam agnoscere coguntur, prudentes vero erepti ab æternis pœnis & dæmonũ sæuitia & tormẽtis Deo gratias agentes, dicẽt illud Ps. *Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intollerabilem: benedictus Dominus*, &c. In quibus verbis quasi loquentes de se iusti defuncti tria dicunt.

Afflictio duplex trãsitoria & æterna.

Esa. 39. 8.

Psal. 123. 4.

Primò, ostendũt se esse ereptos à præsentis vitæ aduersitate.

Secundò, à futuræ miseriæ calamitate.

Tertiò, à dæmonum potestate.

Obseruandũ est, vt de primo agamus, hanc vitæ præsentis aduersitatẽ esse quasi aquam torrentis: Primò ratione breuitatis, quia

Aduersitas, quasi aqua torrentis.

inundatio torrentis citò venit & citò recedit: Est enim torrens, aqua cum impetu veniens, & cum impetu recedens. Ita enim appellatur, quod cum impetu crescat, & cum siccitate torrescat. Idem accidit iustis, sicut patet de Tobia & Iob, qui citò liberati sunt ab aduersitatibus Iob. 6. *Præterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in conuallibus.*

Torrens, quid.

Iob. 6. 15.

Secundo patienter tolerant viri iusti aduersitatem vitæ præsentis, propter exemplũ sui capitis, id est Christi, quia sicut dicit Gregorius, si passio Christi ad memoriam reuocetur, nihil adeò durum, quod non æquo animo toleretur. Ille enim qui erat caput nostrum in vita existens, multùm bibit de aqua torrentis, id est, de pœna vitæ huius: & propterea meruit exaltari: Vnde in Psal. 109. *De torrente in via bibit, propterea exaltabit caput:* Iniquis vero & peccatoribus aliquando aduersitas incipit in hac vita, ita vt per impatientiam eos ad pœnam æternam deducat. Torrens aliquando fluit ad mare, omnem suam dulcedinem amittens. Sic impius trãsiens, à miseriis huius seculi, ad amaritudinem æternæ pœnæ, omnem suauitatem vitę præsentis & futuræ amittit, Esa. 34. *Conuertentur torrentes eius in picem*, id est, pœnæ transitoriæ in æternam: quæ vocatur pix, ratione obscuritatis, & tenacitatis, quia pix nigri & obscuri coloris est, & tenacissimæ inhærentiæ. Postquam ergo absumpti sunt per mor-

Passionis Christi effectus.

Psal. 109. 10.

Esa. 34. 9.

tem viri iusti, tunc vere dicere possunt: *Torrentem pertransiuit anima nostra.*

Verum animaduerte iustos aliter ad propriam, aliter ad alienam se habere aduersitatem: Alienæ siquidem aduersitati multum compatiuntur, atque ita vt intus in anima torqueantur, sicut Beata virgo mater Saluatoris nostri in passione Christi plurimum passa est. Luc. 2. *Tuam ipsius animam gladius pertransiuit.* Et Iob. 30. *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* At vero aduersitates proprias viri iusti dicuntur pertransire, quia per tribulationes fit via, qua transitur ad vitam æternam, quæ quidem via est meritum patientiæ, Psal. *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Hierem. 31. 9. *Adducam eos per torrentes terrarum, in via recta & non impugnet in ea.* Luc. 2. 35. Iob. 30. 25. Psal.

Secundò ostendunt iusti, ereptos se post mortem à futuræ pœnæ calamitate cum dicunt, *forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem, &c.* Quasi dicerent, nisi pertransiuissemus torrentes, id est, nisi purgati fuissemus per aduersitates & pœnalitates vitæ præsentis, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem, hoc est ad pœnam æternam deuenisset. Psal. 123. 4.

Vbi breuiter considerare debemus quinque qualitates pœnæ infernalis, prima est ineuitabilitas, ideoque dicitur, *forsitan pertransisset*: quia liberum homini pœnam istam Inferni pœnæ qualitates quinque.

euitare, vel in currere, eo quod nullus ea cruciatur, nisi propter mala quæ voluntariè committit, vel mala quæ voluntariè a-

Os. 13. 9. mittit, vnde sequitur reatum pœnæ etiam voluntarium esse, Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel.* Ideoque dubitanter dicitur, forsitan pertransisset, quia poterat si voluisset perträsire, & non pertransire illam Psal. 123. 3. *Forsitan aqua absorbuisset nos.*

Secunda ratio quia ista pœna habet infinitatem s. successiuam: Nam sicut tempori perpetuò inest infinita successio dierum, ita gehennæ perpetuæ inest perpetua successio pœnarum. Quæ designatur per illud verbum

Iob. 24. 16. pertransisset. Nam damnati vt dicitur Iob. 24. *Transibunt ab aquis niuium, ad calorem nimium:* Et è contrariò, atque in infinitum.

Tertia est, quia pœna illa habebit diuinam potestatem, cum notatur, cum dicitur, *anima nostra*: Quanquam enim ibi sit pœna caloris vel frigoris corporalis, tamen diuina virtute ne dum corpus, sed etiam ani-

Matth. 10. mam affliget: erit enim instrumentum diuinæ iustitiæ, vnde aget, virtute diei Matth. 10. *Timete eum qui potest animã mittere in gehennã.*

4 *Qualitas pœnæ inferni.* Quarta qualitas est, quia habet profunditatem, & ideo, dicit, *aquam.* Nam quando aliquid est calidum & porosum aqua contingens exteriora, penetrat interiora, ad profundum vsque: Sic illa pœna, diuinæ misericordiæ pluuia & rore gratiæ Dei restituta, ad omnem animæ partem sese defundet, atque

penetrabit. Vnde Psal. *Induit maledictionem sicut vestimentum, & intrans sicut aqua in ossibus eorum.* Psal.

Sexta est acerbitas maxima, ob quā causam intollerabilem appellat, nā sicut secundum Philosophum, non solum id vocatur inuisibile, quod nullo modo videri potest, sed etiā quod vix & male videtur. Ita intollerabile, quod nullo modo tollerari potest, sed etiam illud quod vix vel male toleratur vt est hæc pœna, quæ tantæ est acerbitatis, vt vix tollerabilis: fiet tamen magis vel minus tollerabile vni quam alteri, secūdum minorem vel maiorem culpæ grauitatem. Hinc Matth. 10. *Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorreorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* *Inferni pœna intollerabilis.* *Matth. 10.*

Tertiò iusti defuncti ostendunt in autoritate adducta, se esse etiam ereptos à dæmonum potestate, propterea Deo gratias agūt, dicentes. *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captione, dētibus eorum.* Quando aliquis pugnaturus est aduersus potentiorem, non mediocres gratias agere debet, ei, qui doceret hostem vincere ac superare. Figura huius innuitur Numer. 24. Vbi Balac dedit munera Balaam, eo quod eum docuerat, qua ratione vincere posset filios Israël. Quis inficiatur nos fortiores & callidiores hostes habere, id est, dæmones, cum quibus quotidie sit decertandum? At verò Christus tentatus à dæmone, docuit quo modo sit à nobis debellādus, *Psal. 123. 4.* *Numer. 24*

Matth. 4. 1. Paratus est etiam omnibus momentis nobis auxilium ferre. Ideoque dicamus perpetuò, *Benedictus Dominus, qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellū.*
Psal. 143.1. Psal. 143. Manus, hoc in loco bona opera significant, quibus quasi inimicum percutimus, & repellimus. De ieiunio, Matth. 17.
Matth. 17. 20. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in ieiunio & oratione.* De elemosyna Eccl. 29. *Super*
Eccl. 29. 18. *scutum potentis & super lanceam aduersus inimicum pugnabit pro te.* Digiti vero operum discretionem designant, quia eiusmodi opera, cum maxima discretione & prudentia, debitis circunstantiis seruatis, fieri debent.

Porro certum est quemlibet pastorem, gregem suum, ea qua potest diligentia, seruare, alienas vero oues ne à feris diripiantur, non curare: Sic Christus, suos, qui per fidem & dilectionē sunt de grege Domini ne à dæmonibus & eorum tentationibus vincantur
Eccl. 21. 3. diligenter custodit. De quibus Eccles. 21. *Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum.*

Alienos vero, id est, peccatores qui secundum carnem viuunt, vel etiam in fideles,
2. Petr. 2. 12. qui blasphemant Christum, illos Christus capi permittit, & perire 2. Petr. *Hi vero irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & perniciem, his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt.*

Psal. 123. 6. Secundò, ostenditur in Them. assumpto in

in persona defunctorum quo modo erepti sunt, a peccati detentione, quia dicit quod *eorum anima sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Vbi notandum est per passerem, incautum hominem intelligi, qui à malorum societate sibi non cauet. Nam passeres in ciuitatibus etiam inter hominem commorantur, ideòque faciliùs & frequentiùs capiuntur, quàm aues syluestres, in solitudine commorantes. Ideóque signat eos passer, qui cum peccatoribus & mundanis hominibus versantur, quique faciliùs à diabolo capiuntur & illaqueantur. Hierem. 5. *Inuenti sunt in populo meo impij insidiantes, quasi aucupes laqueos ponentes & pedicas, ad capiendos viros.* Item passeres patiuntur morbum caducum, non ex ægritudine naturali, sed quia herbam venenosam & frigidissimam comedūt. Propterea significant incautos, qui à delectationibus & delitiis carnis non sibi cauent: pro quibus vendunt se diabolo vel peccato, vilissimo prætio. Matth. 10. *Nonne duo passeres asse væneunt?* Signanter notat duo, quia in lege veteri vsus passerum erat in purificatione leprosi, in qua duo passeres offerebantur, quorum vnus occidebatur, & alter dimittebatur. Vnde quia duo simul offerebantur in lege. Leuit. 14. *Præcipies ei qui purificatur, vt offerat pro se duos passeres.* Animam & corpus, hi duo significant, quæ ambo asse vænenū, quando pro vili & modica delectatione vel vtilitate temporali diabolo vel peccato se

Passer significat incautum hominem & voluptuosū.

Hier. 5. 26.

Matth. 10. 29.

Leuit. 14. 4.

tradunt: Passer ergo, id est, incautus homo tunc in laqueum incidit, quando in peccatum cadit. Eccl. 9. *Sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo, sic capiuntur homines tempore malo*, hoc est, tentationis.

Ecclesiast. 9.12.

Porrò obseruandum est, passeres & alias aues aliquãdo sagittis vulnerari, quod hominibus cõtingit, quando à tentationibus superantur: Quandoque vero retibus capiuntur, hoc fit, quando diuersis vitiis homines implicantur, quia retia diuersæ sunt maculæ sese inuicem connectentes, quandoque vero per aues præda rapitur, & hoc est, quando timore tyrannorum & improborum ad peccandum homines inducuntur: Nonnunquam vero visco detinentur, & hoc est, quãdo propter contritionis defectum à peccato non separantur: Aliquando laqueo stringuntur, & hoc est, quando de peccato non confitentur: quia laqueus strangulat, gutture presso, per quod vox exire consueuit. Tũc à laqueo eripiuntur illi, qui verè pœnitentes ex hac vita decedunt, & à peccato per sacramenta liberantur. Tales defuncti dicere possunt. Psal. 123. *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus*. Et illud: Nos autem surreximus & erecti sumus.

Ps. 123.7.
Ps. 123.6.

Secundò in themate, ostenduntur defuncti iusti à dæmonum deceptione liberatos fuisse, cum subinfertur erepta est de laqueo venantium. Vbi obseruãdum est tantam esse fraudulentiam & nequitiam dæmonum, vt

nullus sit, qui eam euadat, nisi diuino adiuuetur auxilio, ergo à Deo est principaliter euasio, non ab homine. Idque Psalmista fatetur in persona iusti defuncti dicens. Ipse, sup. Deus *liberauit me de laqueo venantium.* In quibus verbis ex persona defuncti duo præstat. *Ps. 123.6.*

Primò, confitetur beneficiũ quod recepit.

Secundò, refert periculum à quo euasit. Duobus modis, aliquis dicitur à malo liberatus: Vno modo, quando est extra ipsum, vt liberatus est à carcere, qui est extra carcerem: Sic homo liberatur à peccato, quando exiuit de peccato per pœnitentiam, & soluit debitum peccati, per satisfactionem. Rom. 6. *Nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo*: In hunc modum, bestia dicitur liberata à venatoribus, quãdo effugit manus eorum, & ab illis non est capta. Venatoribus assimilantur dæmones, à quibus anima dicitur liberari, quando non capitur, hoc est, quando à tentatione non superatur. Hæc liberatio per Dei auxilium efficitur. Eccl. 34. *Aliquoties vsque ad mortem*, id est prope casum in peccatum mortale *periclitatus sum*, *horum causa*, dæmonum, *sed liberatus sum gratia Dei.* Alio modo dicitur quis perfectè liberatus à malo, quando non solum est extra ipsum, sed etiam amplius non timet in illud inuadere, vt qui non solum est liberatus à carcere, sed qui amplius in illum rapi non formidat. Sic perfectè li-

Rom. 6.22.

Eccl. 34. 13.

beratus est à peccato & diabolo illi defunctus, qui æterna fruitur gloria, à qua omnis abest timor & tristitia, propterea totaliter in manu Dei esse dicitur Sap. 3. 1. *Iustorum* Rom. 8. 21. *animæ in manu Dei sunt*. Rom. 8. *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorũ Dei*: Quæ primò est in anima post mortem, & tunc liberantur à seruitute diaboli & corruptione peccati: Secundo fiet in corpore. sup. post resurrectionem, & tunc liberabuntur à seruitute corruptionis, scil. passibilitatis & mortis corporalis.

Psal. 123. 6. Secundò in auctoritate adducta iustus defunctus refert periculum à quo euasit, quia *de laqueo venantium*. Notandum quod sicut venatores vtuntur diuersis modis, & instrumentis ad feras capiendas, ita dæmones diuersis astutiis ad animas decipiendas. Illi habent canes, foueas & laqueos. Canes sunt improbi homines & aliorum corruptores, per quos diabolus multos capit, & lucratur, Michæ. 7. *Vir fratrem suum ad mortem venatur*. Item vtuntur pedicis. Iob. 18. *Abscondita* Iob. 18. 10. *est in terra pedica eius*: Quibus capiuntur lupi, dum alia animalia capere moliuntur, quæ violentiam raptorum significant, qui dum alios rapiunt, ipsi à peccato & diabolo capiuntur. Verum interdum lupus pedem re- *Meretrix; fouea est.* linquit in pedica & euadit: ita peccator, si euadere expectat, pedem, id est, affectum rapiendi & aliorum bona retinendi, dimittat. Venatores etiam vtuntur foueis, id est me-

retricibus. Prouerb. 23. *Fouea profunda est meretrix.* Laquei etiam dæmonum sunt diuitiarum cupiditates inordinatæ, quibus multi etiam capiuntur. 1. ad Timo. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*, &c. Dicitur etiam laqueus ipsa voluptas carnis, quæ signatur per mulierem de qua Eccles. 7. Inueni amariorem mortem mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus eius: Qui placet Deus effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab eo. De his venatorum laqueis dicitur Prou. *Qui cauet laqueos securus erit.* Sup. post mortem in gloria Dei Patris, cui gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

Prou. 23. 27.

1. ad Timo. 6. 9.

IN FVNERE ALICVIVS PISCATORIS.

THEMA.

Sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues capiuntur laqueo, sic capiuntur homines in tempore malo. Eccl. 9.

Ecclesiast. 9. 12.

CAPTI in bello, post certamen in carcerem ducuntur, nisi forsitan aliquo prætio redimãtur; verùm qui ne ab hostibus caperentur, effugerunt, salui & incolumes ad

suos redeunt. Ad hunc modum finita militia huius vitæ, qui fuerint capti à dæmonibus, & ligati peccatorum vinculis, in carcerem inferni detruduntur, nisi per satisfactionem pœnitentiæ, redempti fuerint. Sed iusti qui nec vinci ab hostibus, nec capi potuerũt, in suam patriam liberi reuertentur, de qua

Hebr. 13. 14. Apostolus ad Hebræ. 13. *Non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Qualiter autem ab hostibus peccatores capiantur, ostenditur in verbis propositis, triplici similitudine: cum dicitur, *sicut pisces capiuntur hamo*, &c. In quibus verbis causa triplex ostenditur, cur multi capiantur à dæmonibus.

Prima est, propter voluptatẽ delitiarum.
Secunda, propter ambitionem honorum.
Tertia vero propter cupiditatem diuitiarum.

Voluptuosi per pisces significantur Prima ergo similitudo pertinet ad voluptuosos, quorum vitium designatur in piscibus: Pisces enim in aquis viuentes, homines sunt in delitiis vitam agentes, qui à gula in luxuriam labuntur. Vnde etiam gulosos

Gulosi. signant, duabus de causis: Prima quia pisces à pascendo dicuntur secundum Isidorum lib. 2. Etymol. Secunda quia motus piscium, est propter cibũ & pastum ex Philosopho, 7. lib. de animalibus. Carent igitur, eiusmodi pisces aqua gratiæ, & abundant aqua concupiscentiæ, ideoque corrumpuntur putredine

Esa. 50. luxuriæ. Esa. 50. *Computrescent pisces sine aqua.*

Secundò, notatur periculum voluptatis, quia voluptuoſi facillimè à diabolo capiuntur, ſicut piſces à piſcatore. Idque accidit propter tria: primò, propter offuſcatam concupiſcentiam, quia in homine voluptuoſo, quando ipſe tentatur, concupiſcentia carnis inflamatur, & rationis iudicium perturbatur, & offuſcatur. Piſces autem faciliùs capiuntur in aqua turbida, quàm lympida & clara, vnde piſcator turbat aquam. Sic diabolus rationis iudicium perturbat & obſcurat, ne deceptionem peccati percipiat, ſicque capiatur. *Voluptas.*

Secundò, propter complacentiam delectationis venereæ: Tentator enim animam capit, ſicut piſcator murenulam. Nam ſerpēs cum murenula coire volens, eam ſibilo ad ſe vocat, propterea etiam piſcatores ſibilo vtuntur ad murenulam capiendam. Sibilus ergo ſerpentis eſt delectatio carnis, in qua tentator malignus, eam homini ad imaginationem adducit, ſuamque fraudem abſcondit, nec quò animam deducere intendat, oſtendit. *Similitudo.*

Tertiò, propter mulieris pulchræ & ornatæ conſpectum. Nam ornatus mulieris eſt ſicut rethe diaboli ad animas intuentiam capiēdas. Licet enim ſæpe, eò nō intēdere dicāt mulieres comptæ, & curioſius paratæ, tamē ſimiles ſunt latroni, qui non audet in Domini viuario aut ſtagno piſcari, vel in ſylua eius venari, tamen audaciori latro- *Ornatus mulieris.*

ni recte suum commodant: Sic sua corpora parant mulieres & diabolo commodãt, ad animas decipiendas Prouerb. 6. *Mulier viri pretiosam animam capit.* Ait D. Chrysost. quod mulier sit se ornauerit, & oculos intuẽtium ad se traxerit, & si plagam non intulerit, venenum tamen porrexit, licet nullus biberit. His igitur multi homines capiuntur à dæmonibus, sicut pisces à piscatoribus. Luc. 5. *Concluserunt piscium multitudinem copiosam.* Vnde dici potest diabolo illud Luc. 5. *Ex hoc iam homines diis capiens.*

Prou. 6. 26

Luc 5. 6.

Luc. 5. 10.

Tertiò, ostendit ipsa similitudo thematis modum capiendi siue instrumentum quo capiuntur, quia *hamo*. Pisces enim naturaliter sunt gulosi, & ita ciborum auidi, vt non aduertant hamum, in quo est aculeus latens, & cibus alliciens. Verùm quod facit in piscibus natura, idem præstat in voluptuosa concupiscentia, scil. tam auidè ad delectationem peccati ferantur, vt non animaduertant deceptionem diaboli, quæ est hamus eius, qui anima ad dolorem supplicij pertrahitur. Iob. 40. *Quasi hamo capiet eum.* Abac. 1. *In hamo subleuabis.*

Iob. 40 19.

Superbia.

Secunda similitudo thematis pertinet ad superbos, cum dicitur, *sicut aues capiuntur laqueo*: Vbi attende primò superborum elationem, propter quam similes sunt auibus. Secundò deceptionem, quia decepti ab aucupe capiuntur, tertiò, eorum perditionem, quia laqueo strangulantur.

Porro superbi auibus assimilantur, primo, propter volatum, aues enim inter volandũ rectas, & determinatas vias non tenent. Vnde secundum Isidorum 2. Etymolog. dictæ sunt aues, ab A, priuatiua particula, i. sine & via, quasi deuiæ sine via: Aliquando enim ascendunt, aliquando descendunt modo ad dexteram, modo ad sinistram diuertunt: Ita actiones superborum sunt volatus auium, omnis rectæ rationis expertes. Iob. 28. *Semitam ignorauit auis*, hoc est, superbus, viam rationis: Ex quo accidit, vt aliquando ascendant per ambitionem, aliquando descẽdant per delectationem: Diuertunt vsque ad dexteram, quando prosperitatibus potiũtur, & ad sinistram quando aduersitatibus concutiuntur.

Auis vnde dicta.

Iob. 28. 7.

Item aues motu alarum aerem diuidunt, non tamen signum transitus derelinquunt: Sic superbi in alto positi dominia & officia aliis diuidunt & distribuunt: sed illis mortuis deficit memoria & posteritas. Sap. 5. *Transierunt omnia ista tanquam vmbra, & tanquam auis quæ transuolat in aere.* Item aues, dum volant, plurimùm vento delectantur. Sic superbi vana gloria & hominum commendatione, sicut adulatores mendacijs abundant, Prouerb. 10. *Qui innititur mendaciis, pascit ventos*, id est, homines gloriosos, ventosos, & superbos.

Sap. 5. 9.

Prou. 10. 5.

Secundò, superbi assimilantur auibus, propter Dominium: Nonnullæ enim aues-

vt prædantes, aliis dominantur. Superbi sunt, qui per tyrannidem & violentiam in alios dominium vsurpant, hi inuadunt, prædantur & rapiunt aliorum possessiones & agros. Huiusmodi aues vt plurimum solitariæ sunt, neque cum aliis societatem inire possunt. Ita superbi pares in honoribus habere nolunt, sed omnibus aliis preesse contendunt. Hinc inter superbos iurgia, rixæ & contentiones. Dicat igitur superbus illud, Psal. *Similis factus sum pellicano solitudinis: & factus sum sicut passer solitarius in tecto*, id est, sum singularis in altitudine dignitatis & honorum.

Superbiæ effectus.

Psal.

Isti superbi sunt aues montium, quos Dominus frequenter eleuari permittit, vt puniantur Esa. 18. *Relinquentur auibus montium*, sup. puniendi.

Esa. 18. 6.

Secundò, nota deceptionem in dicta similitudine superborum, quia capiuntur à Diabolo (sup. dum alios capere moliuntur) qui est Rex super omnes filios superbiæ. Verum differentia est inter hunc, & alios Reges: hi non nocent obedientibus, sed hostibus & ijs qui rebelles sunt: E contrario diabolus rebelles, liberos & incolumes dimittit, sibi vero obedientes in carcerem rapit, & ad inferos, vt torqueantur, deducit. Retia quibus vtitur, sunt blandæ & subdolæ tentationes Prou. 29. *Qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.* Ezech. 13. *Consuunt puluillos sub omni*

Prouer. 29. 5

Ezech. 13. 18

cubito manus: Et hoc est quando dæmones blandè suggerunt illicitas cogitationes: Et faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis, quando blandè suggerunt immundas cogitationes, vel affectiones, ad animas decipiendas.

Tertiò, notatur superborum perditio, quia laqueo ambitionis suffocatur. Duplex causa cur aues illaqueantur. Vna est ex parte auis, quæ ad laqueum accedit: Altera ex parte Aucupis, qui laqueum tendit. Amos. 3. *Nunquid cadet auis in laqueum terræ, absque Aucupe?* Nam laqueum cum sit in terra, non illaqueatur auis, nisi descendat ad locum vbi latet laqueus: Sic anima dum terrenorũ amore & affectu ad hæc inferiora descendit, facile illaqueatur à Diabolo: Sicut primam mulierem ligno illaqueauit, ambitionis & superbiæ vinculo. Genes. 3. *Quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij*: Ecce laqueus terræ, id est, ambitionis, sub cibo latens terreno. Ad hunc modum ambitioso Simoniam suadet diabolus ad prælationes & dignitates in Ecclesia assequendas: Et sic auis incantata in laqueũ terræ labitur. Esa. 24. *Formido & fouea, & laqueus super te, qui habitatores terræ.* Alia est causa ex parte Aucupis, id est Diaboli, qui laqueos ambitionis & superbiæ præcipuè, capit homines, eo quod, eodem ipse captus est in cœlo Psal. 139. *Absconderunt superbi laqueum mihi*, id est, dæmones.

Superbi.
Amos. 3. 5.
Gen. 3. 5.
Esa. 24. 18
Ps. 139. 5.

Verùm qui illo liberari cupit, ad humilitatē confugiat, hac enim omne periculum euadet, ſicut D. Antonio dictum eſt, quando mundum vniuerſum laqueis plenum contēplaretur, & quæſiſſet, quis euadere poſſet, reſponſum eſt, ſolam humilitatem id præſtare poſſe teſte Pſalmiſta, Pſal. 114. *Humiliatus ſum & liberauit me*, ſed à quo, ſubdit, *Ipſe liberauit me à laqueo venantium.*

Pſal. 114. 6.

Eccl. 9. 12.

Tertia ſimilitudo refertur ad cupiditatem, cum dicitur, *capiuntur in tempore malo.* In qua primò, attende vitium cupiditatis, quia homines.

Secundò vinculum captiuitatis, quia capiuntur.

Tertiò, periculum remedij non adhibendi, *quia in tempore malo,* hoc eſt mortis, in inferno enim nulla eſt redemptio.

Hic per homines, cupidi intelliguntur, quia homo dicitur ab humo, terra humida, de qua primus homo à Deo formatus eſt. 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus*, Et quia per dilectionem anima fit amato ſimilis. Hinc Hugo de ſancto Victore. Scio (inquit) anima mea, quod in illius rei ſimilitudinem quam diligis transformaris: Nam ſi cœlum diligis, cœlum es, ſi terram, terra es, Vnde terrena diligēs, efficitur terrenus: Cōgrue igitur per homines qui ab humo denominantur, rerum terrenarum cupidi intelliguntur, & qui pondere terrę cor oneratum gerunt, Pſal. 4. *Filij hominum, vſquequo graui*

1. Cor. 15. 47.

Pſal. 4. 3.

corde, vt qui diligitis vanitatem, & quaeritis mendacium?

Secundò ostenditur vinculum captiuitatis, quia capiuntur à Diabolo: hinc D. August. pecunia malè acquisita est auaro, quasi muscipula, quia dum capit eam, capitur, sicut Auis inueniens escam & capit, à laqueo capitur, ita auarus dum capit pecuniam per lucrum, capitur ab ea: Vnde de nummis, quos lucrantur auari potest dici illud Esa. 14. *Erunt capientes eos, qui se ceperant.* Esa. 14. 2.

Tertiò, notatur periculum non adhibendi remedium, quia in tempore malo, glosa, scilicet iudicii mortis: de quo Psal. 74. *Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.* Hoc tempus malum est auaris, eo quod ad inferos detrudantur, vt patet in diuite Epulone de quo Luc. 16. *Et mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Qui vero sine macula auaritiæ migrarint è vita, tunc non confundentur, sed liberati ab omni peccato, ad æternam hæreditatem euolabunt, Psal. 36. *Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit: Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.* De qua saturitate Psal. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Ad quam nos perducat Iesus Christus Dei filius, qui viuit & regnat in secula seculorum, AMEN.

Psal. 74. 2.
Luc. 16. 22.
Ps. 36. 19.
Psal. 16 17.

IN FVNERE ALICVIVS MERCATORIS.

THEMA.

Non erit mercator vltra in domo Domini.
Zachar. 14.

Zachar. 14.

DVplex notanda eſt hoc loco operatio hominis: Vna, quæ locum tantùm habet in alia vita, ſicut Dei clara viſio per eſſentiam, in qua formaliter conſiſtit beatitudo hominis. Exo. 33. *Non videbit me homo & viuet*, ſup. vita corporali & mortali. Alia eſt operatio hominis, quæ tantum eſt huius vitæ præſentis, vt eſt mercatio, quia fit de ijs, quæ tantum ſpectant, & ſunt neceſſaria ad ſuſtentationem huius vitæ, qua finita, mercatio non erit amplius: Propterea dicitur, Ioan. 14. *In domo Patris mei, manſiones multæ ſunt*: At non eſt mercatio, Ioan. 2. Figuram habemus, *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*: Et hoc eſt quod dicitur in Themate, *Non erit mercator vltra.* In quibus verbis deſcribitur mercator defunctus, ex tribus.

Exod. 23.20

Actio hominis duplex.

Ioan. 14. 2

Ioan. 2 16.

Primò, ex termino naturali.

Secundò, ex exercitio temporali.

Tertiò, ex domicilio finali.

Circa primum animaduertendum eſt, mortem iuſti hominis & impij in eo differre, quod mortuo homine iuſto, ceſſat timor omnis malæ culpæ, quia amplius non poteſt peccare: Et etiam pœnæ, ſi decedat perfectè purgatus, vt ſtatim poſt baptiſmum & martyrium. Ideo dicitur. Sopho. 3. alloquens iuſtum. *Non timebis malum vltra.* At vero mortuo homine impio ceſſat omnis ſpes boni, Prou. 11. *Mortuo homine impio, nulla erit vltra ſpes.* In quibus verbis de homine impio deſcribuntur tria.

Mors iuſti differt à morte impij. *Sopho. 3. 15.* *Prou. 11. 7.*

Primum eſt, naturalis corruptio.
Secundum eſt, ſpiritualis tranſgreſſio.
Tertium vniuerſalis priuatio.

Obſerua corruptionem hominis in morte fieri per ſeparationem animi à corpore, vnde homine mortuo, vita etiam terminatur, & omnia accidentia, quaſi in contraria, permutantur, ſicut agilitas in grauitatem, pulchritudo in turpitudinem, & fortitudo in debilitatem. Ideo dicitur Iob. 14. *Homo cum mortuus fuerit atque conſumptus, vbi quæſo eſt?* q. d. Si conſideremus antiquos conſumptos, vbi quæſo & longæuitas Mathuſalem non centorum ſexaginta nouem annorum? de quo dicitur, Gen. 5. *Quod facti ſunt omnes dies Mathuſalem, &c.*

Mors mutat omnia accidentia. *Iob. 14. 10.* *Geneſ. 5 27.*

Vbi eſt agilitas Azahelis. 2. Reg. 2. *Porro*

2.Reg. 2.18. *Azahel cursor velocissimus fuit, quasi vnus ex capreis, subditur, Et percussit eum Abner aduersa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco.* Vbi est valetudo Caleph? qui ait Iosue 14. *Hodie octoginta annorum sum sic valens, vt eo tempore valebam, quando ad explorandum missus sum,* sup. *quando tantùm quadragintaquinque annos.* Sequitur: *Et illius in me tẽporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum quam ad gradiendum,* qui tamen postea mortuus est, & annichilata est eius valetudo. Vel vbi est quæso fortitudo Samsonis? de quo legimus Iudic. 14. *Quod dilacerauit Leonem,* quasi hædum in frusta discerperet. Inuenta maxilla ex ea interfecit mille viros, apprehendens columnas, quibus innitebatur domus, concussisque columnis cecidit domus super omnes Principes, & omnem multitudinem in ea existentem, multosque plures interficit moriens, quàm ante vnus occiderat. Item vbi quæso pulchritudo Absalonis? 2. Reg. 14. *Porro sicut Absalon nõ erat vir pulcher in omni Israel, nimis:* A vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula. cap. 18. dicitur, quod tulit Ioab tres lanceas, & infixit eas in corde Absalon: Cum adhuc palpitaret decem iuuenes armigeri Ioab percutientes interfecerũt, & proiecerunt eum in saltu in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruũ magnum lapidum. Hinc patet quomodo mors

[Margin notes: Iosue.14.11. — Iudic.14. 6. — 2.Reg. 14. 25.]

mors omnes superbos & inflatos, gloria, humiliet. *Prouerb.* 11. 7.

Secundò, describitur in auctor. allata spiritualis transgressio, quæ fit ab homine impio, à quo tollitur omnis pax. Quia secundum August. pax sit ordinata tranquilitas, ex moderata vita: Quemadmodum in homine impio, fit omnimodè vita inordinata, ita tollitur ab eo omnis ratio pacis: Nàm vita hominis debet esse ordinata respectu Dei, respectu sui, & respectù proximi. At vita impij, efficitur inordinata respectu Dei, quia Deo non obediens est, cum debeat. Item respectu sui, quia caro spiritui, & sensualitas rationi aduersatur, rebellis est, & contradicit. Tum etiam respectu proximi, quia qui sibi nequam est, cui alteri bonus erit? Ergo propter inordinationem, perdit sibi tranquillitatem & pacem conscientiæ. Esa. 48. *Non est pax cum impiis.* & 56. *Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.*

Pax, quid sit.

Esa. 48. 22.

Tertiò, describitur in auctoritate inducta Vniuersalis boni priuatio, quia nulla erit vltra spes, sup. alicuius boni. Et ratio est, quià hominis bonum triplex est, externum, internum, & supernum: impius mortuus & damnatus omni genere boni priuatus est, nam omni auxilio & vtilitate creaturarum destitutus est, cum etiam gratia & virtutibus animi internis, postremò etiam beatitudine æterna, quam cœlites reipsa possident, viatores vero in spe. Propterea dicitur Prouerb. *Prou.* 11. 7 *Prouerb.* 10

10. *Spes impiorum peribit.* Et sic patet primũ principale.

Zachar. 14. 21. Secundò, describitur in themate conditio mercatoris ex temporali exercitio, à quo denominatur Mercator, scilicet à quo mercaturam exercet. Vbi animaduertendum, quosdam affirmasse nullam mercaturam licitam esse, idque teste Aristotele in politicis, quod omnis mercator est vituperabilis, quia omnis actio iudicatur bona vel mala, ex intentione finis: sed finis intentus à mercatore est lucrum, quod ad cupiditatem pertinet, igitur est vituperandus mercator. Verum hi falluntur, nam potest etiam lucrum ad bonum finem ordinari, nec secundum se malum est, potest enim quis lucro familiam sustentare & pauperibus elemosinas dare: igitur si mercator lucrum intendat, vt stipendium laboris, vel propter aliquem alium bonum finem erit licita mercatura. Ille tamen mercator minimè laudandus est qui sola lucri cupiditate fertur, atque circa illud ita occupatur vt negligat spiritualia, quique in diuitijs con-

Iacob. 4. 13. gerendis finem suum collocat. Iacob. 4. *Dicitis mercabimur & lucrum faciemus, qui ignoratis quid sit vobis in crastinum.* In quibus quidem verbis de mercatoribus tria describit.

Primò, mercatorum actus.

Secundò, mercaturæ fructus.

Mercatura licita. Tertiò, ipsorum euentus.

Actus ergò potest esse iustus, fructus vero licitus, sed euentus incertus & dubius. Cir-

ca primum certum eſt, hominem licitè mercaturam exercere poſſe, atque etiam illicitè. Et hoc ex quatuor. Primò ex modo, ſi purè & ſine vitio fiat: Nam ſi cum mendacijs vel fraudibus, erit illicita mercatio: hodie videtur illud impleri Apocal. 13. *Et faciet ne quis poſſit vendere, aut emere, niſi habeat caracterem beſtiæ, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius.* Beſtia diabolum repræſentat, cuius quidem caracter eſt fraus & falſitas, quia ipſe mendax eſt, & pater mendacij, Iob. 8. Sine ergo hoc caractere fraudis & mendacij, nihil hodie venditur aut emitur à mercatoribus, & tamen, ſubditur ibidem, qui accipit caracterem, ſup. beſtiæ, in fronte ſua aut in manu ſua, bibet de vino iræ Dei. *Apoc. 13. 17.* *Iob. 8.*

Secundò verò, conſideratur mercatura, an ſit illicita ex pretio rei emptæ vel venditæ, quia ſi ſit iuſtum pretium, erit mercatio licita, ſi verò non iuſtum, illicita. Dicitur vero iuſtum prætium, quando eſt ſecundum valorem rei: Quia emptio & venditio introducta eſt, pro communi vtilitate vtriuſque partis, ſcilicet ementis & vendentis, dum vnus indiget re alterius, & è contrario: At quod ita eſt, non debet in nocumentum proximi cedere: vnde ſecundum æqualitatem debet inter eos contractus inſtitui: Quãtitas verò earũ rerũ quæ veniũt in vſũ hominũ, menſuratur ſecundũ prætiũ datum, ad quod inuentum dicitur numiſma: Ideoq; ſi prætiũ excedat quãtitatẽ valoris rei,

vel res excedat prætium, non seruatur æqualitas iustitiæ: Et ideo rem chariùs emere vel viliùs quam valeat, iniustum & illicitũ est.

Tertiò, consideratur an illicita sit vel licita mercatio ex vitio rei venditæ: Nam aliquando res quæ venditur habet vitium siue defectum, quantum ad speciem rei: Et si talem defectum venditor cognoscat in re, quàm vendit, tunc in ipsa venditione fraudem committit, ex qua redditur venditio illicita, & non solùm peccat iniustè vendendo, sed etiam ad restitutionem tenetur, vt si vendat aurum falsum, vel vinum mixtum pro puro scienter. Sed si venditor ignorat vitiũ, tunc non peccat vendendo, quia licet faciat iniustum, tamen eius actio non est iniusta: Quod si postea vitium cognouerit, ad compensandum damnum emptori, tunc tenetur.

Item si venditor æstimat rem suam, quantùm ad speciem minus prætiosam, quàm sit, vt si vendat aurum, pro aurichalco, si emptor illud cognouerit, iniustè egit, & ad restitutionem tenetur. Sed si illud tunc non cognoscat, quando emit, licet tunc non teneatur, tenetur tamen, quando ad eius notitiam venerit: Aliquando res quæ venditur, habet defectum & vitium ratione quantitatis putà quando non vtitur recto pondere vel

Deuter. 25. 13. mensura, & tunc etiam, est fraudulenta & illicita venditio. Vnde Deuter. 25. *Dominus prohibuit dicens, non habebis in sacculo tuo diuersa pondera maius & minus, nec erit in domo tua*

modius maior & minor, & poſtea ſubditur. *Abominatur enim Dominus eum, qui facit hoc, & auerſatur omnem iuſtitiam.*

Aliquando vero res vendita habet defectum ratione qualitatis, vt ſi ſit malè affecta, & pro ſana vendatur, ille peccat, & ad reſtitutionem tenetur.

Quartò conſideratur an mercatio vendentis vel ementis ſit licita vel illicita, ex commodo, vel damno conſequente, prout ſcilicet per accidens cedit in vnius commodum & in alterius detrimentum, puta cum vnus indiget habere rem aliquam, & alter multum læditur, ſi ea careat: In tali enim caſu, iuſtum prætium erit, ſi iuſtus æſtimator aſpiciat, non ſolùm ad rem quæ venditur, ſed etiam ad damnum, quod venditor incurrit ex tali venditione, & ideo licitè poteſt vendi res talis, magis quàm valeat: quia licet ſecundum ſe minus valeat, non tamen minùs valet habenti. Si autem ex re vendita multum iuuetur emptor, & venditor ea carens, non damnificatur, tunc ſi eam ſuperuenderit illicita venditio eſſet, quia vtilitas quæ accreſcit alteri, non eſt ex venditione, ſed ex conditione ementis. Nullus autem quod ſuum non eſt, alteri vendere debet, licet damnum quod patitur vendere poſſit: Ille tamen qui multum iuuaretur ex acceptare alterius poteſt aliquid ſua ſponte ſupererogare vendenti, cum hoc euidẽter pertineat ad eius honeſtatem.

Mercatio indecens. Est etiam quandoque mercatio indecens propter statum, putà si clerici vel Principes mercaturam exercerent sicut dicitur, Apocal. 18. *Mercatores tui erant Principes terræ.*

Iacob. 4. 13. Secundò in auctoritate allegata describitur mercationum fructus, cum dicitur, & lucrum faciemus. Quæsiuit Adrianus Imperator à secundo Philosopho, quidnam est, quod non sinit hominem esse lapsum? respōdit lucrum. Verùm mercator non lucrum faceret, nisi rem emptam pluris venderet, quam empta sit. Quod quidem licitum est, vel quia in aliquo rem meliorauit, vel quia prætium est meritum; secundum diuersitatem loci vel temporis: Vel propter periculum cui se exposuit merces transferendo, vnde chariùs vendere potest. Chrysostomus tamen dicit super Matth. Quod quicunque rem comparat, vt integram & immutando vendendo lucretur, iste est mercator, qui de templo Dei eijcitur. Sed hoc intelligitur de *Lucrum licitum.* mercatore qui vltimùm finem mercationis in lucro constituit. Quod præcipuè apparet plus rem in nullo mutatam, non videtur præmium sui laboris accipere. Potest autem intendi lucrum licitè, non sicut vltimus finis, sed propter alium finem necessarium & honestum, putà ad domus suę sustentationem, vel ad subueniendum indigentibus, vel ad publicam vtilitatem patriæ, hoc est, vt res necessarię ad vitam non deficiant patriæ, & lucrum expectat, non quasi finem, sed veluti

ſtipendium laboris.

Tertiò, deſcribitur euentus intentus cũ additur, *& ignoratis quid ſit vobis in craſtinum,* ſiue quantùm ad perſonas, ſiue quantùm ad mercationes: Nam quãtum ad mercationes, ſi hodie viuat, cras poteſt mori: quantum ad mercationes, qui hodie eſt diues, cras pauper eſſe poteſt, & merces & lucrum perdere, & tales futuri euentus à nobis ignorantur. Quia non poſſumus cognoſcere in ſe, cum nondum ſint, nec in ſuis cauſis, quia ſe habent ad vtrumlibet:nec ſine determinatæ ad vnum: Et licet ſunt iſti effectus determinati in diuina prouidentia, tamen ipſa occulta eſt nobis, niſi in quantum Deus voluerit hominibus reuelare. Et ideo dicitur Prouerb. 27. *Ne glorieris in craſtinum ignorans quæ ſuperuentura pariat Dies* Eccleſiaſt. 8. 6. *Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura*, ſcilicet contingentia nullo modo ſcire nuncio. *Iacob.4.13.* *Prou.27.1.*

Tertiò deſcribitur bonus mercator defunctus à domicilio finali, *Quia in domo domini.* Notandum quod domus domini vocatur habitatio paradiſi, in qua licet non ſit mercatio, vel mercator: Tamen ille qui fuit mercator ſi mercationem ſuam ſine peccato exercuit, & aliàs bene vixit, vel ſaltem ſi in fine bene pœnituit, illuc poſt mortem ad habitandum pergit. Qualis autem ſit illius domus habitatio Pſalmus 83. oſtendit, dicens. *Mercator bonus quis.*

Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. In quibus quidem verbis cœlestis gloriæ mansio, quadrupliciter commendatur; primò à copiositate, in eo quod dicitur beati: Beati enim dicuntur illius domus habitatores, quia habent copiam & abundantiam omnium bonorum. Nam secundum Boetium, Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Et hanc beatitudinem habent, qui habitant in domo Domini; propter quod dicit Psalmus 64. *Beatus quem elegisti, & assumpsisti inhabitare in atriis tuis.*

Beatitudo commendatur.

Psal. 64. 4.

Secundo commendatur ex satietate, cum subditur, *Qui habitant in domo tua Domine:* Nam & si auarus habeat abundantiam propter parsimoniam non comedit nec accipit quantum expeteret, vnde dicitur Eccles. 6. *Vir cui dedit Deus diuitias & substantiam & honorem, & nihil deest animæ suæ, ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud.* Et ideo licet talis habeat bonorum abundantiam, non habeat tamen satietatem, sed in domo domini cœlesti quilibet replebitur & satiabitur secundum illud; Psal. 64. *Replebimur in bonis domus tuæ.*

Ecclesiast. 6. 2.

Psal. 64. 5.

Tertio commendatur ex perpetuitate, *quia in secula seculorũ.* In his enim seculis notatur perpetuitas laudis, quæ est hominum beatorum & Angelorum. Verùm sæcula hominum habent augmentum successiuum,

Laudis perpetuitas.

quia quotidie sunt aliqui, qui ab ascensione Christi cœlum ingrediuntur. Sed Angelorum sæcula incœperunt ab origine mundi, ita vt boni Angeli qui permanserũt, semper omnes simul fuerũt beati laudantes Deum, neutra tamen sæcula finientur vel dicuntur sæcula sæculorum, quia præsentia sæcula, quæ temporalia sunt, sunt figuræ sæculorum sequentium, quæ perpetua sunt, quia continua fit successio temporum præsentium, nam quemadmodum sol mouetur ab Oriente, & item sol redit ad Orientem: Et iteratò etiam facit eandem circulationem, ita & tempus tempori succedit, putà dies diei, & annus anno. Talis inquam successio temporum quæ semper iteratur, quædam vmbra est perpetuitatis seculorum sequentium, in quibus sancti semper laudant Deum, quia ab initio sæculorum præsentium, semper Angeli laudauerunt Deum, & in perpetuum laudabunt, & homines beati simul cum eis: Ideo dicuntur laudare & gaudere in sæcula sæculorum. In perpetuum Apoc. 20. *Diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis*, &c.

Similitudo.

Apo. 20. 10.

Quarto commendatur ex iocunditate, quia laudabunt te: Ex continuo interiori gaudio quod habebunt de Deo, & à Deo, procedit exterior continuatio laudis & gratiarum actionis secundũ illud Esa. 53. *Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Gaudium, sup. interius, & læ-

titia exterior, gratiarum actio pro ereptione à malis, & vox laudis pro adeptis bonis, ad quæ nos perducat Christus Dei filius. Amen.

IN FVNERE ALICVIVS ARTIFICIS.

THEMA.

Omnis artifex & omnis ars non inuenitur in ea. Apoc. 18.

Apoc. 18. 22.

Artes cur necessariæ.

ARTES sunt homini necessariæ, vt corpus necessitatibus succurratur, vt ars textoria indumenta conficit, quibus corpus à frigore protegatur. Ars piscatoria & coquinaria præparat cibos, quibus fames repellitur, & corruptio prohibetur. Ars etiam medicinæ necessaria est aduersus ægritudines & morbos corporis: Propterea ait Galenus, si esset immortale & impassibile corpus, non indigeret arte conseruante ipsum. Hinc est, quod in alia vita, quæ est impassibilis & incorruptibilis, sicut in beatis, vel saltem incorruptibilis sicut in damnatis, non est opus artibus aut artificibus. Id ipsum docetur in verbis in themate propositis. *Omnis artifex*, &c. In quibus verbis circa defunctos artifices tria considerare possumus.

Primò, laudis præconia in artifice vel arte.

Secundò mortis exterminium, propter quód non inuenietur amplius.

Tertiò, operis præmium.

Circa primum, notanda eſt differentia inter opus morale & artificiale. Nam opus morale homo non poteſt facere bonum, niſi ſit bonus. Ratio eſt, quia ex eadem cauſa procedit, quod homo ſit bonus, & quod faciat opus moraliter bonum, ſcil. ex virtute. Virtus enim (ait Philoſophus) eſt quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit. Figuram habemus huius rei Matth. 7. vbi dicitur, *quod bona arbor fructus bonos facit, & non poteſt mala arbor fructus bonos facere.* Sed opus artis poteſt facere bonum, etiam qui non eſt bonus: licet enim Philoſophus annumeret artē inter virtutes intellectuales, non tamen dicitur eſſe virtus: quod hominē faciat bonum, ſicut virtus, ſolùm enim dat operandi facultatem, at virtus moralis vtrūque præſtat. Hinc eſt quod in artifice bonitas operis, non hominis attenditur, Eccl. *In manu artificum opera laudabuntur.* Quibus verbis artificum cōditio notificatur ex quatuor.

Morale opus vnde.

Virtus facit hominem bonum.

Matth. 7. 18

Ars non eſt virtus.

Primò, ex inſtrumento.

Secundò, ex habitu intellectuali.

Tertiò, ex affectu artificiali.

Quartò, ex fructu honorabili.

Cant. 7. 1.

Vt de primo agamus, nota manum eſſe inſtrumētū naturale & cōiunctū, quo artifices operantur. Cantic. 7. *Sicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis.* Vbi per monilia intelliguntur virtutes ſiue habitus virtutum

artificis. Vbi per monilia intelliguntur virtutes siue habitus virtutum quæ tunc manu fabricamus, quando virtutum opera exercemus, quia habitus virtutum moralium, secundum philosophum ex actibus acquiruntur, quia frequenter agendo iusta, efficimur iusti, & sic de alijs virtutibus.

Digiti virtutes significant. Obseruandum est etiam in ista distinctione manus, ostendi quæ virtutum opera facere debeamus. Est enim manus hominis in quinque digitos distincta: Quorum primus, qui est maior & crassior, vocatur pollex, ex eo quod inter cæteros virtute plus polleat: Vnde hoc digito significatur iustitia, eo quod inter virtutes morales plus polleat. Hinc Philosophus dicit, 5 lib. Ethicorum iustitiã esse omnium virtutum præstantissimam, & neque luciferum, neque hesperum esse ita clarum: Hinc Auicenna in 3. libro medicinæ suæ, ait istum digitum seu pollicem esse iustitiam omnium digitorum: quia omnes alij digiti, cum ei applicantur, ad quandam æqualitatem reducuntur. Ille ergo habet pollicem manus, qui iusta operatur. Iste digitus secundum Constantinum ex tribus ossibus componitur, quæ ad triplicem referũtur iustitiam: Distributiuam, quę competit dispensatoribus, vindicatiuam, quæ correctoribus: & commutatiuam, quæ mercatoribus.

Iustitia.

Prudentia.

Secundus digitus vocatur index, quia per ipsum res demonstramus & indicamus, &

hoc pertinet ad prudentiam; quæ nobis agẽda demonstrát & ordinat.

Tres porro partes huius digiti significant, tres prudentię partes, quæ sunt, memoria respectu præteritorum, intelligentia respectu præsentium, & prouidentia respectu futurorum.

Tertius digitus, qui est medius, dicitur pudicus, eo quod dum manus aliquid turpe tangit, hic cum sit maior aliis prius illud tãgit: Vnde signat temperantiam quæ impudicitiam & voluptatem carnis tangit reprimẽdo & moderando. Et tres partes huius digiti, significant triplicem temperantiam, quarum vna est abstinentia ciborum, secunda sobrietas potationum, tertia continentia venerorum. *Tẽperẽtia*

Quartus digitus vocatur annularis, quia in ipso annulus defertur: Sicut autem annulus in digito, ita est in opere fortitudo, quæ necessaria est præcipuè in continuando & perseuerando: Est enim annulus sicut corona digiti, quia sola perseuerantia coronatur. Et tres partes huius digiti significant triplicem fortitudinem: Vna est in aggrediendo, quod pertinet ad fiduciam: Alia in sustinẽdo, quod pertinet ad patientiam: Tertia in consummando, quod pertinet ad perseuerantiam. *Fortitudo.*

Quintus digitus dicitur auricularis, eo quod cum ipso aures scalpimus, & hic significat obedientiam, quia scriptum est Psalmo decimo septimo: In auditu auris obediunt

mihi. Et tres partes huius digiti significant quod obediētia est tripliciter homini necessaria. Primò respectu Dei, scilicet vt homo obediat diuinæ voluntati: Secundo respectu proximi, scilicet vt obediat superiori potestati: Tertiò, vt obediat propriæ rationi. De
Dan. 5. 5. istis ergo digitis manus, dicitur Daniel. 5. *Apparuerunt digiti quasi manus hominis*, &c.

Secundò describitur conditio artificum ex habitu intellectuali, qui est ars, à qua denominātur artifices: Verùm quia possunt bene vel male vti sua arte, qui bene vtuntur diaboli sunt, diabolus enim fallax & mendax
Ioan. 8. 44. est Ioan. 8. *Mendax est, & pater eius.* Vnde cùm fallaciis artem exercent, ex arte diabolica agunt: Quod sæpius contingit, sicut qui aurū falsificant & argentum, illudque pro vero & bono vendunt. Falsarij illi omnes similes sūt artificibus illis, qui falsificant Deos falsos, id
Ose. 13. 2. est, idola pro veris diis Oseæ 13. *Fecerunt sibi conflatile de argento suo, quasi similitudinem idolorum, factura artificum totum est.* Ad hoc peccatum idololatriæ reducuntur artes magorum & negromanticorum, quibus Deus maximè irritatur ad vindictā, eò quod sint
2. Paral. 33. 6. diabolicę. Idcirco Manasse dicitur. 2. Para. 33. quod *obseruabat somnia, sectabitur auguria, maleficis artibus inseruiebat*: Habebat secum magos & incantatores, multáque mala operatus est coram domino, vt irritaret eum Sunt etiam artifices diabolici, mendaces

qui non seruant pacta quæ promittunt, ideóque infideliter agunt. Psal. 77. *Auerterunt se, & non seruauerunt pactum*, &c. Psal. 77. 63.
Item Diabolus quicquid facit cum peccato facit. Ita multi, qui nihil vendunt nisi cũ peccato, cum multa proferant mendacia, & pluris vendant, quàm æquitas postulet, vel vitium occultet quod est in re. Hos in infernum deferet diabolus: cuius rei figuram habemus 4. Regum 34. Vbi habetur quod Rex *Babylonis*, id est Diabolus, *transtulit in captiuitatem, & in infernum omnem artificem*, scil. qui cum prædictis peccatis suam exercent artem. 4. Reg. 24. 14.

Quidam vero sunt artifices Dei, qui sine fallacia arte vtuntur, deque ea elemosynas faciunt, nec propter artis occupationes spiritualia, quibus tenentur omittunt: de eo Sap. 13. *Arte sua vsus est diligenter.* Sap. 13. 11.

Tertiò describitur in auctoritate allegata conditio artificum, ex eo quod dicit opera. Artifex enim otiosus, nihil lucratur. Prou. 10. *Egestatem operata est manus remissa.* Sic quatenus opera virtutum nõ agit, non meretur. Eccl. vlt. *Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem vestram, in tempore suo.* Dicit ante tempus, quia post mortem, non est tempus operandi, sed recipiendi. Et ideo consulit sapiens, Eccl. 9. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos, quod tu properas.* Prou. 10. 14 Eccles. vlt. 38. Ecclesiast. 9 10.

Quartò describitur ex fructu honorabili, cum additur, *laudabuntur*. Antéquã aliquod opus laudetur, benè priùs cognosci & inspici debet, ideóque illud, quod est in tenebris extolli non potest. Ita in moralibus, cum intentio sæpius non appareat, à qua opus dicitur bonum vel malum, nam est finis, qui in intentione operantis primò spectatur, sicut sanitas infirmi primò intenditur à medico, propter quam, adhibet medicamenta: sed vnúmquodque denominatur à fine, igitur si finis fuerit bonus ipsum quoque bonum necessario dicendum est: ergo ab intentione finis opus denominatur. Cum ergo licet opus appereat, non tamen intentio, in hac vita opera hominum vix laudari possunt: verum apparente claritate diuini iudicij illuminabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur secreta cordium & intentionum, & tunc erit vera laus & perfecta factorum omnium, hinc Aposto. 1. Cor. 4. N*olite ante tempus iudicare, quoadúsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Prouerb. vltimo *laudent eam in portis opera eius.* Hæ portæ sunt duo iudicia hominum: Vnum particulare, quod fit in morte, & aliud generale post resurrectionem generalem in fine mũdi. In quibus ex factis apparebit, quis sit laudatus vel non: sed primum est Deo manifestum, nobis autem occultum, sed secundum erit omnibus perspicuum.

Bonitas à fine.

1. Cor. 4. 5.

Prouerb. vlt. 31.

SECVNDÒ

Secundò ponitur in themate mortis exterminium, *quia non inuenietur amplius*: Manifestum est enim, quod iste dum viueret, à multis propter artem expetebatur, morte vero sublatus, non quæritur, Psal. 36. *Quæsiui eum, & non est inuentus locus eius*. In quibus verbis describuntur duo. *Apoc. 18. 22.* *Psal. 36. 38.*

Primò, hominis viui consideratio.

Secundò, hominis viui subtractio.

Circa primum, homo viuens diligentiùs inquirere & mente considerare deberet, quem locum amicus defunctus adierit, si cœlum ei congratuletur, cum omni sit miseria liberatus, omnisque boni abundantia repletus. De quibusdam illud certò sciri potest, de pueris post baptismum decedentibus, sunt enim sine macula ante thronum Dei, nec illi sunt lugendi. De aliis probabiliter, quorum videlicet mortem bona vita præcessit, nam vt ait D. Augustinus, *mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit*. Item, qui de suis peccatis plenam & veram pœnitentiam ostēderunt, iudicādi sunt beati, vnde Dominus ait, pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnū cœlorum. Si vero sint in inferno, lugēdi sunt, atque deplorandi: Vt sunt infideles, qui sine fine moriuntur, quia qui non credit, iam iudicatus est. Et hæretici, impœnitentes & desperati, in peccato mortui, quorum dānatio certa est. De his vero qui in purgatorio detinentur, habenda est compassio: Ideóque orationibus & eleemosynis iuuandi sunt,

aliisque suffragiis.

Psal. 36. 38. Secundo ponitur in auctoritate adducta hominis defuncti subtractio, *quia non est inuentus amplius locus eius*: Sup. in hoc mundo. Error est quorundam qui asserunt, post triginta sex millia annorum ab initio mundi reiterationẽ hominum futuram, ita vt redituri sint ad easdem artes, vt Plato Athenis iterum lecturus sit. Quod quidem aduersatur

2. *Reg.* 14. 14. sacræ scripturæ 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur*: Vnde secundum veritatem fidei catholicæ, qui defuncti sunt nunquã reuersuri sunt ad hanc vitam mortalem. Sap. 2. *Non est agni-*

Sap. 2. 1. *tus, qui reuersus sit ab inferis*, & paulo post: *Non*

Reursio ad hanc vitam nulla est. *est reuersio finis nostri.* Quod ex communi lege verum est, licet de speciali gratia Dei, & diuino miraculo aliqui resuscitati fuerint à Christo & ab antiquis Prophetis, vt ab Elia & Elisæo, vt patet de Lazaro & aliis. Sed priuilegium particulare non facit legem communem: Et licet omnes defuncti sint resurrecturi, non tamen ad vitam mortalem, sed immortalem, Et quia D. Dionys. ait, quod fuit Angelis casus, hoc est hominis mors,

Apoc. 12. 8. ideo sicut de Angelis cadentibus Apocal. 12. *Quod locus eorum non est inuentus amplius in mũdo.* Ex quibus sequitur neque mundi diuitiis, deliciis aut honoribus amplius non posse perfrui.

Psal. 36. 38 Tertio ponitur in themate operis præmium, cum dicitur, in ea. Vbi nota duplicem

locum retributionis defunctorum, scilicet, inferni, qui figuratus est in ciuitate Babylonica: estque ibi retributio malorum in duplici pœna damni ex priuatione gloriæ, & sensus ex ardore gehẽnæ. De quibus Apoc. *Clamauerũt flentes & lugentes. Væ ciuitas illa magna.* Dicit bis, propter duplicẽ illã pœnã. Subditur, *Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra non inuenietur: Et vox cytharedorum & musicorum & tuba canentium, & tuba non audietur in ea.* *Inferni duplex pœna. Apoc. 18. 6.*

Sed locus retributionis iustorum est locus paradisi, qui significatus est per ciuitatem Hierusalem, de qua Esa. 51. *Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Gaudium, sup. ab interiori beatitudine animæ: Lætitia, ex corporis glorificatione: Gratiarum actio, pro ereptione à malis, & vox laudis, pro repletione in bonis. Psal. 102. *Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus:* Et hæc est corona æternæ gloriæ. Ad quam nos perducat Christus Iesus Dei filius. Amen. *Paradisus. Esa. 51. 3. Psal. 102.*

IN FVNERE ALICVIVS IVVENIS.

THEMA.

Memento creatoris tui, in die iuuentutis tuæ, antequam tempus veniat afflictionis.
Eccleſ. vltim.

Eccleſiaſt. 12.1.

EX his, ſua quæ liberalitate Deus hominibus contulit, nihil (inquit Seneca) præſtantius atque dignius eſt memoria: Nã in anima nobiliſſima pars eſt intellectus ſiue ratio: memoria autem nõ quidem ſenſitiua, quam habemus communem cum brutis, ſed intellectiua, quæ eadem eſt potentia cum intellectu & ratione. Ratio quidem dicitur, vt eſt inquiſitiua, intellectus vt eſt apprehenſiua, memoria vt eſt retentiua: Et quia retinere maioris eſt virtutis quam inquirere, vel apprehendere, ideo memoria dicitur eſſe digniſſimum quid in anima. Verum ſi de iis quæ ſunt corporis agamus, nihil eſt vita charius, & præcipuè ſi ſit floreſcentis, & iuuenilis ætatis. Si de bonis exterioribus loquamur, proſpera fortuna maximè ab omnibus exoptatur. Hortatur ergo nos Salomon, auctoritate thematis, illa tria, ſi affuerint nobis in Deum Opt. Max. referamus, à quo ipſa percepimus, dicens: Memento creatoris, tui &c. Quibus verbis tria facit.

Memoria intellectiua.

Vita nihil charius.

Primò, in Deum memoriam nostram esse referendam.

Secundò nostram iuuenilem & floridam ætatem.

Tertiò prosperam fortunam.

Hortatur ergo nos primò ad memoriā creatoris nostri, quia nihil est cui⁹ homo facilius obliuiscatur: Quod contingere potest ex elatione: Ait enim Seneca, quod memoria beneficiorum acceptorum labilis est: homo enim beneficiorum, quæ contulit, magis recordatur, quam eorum, quæ recepit. Ratio est, quia homo inter cætera animalia est maioris elationis animi, & ideo in illud quod est excellentius & honorabilius, licentiùs tēdit: Cum igitur beneficium dare sit agere, recipere autem sit pati: & agere sit nobilius, magis recordatur eorum quæ confert. *Memoria benefactorū labilis.*

Act. 20. *Beatius est dare quam accipere.* Quia igitur creator omnium se habet ad nos ratione benefactoris, & non beneficiati, eo quod bonorum nostrorum non indigeat. Psal. 15. 1. Ideo humanus animus faciliter auertitur ab eo, & obliuiscitur eius. Hinc Deuter. 32. *Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* *Act 20. 35.* *Deut. 32. 18.*

Verum aliquis dicere posset hoc nō manare ex elatione, sed ex magnanimitatis virtute, quia iuxta Philosophum in 3. Ethic. lib. Vna proprietas magnanimi est beneficiorum & benefactoris obliuio: Respōdeo Aristotelem dicere magnanimū nō esse *Obiectio.*

memorem beneficiorum, quantum ad hoc, quod est sibi delectabile, beneficia ab alio recipere: Non autem quantum ad hoc, quod benefactori sit ingratus, quoniam maiora sibi compensare studet, quod ad perfectionem gratitudinis spectat, in cuius actu excellere maximè exoptat. At circa Deum creatorem, qui est prima causa bonorum omnium, hoc non habet locũ, quia tantò quis est excellentior & nobilior, quantò plus recipit de influentia virtutis, potestatis, & sapientiæ, quæ tria includuntur in nomine creatoris, cõnotat enim diuinã potestatem: Quia igitur homo à Deo totum suum esse accepit nobilissimum & excellentissimum, & omnia quæ habet meritò debet Deum semper habere in memoria aliàs dicendus erit ingratus, ex qua ingratitudine, gratia aufferri solet: E contrario memoria beneficiorum Dei, gratum eidem reddet, ampliorem que homo cõsequetur gratiam. Figuram habemus Tob. 1. *Quoniam memor fuit Dei, in toto corde suo, dedit ei Deus gratiam.* Quibus verbis ostenditur quod Tobias memoriam suã referebat in Deum.

Gratitudo. Ingratitudo.

Tob. 1. 13.

Primò quidem actualiter.

Secundò, integraliter.

Tertiò, vtiliter.

Memoria Dei ex amore diuino.

Circa primum, notandum est, amorẽ charitatis, id esse, quod hominẽ Dei memorẽ maximè facit, sicut amorẽ cupiditatis, immemorem: Nam eorũ, ad quæ magis afficimur, magis recordamur, & minus obliuiscimur.

Vnde Philoſophus in lib. de memoria & reminiſcentia, ait, affectum ad ea quæ quis diſcit, plurimũ iuuare memoriã, ideo que obliuio Dei ex minimo affectu ad ipſũ cauſatur: Eo autem minus homo afficitur ad Deum, quò magis afficitur erga mundum. 1. Ioan. 2. *Qui diligit mundum non eſt charitas Patris in eo.* Et Iacob. 44. *Qui voluerit eſſe amicus huius ſeculi, inimicus Dei conſtituitur.* Hinc Auguſt. ait, venenũ charitatis eſt cupiditas, quo dũ tollit amorem Dei, tollit memoriam Dei. Charitas autem Dei recordari hominem monet, atque in eiuſdem memoria delectari facit. Pſal. 66. *Memor fui Dei & delectatus ſum:* Vnde tanta eſt aliquandò delectationis interioris abundantia, vt exteriùs in laudes diuinas ſancti viri prorumpant, ſicut vinum bulliens in vaſe prorumpit exteriùs Pſal. *Memoria abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabũt.* Memoria enim Dei ſe habet vt vinũ purum, cor ad feruorẽ & ardorem incitans. *Oſe.* 14. *Memoriale eius ſicut vinum Libani.* Libanus enim interpretatur dealbatio, propter candorem nimium, qui erat in monte Libani, vnde ſignificat cordis puritatem, Vinum Libani eſt amor cordis puri, quod eructare & feruere facit memoriã Dei.

Obliuio Dei

1. Ioan. 2. 15.

Pſ. 66. 5.

Pſal.

Oſe. 14. 8.

Secundò, oſtẽditur in auctoritate adducta habuiſſe memoriam Dei integraliter, *quia in toto corde.* Vbi notandũ, quod aliquãdo vocatur cor, intẽtio mẽtis, vnde de hypocritis dicitur, quæ faciũt nõ recta intentione faciunt,

Tob. 13.

Intentio bona.

non enim propter Deum, sed propter homines agunt. Psal. 77. *Generatio quæ non direxit cor suum.* Qui igitur omnem intentionem in Deum dirigit, verè dicitur memor Dei in toto corde suo, Iob. 34. *Si direxit ad Deum cor suum, spiritum eius & flatum ad se trahet.* Psal. 118. *In toto corde suo exquisiuit eum.*

Psal. 77. 11. · Iob. 34. 14.

Tertiò ostenditur de Tobia, habuisse Dei memoriam vtiliter, propterea enim *Deus dedit ei gratiam*: Ratio in prõptu est, Dei enim memoria hominem maximè humiliat, quãdo iudicia eius diligenter meditatur, sicut de Dauide legimus Psal. 118. *Memor fui iudiciorũ*: Humiliatus vero ad gratiam disponit, sicut inclinatio vasis ad hauriendum aquam. Hinc Iacob. 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Iac. 4. 9.

Secundò in themate assumpto docemur, nostram iuuenilem ætatem in Deum esse referendam: Cũ dicitur, *in diebus iuuentutis tuæ.* In iuuenili ætate maximè Dei memoria est necessaria. Ratio duplex est. Primò, quia in iuuentute homo præsumit se diu victurum. Differunt enim à senibus iuuenes (inquit Aristoteles 2. lib. Rhet.) quod senes difficilis sint spei, de pluribus enim parùm vel malè sperant, propter tria: primò propter experientiam, experti enim sunt plura eorũ quę fiunt, in deterius accidere, idcirco in peiorẽ partem omnia referunt. Secũdò illud accidit, propter timiditatem, sunt enim formidolosi, quia frigidi & in natura deficiẽtes; vnde sicut

Ecclesiast. 12. 1.

Memoria Dei iuuenibus necessaria.

audacia ad ſpem erigit,ita timor ad deſperationem: Tertio,quia ſenes magis viuūt memoriæ, quam ſpei, nam reliquum vitæ tempus modicum eſt, quod autem præteritum eſt, multum eſt. Cum ergo ſpes ſit futuri, memoria præteritorum, ſenes modicùm ſperant, & multùm memorantur. Iuuenes vero de facili ſperant, ideòque præſumunt de miſericordia Dei, inuoluunt ſe peccatis, & obliuiſcuntur illius. Sæpius tamen fruſtrantur tali ſpe, quia credentes ſe diutiſſimè viuere, citiùs moriuntur, Hierem. 11. *Iuuenes morientur in gladio.* Vel etiam morte naturali, *Hiere. 11. 22*
Eſa. 40. *Deficient pueri & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent*: Neceſſaria eſt ergo eis *Eſa. 40. 30.*
memoria Dei, quæ ſuo timore refrænat eorum præſumptionem: quia etiam ſi multis annis eſſent victuri, finaliter tandem reddenda erit ratio coram iudice, ſicque quàm vana fuerit eorum ſpes, illis manifeſtum erit. Eccleſiaſt. 11. *Et ſi annis multis vixerit homo & in his omnibus lætus fuerit, meminiſſe debet tenebricoſi temporis*, ſcilicet mortis vel iudicij, & *Eccleſiaſt. 11. 18.*
dierum multorum, ſcilicet, poſt iudicium vel mortem, quia erunt dies æternitatis, qui cum venerint vanitatis arguentur præteritæ.

Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua, ait Eccleſiaſtes cap. 11. 9. Et in bonum ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorū & ſcito quod pro omnibus his adducet te *Eccleſiaſt. 11 9.*

Deus in iudicium, id est, si ambulaueris in voluptatibus quas cor tuum expetit, & rerum visibilium delectatione, scito, te de his omnibus rationem redditurum. Secunda ratio, cur potissimũ in iuuentute necessaria est Dei memoria, quia iuuentus hominem ad
Tob 4. 6. peccandum maximè propensum reddit. Hinc Tobias dicebat filio, *Omnibus diebus vitæ tuæ, in mente habeto Deum & caue ne aliquando consentias.* Tob. 4. Causa vero cur iuuenes sint ad peccatum proni, est, quia fortius impugnantur. Psal. 128. *Sæpe expugnauerunt*
Psal. 128. 1. *me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.* In quibus verbis primò describitur pugna: Secundo victoria. Pugnæ autem difficultas ostenditur tribus.

Primò, ex tentationum frequentia.

Secundò, ex tentationum violentia.

Tertiò, ex ætatis inexperientia.

Obseruandum est diabolum, eo quod iuuenes videat propensos ad passiones suas & intemperantiam rerum venerearum, ciborũ, ludorum &c. sæpe illis tentationes immittere, modò hanc, modò illam. Figura huius
Matth. 17. 15. habetur, Matth. 17. De illo dæmoniaco, de quo dicitur, *Malè patitur, nam sæpe cadit in ignem & crebrò in aquam.* Et Marc 9. 22. Vbi
Marc. 9. 22. dicitur de puero, quod spiritus malus ab infantia, cum frequenter in ignem & aquam miserit, vt eum perderet.

Per ignem intelliguntur passiones irascibilis appetitus, per aquam passiones concupiscibilis, ad quas iuuenes sunt propẽsissimi.

Secundò, pugna qua impugnantur iuuenes, habet difficultatem ex impugnantium hostium violentia, quæ notatur, cum dicitur, *expugnauerunt*. Vbi animaduertendum est dæmones expugnare & obsidere animam cum exercitu vitiorum, in quo superbia quasi vexillum portat, Psal. 118. *Posuerunt signa sua signa*. Gregorius, Euidentissimum signum reproborum est superbia, & electorum humilitas: Quam cum quisque habet in se apertè cognoscitur, cuius potestati seruiat. Inuidia sagittas trahit detrahendo alijs, Hierem. 9. 3. *Extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacij, & non veritatis*. Ira autem quasi pyrata lapides iactat blasphemiæ & improperia 2. Reg. 16. *Semei maledicebat Dauidi, mittens lapides aduersus eum*; sed ipse deterius se percutit in capite, quam alium in veste. Eccles. 27. *Qui in altum mittit lapidem super caput eius, cadet*. Accedia fossam euacuat ab aquis gratiæ, Iudith. 7. *Holophernes fecit præcludi aquæductum, ne veniret in ciuitatem cordis, aqua gratiæ lætificans*, Psal. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*. Auaritia fossas implet, per terrenorum cumulationem, Daniel. 11. 16. *Veniet Rex Aquilonis, & comportabit aggerem*, sup. diuitiarum, & capiet vrbes munitissimas. Luxuria ignem succendit. Iob. 31. *Ignis est vsque ad consumptionem deuorãs*. Gula hunc ignẽ accẽdit & nutrit, ligna cibariorũ apponẽdo, 4. Reg. 25. *Expugna impugnãtes me, apprehẽde arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi*.

Psal. 118.

Superbia signũ reproborum.

2. Reg. 16. 5

Eccl. 27. 28.

Iudith. 7. 6.

Ps 45. 4.

Iob. 31. 12.

Tertiò notatur diuersitas pugnæ in iuuenibus ex ætatis inexperientia, cum dicitur à *iuuentute mea.* Multa sunt terribilia & difficilia militibus inexpertis, quando in certamē descenderunt, quæ expertis facillima videntur. Dicit enim Philosophus experientiam quandam esse fortitudinem: Nam vt ait vegetius de arte militari, nemo se facere metuit quæ se bene didicisse confidit. Iuuenes autē inexperti & inexercitati sunt: Ex qua inexperientia eis duo contingunt: Primum est faciles esse moribus: Secundum est, quod aliis facile credant: Hinc diabolus expertissimus & callidissimus minimo negotio illos decipit, & ad peccandū trahit, vt in carcerem inferni detrudat. Vnde conqueritur Ecclesia Thren. 1. dicens, *Iuuenes mei abierunt in captiuitatem.* Vnde suadetur Eccles. 30. *Non des illi potestatem*, sup. diabolo, *in iuuentute tua*, Qui est callidus & malitiosus, priùs partem hæreditatis viri simplicis ad se trahit, vt totum postea rapiat. Ita diabolus oculum prius obcœcat, vel cor occupat in iuuene, vt totū postea possideat. Sed sibi cauendum est, sicut ille, qui dixit Matth. 19. *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea.* Nam de præceptis dicitur, *Si seruaueris, seruabunt te.*

Experientia est quædam fortitudo.

Thren. 1. 5.
Eccles 30. 11.

Matth. 19. 20.

Secundum principale, quod notatur in auctoritate adducta est tentationum victoria, de qua dixit, Etenim non potuerunt, sup. præualere, & hoc Deo sua gratia confortante & protegente. Aposto. ad Philip. 4.

Omnia possum in eo, qui me confortat Hierem. 1. *Non præualebunt aduersum te, quia ego tecum sum.* Hanc Dei societatem habent iuuenes, qui sunt fortes ad resistendum. Iacob. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*, sicut telum percutiẽs rem solidam & duram, resilit: mollem vero penetrat, sic etiam diabolus: Verum iuuenes gladium verbi Dei manu gestare debent. 1. Machab. 4. Protegebat castra gladio suo. 1. Ioan. 2. *Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.* 1. Ioã. 2. 14.

Tertiò, ostenditur in themate, prosperam fortunam nostram Deo esse offerendam, propterea dicit, *Antequam veniat tempus afflictionis*: Quia gratius est Deo seruire & memorẽ esse diuinorum beneficiorum, quando bene est nobis: Nam quod ex amore fit, voluntarium & spontaneum magis esse videtur, quã quod ex afflictione & aduersitate. Eccl. 32. *Grandinem præibit coruscatio*, quia debet homo coruscare virtutibus, & clarescere coram Deo, antequam veniat grando periculi & infortunij: Vel ante tempus afflictionis, id est, ante tempus senectutis, quia (inquit Horatius) multa senem circumueniunt incommoda. Nam sicut dicit Gregor. Homelia quadam super Ezechielem statura curuatur, ceruix exaltata deprimititur, frequentibus suspiriis pectus vrgetur, virtus deficit, loquentis verba anhelitus intercidit: Et si languor deficit senibus, ipsa salus ægritu-

Ecclesiast. 12. 1.

Eccl. 32. 14.

do est: post senectutem sequitur afflictio
Ezech. 7. 5. mortis. Ezech. 7. *Afflictio tua*, sup. senectutis afflictio, ecce venit, sup. mortis. Sed si ante tale tempus homo fuerit memor Dei, vt abstineat à peccatis, multaque bona opera agat, ad pacem perueniet sempiternam. Sap. *Æstimata est afflictio exitus illorum, & quod à nobis est iter exterminii, illi autem sunt in pace.* Ad quam nos perducat qui sine fine viuit & regnat. Amen.

IN FVNERE ALICVIVS SENIS.

THEMA.

Genes. 25. 8.

Mortuus est in senectute prouectaque ætatis, & plenus dierum. Genes. 25.

Prudentia.

QVi prudentia sunt præditi rerum humanarum exitum respicere solent. Hinc Boetius ait, res exitu metiri: in mercatione, non tam habetur ratio emptionis & venditionis, quam lucri, idcòque si multum lucretur mercator, bona est mercatura. In agricultura, intenditur messis potissimũ, in medicina sanitas. Sic in vita hominis, non tam habenda est ratio natiuitatis, aut nutrimenti vel fortunarum quàm mortis, hoc est, qualiter moriatur homo. In ea enim vis to-

ta ſalutis vel damnationis eſt poſita. Veruntamen opinione vulgi bene mori dicuntur, qui in proſperitate decedunt & ætate prouecta, ſicut refert Thema propoſitũ de Abrahamo. In quo duo deſcribuntur.

Primum eſt, corruptio generalis.

Secundum eſt, conditio ſpecialis.

Quia mors eſt communis omnibus, nulli parcit homini, nec ſexui: Ideoque aſſimilatur animali quod yena appellatur, cuius eſt variare ſexum: Eadem enim aliquando maſculus, aliquando fœmina reperitur. Dicitur vero habere collum viperæ, dorſum elephãtis: vocem hominum ſignificat, in quantitate vero & voracitate, repræſentat lupum, & in pillis colli, equum. Eſt ſimilis igitur mors yenæ, quantum ad ſexus varietatem, quia aliquando maſculos, aliquando fœminas è medio tollit, nulli ſexui parcens: Similitudinem etiam habet cũ vipera propter inopinatam moriendi celeritatem, ſicut accidit viperæ, cuius filii, adueniente tempore pariendi, non expectant naturæ operationem, ſed latera matris rodunt, ſicque cum eius interitu exeunt: Eodem modo multi ante tempus ſenectutis vel mortis naturalis, caſu vel violenta cæde diſrumpuntur. Elephanti vero mors aſſimilatur, propter generoſitatem, elephas enim eſt animal aptum ad bellum: Atqui pugna mortis eſt maxima, cum ſit naturæ, quæ per eam diſſoluitur, & etiam animæ, de domo propria & naturali exeuntis. In morte eſt aliud certamen,

Mors yena ſimilis viperæ & elephantis.

Conscientiæ certamen in morte. conscientiæ videlicet, dum supra se iratum iudicem perspicit, intra se peccatorum remorsum, & subse infernum præparatum, & iuxta se aduersarium ferocem & truculentũ.

Eccl. 9. 12. Vocem autem hominis signat propter fallacitatem: fallit enim hominem incertitudo, *quia nescit homo finem suum.* Eccl. 9. Lupo cõparatur ob voracitatem, omnes enim deuorat mors, & nusquam satiatur.

Collum autem habet equi, quia imponit frœnum & terminum malitiæ humanæ, non ampliùs enim mala perpetrare homines possunt, cum peccata eos dimittant. Ioan. 8. *In peccato vestro moriemini.* *Ioan. 8. 21.*

Genes. 25. 8. Secundò describitur conditio spiritualis, *quia in senectute bona,* &c. Non enim omnes homines ad senilem ætatem perueniunt, quia plures moriuntur in iuuentute, quàm in senectute, sicut plures occiduntur agni, quam pecudes: & ita citò frangitur vas nouum, vt antiquum, & facilius scinditur arbor iuuenis, quàm antiqua: Commendatur tamẽ in proposita auctoritate antiquitas ætatis ex tribus. *Senectutis cõmendatio.* Primò ex sensuum integritate: Secundò ex temporum longitudine: Tertiò ex virtutum operatione.

Senectus bona. Circa primum: dicitur senectus bona, quando sensus non tollit, nec memoriam minuit: Præterea si vita præterita fuerit virtuti consentiens: Nam triplici de causa aliquid dicitur bonum: aut quia venerabile vt virtus, aut quia delectabile, velut cibus, *Bonum venerabile delectabile, vtile.*

Aut:

Aut quia vtile, ſicut medicina nummus: Senectutem reddit venerabilem vita honeſta præterita. Sap. 4. *Senectus venerabilis eſt non diuturna, neque numero annorum computata, cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata:* Fit etiam delectabilis ſenectus vita bona, vbi animaduerte malum eſſe delectabile in fieri, & flebile in facto eſſe: Afficiuntur enim deprauati homines triſtitia & pœnitudine, malo perpetrato. E' contrario bonum in fieri, eſt difficile, ſed delectabile in facto eſſe: vnde finis improborum eſt, agere, bonorum, egiſſe. Ideoque ſenex qui bonam & honeſtam duxit vitam, dum bonorum præteritorum recordatur, plurimum delectatur. *Sap. 4. 8.*

Item præterita vita honeſta & bona, ſenectutem vtilem efficit, & quantò diuturnior tantò fructuoſior, ſicut palma, quantò annoſior. Iob. 29. *Sicut palma multiplicabo dies.* Ergo qui bonus moritur plenus dierum, diues eſt, honore & gloria dignus. *Iob. 29. 18.*

Memoria etiam bonam ſenectutem efficit, ſecundum Philoſophum, iuuenes viuunt ſpei, ſenes autem memoriæ. Hinc ſenes ex bona memoria, præſtantiori iudicio & conſilio præditi dicuntur, propter experientiam, quæ ex multis memoriis fieri ſolet, ait Philoſophus. 2. Paral. 10. Reprehenſibilis oſtenditur Roboam, qui dereliquit conſiliũ ſenum, & ſecundum B. Gregorium *ſenes habent dulce colloquium*: Et in dialogo, ſenum lo- *2. Paral. 10.*

cutio (inquit) semper mihi dulcis & amabi-
Eccl.8.11. lis fuit. Hinc Eccles. 8. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis, & quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum.*

Postremo bona natura senectutem bonã reddit, hoc est bonum naturæ temperamẽtum, sicut de Beato Augustino scriptum legimus, qui in senectute sua, erat integro aspectu atque auditu, & membris omnibus suis incolumis. Idipsum affirmat de Moyse
Deut.34.7. scriptura, Deutero. 34. *Moyses erat centum viginti annorum, quando mortuus est, & non caligauit oculus eius, & dentes illius non sunt moti*: Si etiam senectus animum non deijciat per pusillanimitatem laudanda est sicut habetur de Caleph. Ios. 14. *Quadraginta enim sunt anni, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysem,*
Ios.14.10. *quando ambulabat Israel per solitudinem hodie 85. annorum sum sic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum*: Illius in me temporis fortitudo perseuerat tam ad bellandum, *quàm ad gradiendum.* Sed quia in pluribus senibus vires deficiunt, orabat ipse Dauid Psal. 70. dicens, *Ne proijcias me*
Psal.70.10 *in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Secundò, commendatur antiquitas, ex temporum diuturnitate, quia prouectæ ætatis. Prouecta enim ætas, est vltima ætas, ita appellata, quia procul vecta, erat enim Abraham, de quo ad literam hæc verba dicuntur, centum septuaginta quinque annorum: Va-

riantur enim ætates hominis, ex lunæ varietate. Luna enim quadrupliciter variatur: Primò intenditur quousque sit media, estque tunc calida & humida in effectu: Atqua hæc significat hominis puerilem ætatē quæ numeratur vsque ad vigesimum primum annū. Secundò, luna à media vsque ad pleniluniū est calida & sicca: Estque virilis ætas: quia adhuc in ea, nec humidum, nec calor deficit, sed substantia & virtus integra manet, licet augendi facultas nihil agat, & hæc ætas durat vsque ad 35. annum vel 40. si fuerit homo boni temperamenti & fortis.

Ætatum hominis diuersitas.

Luna varietas.

Ætas puerilis.

Ætas virilis.

Tertiò, luna cadens à plenilunio, quousque efficiatur dimidia est frigida & sicca, notatque senilem ætatem, in qua virtus minuitur, euaporante humido, & calido expirante: Huic ætati tribuuntur quatuor: primum constantia senibus, quia sicca & frigida optimè retinent: Secundum apprehensio fortis propter defectum calidi, rationis operationes commiscentis: Tertium est sapientia, propter multorum experientiam & astutiam, quæ ex sicco & frigido roboratur: Quartum cessatio à iocis & rebus venereis, propter immobilitatē frigidi abscindētis motū, & sicci, quod extra se nō facilè mouetur.

Ætas senilis.

Quartò, luna à medio vsque ad nouiluniū est frigida & humida, estque decrepita ætas, in quā fit diminutio tā substantiæ quā virtutis, eaque ad finē vsque vitæ durat: Mors igitur nihil prodest ætati alios enim in iuuētute

Sap. 4. 11. rapit, ne mundi malitia eos corrumpat. Sap. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectū eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quosdam aliquādo in virili mors è medio tollit, vt in melius commutentur. 1. Cor. 13. *Cum autem factus sum vir euacuaui quæ erant paruuli.* Quosdam mors ad senectutem & senium vsque relinquit, sicut quidam fructus vsque ad plenam maturitatem ex arboribus non capiuntur, quo sapidiores, meliores & suauiores colligantur, sicut de Iosue dicitur. cap. 13. *Quia Iosue senex prouectaque ætatis erat,* Et tunc gratior in conuersatione, & sapientior in operatione, & melior in regiminis prouisione fuit.

1. Cor. 13. 11.

Ios. 13. 1.

Quartò, commendatur homo antiquæ ætatis in themate ex virtutum actionibus, cum ait, *plenus dierum.* Plenus enim dierum dici potest, qui dies suos & tempus in bonis operationibus consumpsit, quia licet tempus præterierit, non tamen laus & meritum. De his Psal. 72. *Dies pleni inueniuntur in eis*, sicut dies autumnales fructibus abundantes. E contrario qui dies suos & tempus male consumunt, & in otio, dicuntur, dies vacuos habere, sup. à mercede. Iob. 7. *Habui dies vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.* Boni equidem bene operando, plurimùm laborant, non tamen à mercede retributionis æternæ vacui manent. Ad quam nos ducat Deus Opt. Max. Christus Iesus. Amen.

Gen. 25. 8.

Psal. 72. 10.

Iob. 7. 3.

IN FVNERE ALICVIVS PVELLÆ.

THEMA.

Non est mortua puella, sed dormit. Matth. 9. Matth. 9. 24.

DVo fuerunt de homine antiquorum errores periculosissimi. Primus eorum, qui animam simul cum corpore interire & resolui dixerunt: Qua in re similes bestijs seipsos fecerunt, dicentes illud, Eccl. 3. *Vnus est interitus hominis & iumentorum, & aqua vtriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, similiter spirant omnia, & nihil habet homo iumentis amplius.* Vnde de eis ait Dauid, Psal. 48. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis, & similis factus est illis.* Ecclesiast. 3. 19. Psal. 48. 21. Resurrectio.

Secundus error fuit, posita animæ immortalitate, impossibilem esse corporum resurrectionem asseruerunt, naturæ ordinē tantùm spectantes, iuxta quam est omnino impossibile, vt fiat regressus à priuatione, ad habitum vitæ. Verum hoc, quam Dei omnipotentiæ sit facile, non animaduerterunt: Hinc Iob. 19. *Scio* (inquit) *quod redemptor*

meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus ego ipse, & non alius; &c. Quos errores Dominus noster Iesus Christus refutare volens, Puellam mortuam excitauit, sicut in Themate asseritur. *Non est mortua puella*, &c. sup. in anima sed dormit, sup. in spe resurrectionis, quia sicut possibile est hominis excitare dormientem, ita facile est Deo, resuscitare morientem.

In quibus quidem verbis in Themate propositis, tria circa defunctam ostendit.

Primò animæ immortalitatem.

Secundò, obitus celeritatem.

Tertiò defectus reparationem.

Notandum est arborem in stipite mortuam & siccam apparere, virtutem tamen in radice, quæ non patet, remanere: Hinc pullulatio arboris nouæ, si succidatur: Ita mortuo corpore remanet anima, quæ est radix vitæ, quæque virtute diuina corpori reunitur iuxta illud ad Phil. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, &c. Tuncque pullulabit nouus homo, idem tamen numero, propter identitatem animæ & materiæ corporalis. Ideoque hominis spiritus dicere illud poterit, Psal. 117. *Non moriar, sed viuam*. In quibus quidem verbis duo facit. Primò remouet à se priuationis malitiam. Secundò asserit perfectionis immobilitatem.

Similitudo.

Ad Phil. 3. 21.

Ps. 117. 17

Attēde, quòd licet homo non possit mortem euadere, Psal. 88. *Quis est homo, qui non videbit mortem*, q. d. nullus: Secundum animam tamen mortem communem euadere potest, scilicet, naturæ, culpæ, & gehennæ: Mortem naturæ, quia corrupto corpore, non corrumpitur anima: est enim substantia intellectualis & spiritualis: habent enim (inquit Beatus Dionysius) intellectuales substantiæ, indeficientiam ab omni materia, ideòque in morte separantur à corpore, sicut perpetuum à corruptibili. Experientia enim hæc veritas aliquando comprobata est. Nam Frater quidam ordinis Prædicatorum mortuus, antequam corpus eius sepulturæ mandaretur, forma visibili apparuit fratri cuidam amico circa vesperam: Quem cum ante se stantem vidisset, lætitia affectus, dixit: Audiueram te grauissimo morbo laborantem: Sed Deus sit benedictus quod conualueris: Cui respondens defunctus, dixit: Verè mortuus ego sum, fratres enim circa corpus meum Psalmos decantant, & orationes pro me fundunt. Quo audito ille aliquantulum perterritus, assumpta tamen fiducia eum interrogauit, & dixit: Velim placeat tibi de tribus à me propositis mihi respondeas. Primum quid sentiat anima in separatione animæ à corpore: Secundum, an anima egressa à corpore, quam primum diuino assistat iudicio. Tertium, declares, quid de te iudicatum sit. Defunctus ad singula res-

Mors animæ *Psal. 88. 47.*

Animæ immortalitas.

Apparitio eiusdem fratris defuncti

Interrogationes, tres defuncto propositæ.

pōdens hæc ait. Ad primum respōdeo, Ergo proximus morti, cœpi imaginari & mihi persuadere animã meã simul cũ corpore interiturã: Sed Angelo Dei mihi suadente contrariũ, apud me dixi, vbinam est fides, quam vsque ad hanc horam semper professus sum, & tenui certam & inuiolatam? Itaque hac fidei confessione confirmatus, animam meã à corpore separatam & consistentem maxima cum lætitia animaduerti. Ad secundum, quod ex me quæris respondeo, animæ separatæ à corpore immensum lumen effulsisse quo diuinæ maiestatis præsentiam intellexi: virtute cuius, quæcunque egeram siue merita siue demerita, tanquam ob oculos posita, perspexi, quoque præmio dignus essem cognoui. Ad tertium dico me purgatorij pœnis adiudicatum ad tempus, ob mearũ actionum quosdam defectus: Ideoque fuit mihi à Deo concessum, vt tibi apparerem, atque suffragia & orationes ad abbreuiandas pœnas, à te postularem: Quod ex charitate piè & fidenter deposco. Quibus finitis, disparuit. Ille vero amicus maximo gaudio affectus, & tam de immortalite animæ, quã de statu alterius vitæ, deque defuncti salute certissimus factus, pro anima illius deuotissimas orationes apud Deum obtulit: Verissimum tunc apparuit illud quod dicitur, Matth. 2. *Quod non est Deus mortuorum, sed viuorum.* Potest & secundò anima euadere mortẽ culpę, quã incurrit ex amissione gratię

Matth. 22. 32.

Iacob. 1. *Peccatum cum consummatum fuerit.* sup. per consensum *generat mortem,* si per innocentiam quis seruauerit, vel per pœnitentiam se emendauerit. Ezech. 33. *Si dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam vita viuet & non morietur.* Euadere etiam poterit mortem gehennæ, viuendo & perseuerando in gratia, vsque ad vitæ exitum. Ioan. 11. *Omnis qui viuit,* Sup. vita gratiæ & credit in me non morietur in æternum.

Ezech. 33 14

Ioan. 11 26.

Secundò notatur permanentia perfectionis: Perfectio enim viuentis est ipsum viuere, & ideo dicit, *& viuam.* Scilicet, vita immortali secundum animæ naturam, gratiæ etiam & gloriæ: hanc precabatur Psalmista Psal. 118, *Da mihi intellectum & viuam.*

Psal. 117. 17.

Secundò, in themate assumpto, tãgit Dominus obitus celeritatem, quia scilicet adhuc puella erat de qua priùs dixerat, *filia mea modò defuncta est*, & ita accelerata erat ei mors, non expectans eius senectutem: Erat enim puellaris ætatis, vt hæc nostra defũcta, & fortassis danda sponso carnali, quæ vocata est tamen ad aliũ sponsum Christum videlicet, cui gratia erit, si habuerit, id quod nomine puellæ significatur. Est enim puella (inquit Isidorus) quasi pura sicut pupilla. Vnde beatam dicemus puellam, quæ ad Christum, pergit per humilitatem: Integram per virginitatem: honestam, per pudicitiam: puram per seueritatis munditiam. Vel quæ parua

Matth. 9. 29.

Puella, vnde dicitur.

est in sui æstimatione, integra sine carnis corruptione, honesta in moribus, pura in operibus. Talis debet esse omnis anima, quæ per mortem ad Christum sponsum procedit, vt tandem in gloria illum contempletur. Quod
Act.12.13. figuratur Actorum 12. Vbi dicitur quod *processit puella ad videndum.* Vbi de anima quæ egreditur bene disposita, sub figura puellæ describuntur tria.

Primum est mortis profectus.

Secundum est morientis virtus.

Tertium est fœlicitatis intuitus.

Circa primũ, dico animam sanctam & purã hinc egredi debere, cum ad sponsum cœlesté eodem momẽto ducatur, choris & laudibus Angelorum comitata. Huius figuram habe-
Iudic.21 21. mus Iudic. 21. In filiabus Sylo, de quibus dicitur. *Cum videritis filias Sylo,* id est animas sãctas de corpore translatas ad *ducendum choros ex more procedere.* Quæ quidem processio perfectiùs multò fiet in die iudicij, quando sicut
Ioan.5.26. dicitur Ioan.5. *Procedẽt qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala in resurrectionem iudicij*, i. damnationis. Sicque duplex erit processio: vna bonorum, alia malorum, vna ad vitam, altera ad morté æternã.

Secundò, describitur virtus & ornatus conueniens & proprius animæ morientis puellæ: Quæ ex temperamento calida est & humida. Dispositio igitur illius debet esse calida per dilectionem, & humida per deuotionem, ita vt lachrymis & deuotione

abundet, in quas præcipuè resoluitur persona deuota audiendo & meditando Verba diuina. Vnde Cantic.5. puella i. anima deuota dicit. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est*, &c. Nam in liquefactione animæ notatur calor dilectionis resoluens, & humor deuotionis decurrens. Cant.5.6.

Item puellæ secundum corporis diposi- tionem sunt tenellæ, graciles, flexibiles & pulchræ. Ita anima sit tenella per beneuolentiam necesse est, gracilis per abstinentiam, flexibilis per obedientiam, & pulchra per munditiam. Figura huius habetur 3. Reg. 1. 3.Reg.1. 4.
Vbi dicitur de Abisag Sunamite. Erat autem puella pulchra nimis, quia non erat sordida id est peccatis fœdata. De hac Leuit.21. *Sordidam & repudiatam non accipies, sed puellam de populo meo.* Tales sunt animæ, quæ venduntur diabolo pro vino delectationis peccati Leuit.21. 14.
Ioel.3. *Puellam vendiderunt pro vino vt biberent.* Ioel.3.3.
Hæ animæ è corpore egressæ in carcerem inferni detruduntur 4. Reg.5. *Captiuas duxerunt puellas.* Sup. Latrunculi Syriæ dæmones. Eas repudiat sponsus cœlestis, sed pulchras amplectitur mente & corpore Hest.2. 4.Reg.5.2. Hester.2 3.
Quærantur Regi puellæ virgines & speciosæ. Virgines per continentiam carnis, & speciosæ per mūditiā mētis. Talis figuratur in Rebecca, de qua Gen.24. *Erat autem Rebecca puella decora nimis viroque pulcherrima.* Gen.24 16.

Tertiò notatur in auctoritate adducta fœlicitatis intuitus, quia processit ad vi- Fœlicitas.

dendum Christum sponsum suum, quem in
Exo.33.20. vita hac videre non poterat, Exo.33. *Non videbit me homo & vivet*: In qua visione est tota
1.Ioan.3.2. merces. 1. Ioan. 3. *Similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* Ibi erit perfecta quies & pax animæ. De hac ait D. Gregor. in moralibus. Cum peruenerimus ad te fontem, vitæ, & dulcissimam speciem, erit nobis ex visione tua inserta sitis, simulque satietas: Sed longe aberit à siti satietas, & à satietate fastidium, quia sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.

Math. 9. Tertiò in themate assumpto, ostendit hominis defectum per resurrectionem reparandam, sicut ille qui dormit euigilari potest per excitationem: Nunquid qui dormit, non
Mors beatorum somnus. adijciet vt resurgat? Porro mors beatorum assimilatur somno siue dormitioni propter quietis suauitatem, quia nullius laboris dormiens meminit, sed suauiter requiescit. Ita probi per mortis somnum à laboribus re-
Apoc. 14.13. quiem capiunt. Apoc. 14. *Beati mortui qui*
Psal. 4 9. *in Domino moriuntur*, &c. Et Psal. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Secundò, propter dormientis securitatem, nam qui dormit nullius aduersarij potētiam pertimescit. Item iusti neminem aduersarium à morte reformidant, quia æternæ fœlicitatis fiducia
Leuit. 29. 6. perfruuntur. Leuit. 26. *Dormietis & non erit qui exterreat.* In hoc tamen distat securitas iustorum à securitate dormientium, quia hæc est ex insensibilitate, illa vero est à libertate. De qua Psal. 123. 7. *Laqueus contritus est,*

& nos liberati sumus: Vnde Ioan.11. *Si dormit saluus erit.* Ioan.11.12.

Tertiò propter figuræ dormientis mutabilitatem, quia extra videtur mortuus qui maximè intus viuit. Et sic isti cum videantur mortui secundum carnem, tunc vera vita viuunt. Ideoque dicitur in persona iusti mortui, Cantic. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, Cant.5.2. id est, mens mea est in contemplatione æternæ veritatis & fœlicitatis. Ad quam nos perducat Christus Dei filius. Amen.

IN FVNERE MVLIERIS NOBILIS ET PVLCHRÆ.

THEMA.

Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni.
1. Petri. 1. 1.Petri.1. 24.

FERVNT Pauonem extensis alis seipsum suamque contemplatus pulchritudinem extolli atque gloriari: Inclinato vero capite, pedum suorum turpitudinem aspiciens deiici & humiliari. Sic mulier pulchra & nobilis, Similitudo. dum de nobilitate & pulchritudine sua cogitat, superbia effertur & insolescit: Verum si inclinaret caput & intenderet mentẽ ad pedum vilitatem, hoc est corporis in ver-

vermes resolutionem, multū humiliaretur, & seipsum despiceret, quia gloria & flos carnis citò deficit. Ideòque dicitur. *Omnis caro fœnum*, &c. In quibus verbis vanitas gloriæ temporalis describitur ex tribus.

Gloria vana.

Primò, ex infirmitate generali.
Secundò, ex corruptione naturali.
Tertiò, ex facilitate instabili.

Hic notanda est differentia, quæ est maxima inter mulieres sanctas & vanas. Illæ gloriantur de animi pulchritudine, & virtutum ornamentis internis. Psal. 44. *Omnis gloria eius filiæ regis, ab intus in fimbriis aureis circūamicta varietatibus.* Hæ vero extolluntur tantū de iis quæ ad carnē spectāt, & corpus ornāt, vt est ornatus vestimentorū, corporis pulchritudo maritorum honores & dignitates, &c. Ratio huius discriminis est, quod hæ magis mūdo placere studeant, quàm Deo. E' contrario sanctæ & piæ mulieres Deo tantum satisfacere omni studio & diligentia contendunt, quod fieri non posse sciunt, his eiusmodi vanissimis rebus. Rom. 8. *Qui autem in carne sunt Deo placere non possunt.* Quia igitur res honestas acceptas & gratas Deo non ignorant, illis maxime delectantur. Quæ enim mundo sunt contemptibilia Deus eligit 1. Cor. 1. *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: Et ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt*

Mulieres sanctæ. *Psal. 44. 15.* Rom. 8. 8. 1. Cor. 1. 28.

non glorietur omnis caro. In quibus quidem verbis Apoſtolus mundi gloriam repellendam oſtendit quoad quinque.

Primò quidem docet, cur non ſit gloriandum de fortitudinis firmitate.
Secundò, cur non ſit gloriandum de originis nobilitate.
Tertiò, de diuitiarum abundantia.
Quartò, de famæ claritate.
Quintò de pulchritudinis celebritate.

De primo nemo ſeſe extollere debet & gloriari propter robur corporis, quia *infirma mundi elegit Deus*. Ratio in promptu eſt, quia nonnunquam ſanitas carnis cauſat infirtatem mentis, & fortitudo corporis parit debilitatem ſpiritus. Nonnulli ſunt fructus exteriorem corticem durum habentes, in interiori vero medullam mollem & teneram, ſicut nuces & ſimil. Ita multi robuſto ſunt corpore, ſed animo debili & infirmo. Vt Saul qui corpore fortis erat, & anima debilis, quia à carnis voluptate facilè vincebatur. E contrario quorundam fructuum exteriora ſunt debilia & mollia, interiora firma & cōſiſtentia vt ceraſa & pruna. Sic quidam fortem & promptum animum habēt, corpus vero infirmū & paſſibile, de ſe ait. Apoſtolus 2. Cor. 12. *Cum infirmor*, Sup. corpore, *tunc fortior ſum & potens*. Sup. ſpiritu. Et hoc, quia à peccato omnis ani-

Gloria ex corpore multa.

2. Cor. 12. 9.

mæ debilitas & infirmitas generatur, à qua sæpissimè præseruatur, corporis debilitate & ægritudine, vt cum per easdem corporis tentationes & malæ mentis dispositiones à peccato remouentur. Ex his igitur satis perspicuum est corporis afflictiones, fortitudinem mentis aliquando gignere 2.Cor.12. *Virtus in infirmitate perficitur.* Id etiam accidit quod dicitur Matth. 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma est,* scil. ad faciendum bonū & ad tolerandum malum.

2.Cor.12.9.
Matth.26.41.

Secundò, non est gloriandum de originis nobilitate, quia *ignobilia elegit Deus,* quasi nobilitatem carnis nihil faciens. Hinc frequentiùs ignobiles meliores & sanctiores nobilibus videmus: Eo quod nobilitas ipsa eis ambitionis & superbiæ ansam & occasionem præbeat, vnde vt plurimum nobiles à suæ nobilitatis origine degenerant: Nobilitas (inquit Philosophus,) cupidum honoris reddit hominem: Quem inuidia sequitur plerunque, si ad aliquam dignitatem deuehatur. Hinc etiā schismata & scādala emergunt, vt honores assequantur ambitiosi, vt in Catilina fit manifestum teste Salustio.

Nobilitas. causa peccatorum.

Tertiò, ostendit non esse gloriandum ob diuitiarum copiam, *quia contemptibilia elegit Deus,* scilicet paupertatem & mendicitatem, frequenter ideo sunt pauperes boni, & diuites improbi. Hinc D. Augustinus, *Omnes diues* aut iniquus *aut hæres iniqui.* Incitat etiam ad

ad multa peccata opum abundantia, ex eodem August.

Primo diuites sunt contumeliosi & superbientes, quandoquidem ex diuitiarum possessione, omnia bona possidere sibi persuadent, ideo omnibus antecellere summa animi contentione nituntur, ergo superbi. Inde etiam sequuntur contumeliæ & iniuriæ, vt videantur cæteris præstare.

Sunt præterea iactabũdi & deliciosi, vt eorum fœlicitas quam sibi acquisitam habere putant, omnibus sit nota & perspecta: maxime verò eorum iactantiam auget, cum sapientes, literatos, & probos viros diuitiis quib⁹ affluũt, indigere vidẽt. Hinc Symonides refert de vxore Geronis, quæ interrogata, melius ne esset diuitem an sapientem, fieri: Respondit diuitem, quia inopiæ causa ad diuites confugere eorumque ianuas frequẽtare, plerunque sapientes coguntur.

Sunt etiam diuites superbi & ambitiosi, dignos enim principatu & imperio sese existimant. Igitur non fœlices, sed insipientis & insensati sunt mores diuites. Possunt nihilominus conferre ad beatitudinem acquirendam, si ab habente prudentiam dirigantur. Diues ergo non virtute præditus, est fœlix, quia id habet quo fœlicitatem facilius assequi potest: Est insanus, quatenus diuitias ad Deum & summum bonum non refert nec dirigit. Pauperes ergo mũdo sunt

contemptibiles. Eccl. *Sapientia pauperis contempta est.* Sunt tamen Deo chariores, quia sæpissimè diuitiis spiritualibus abundant.
Iacob. 2. 5. Iacob. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se.*

Quartò ostenditur non esse gloriandum propter famæ existimationem, *quia Deus elegit ea, quæ non sunt.* Sup. in fama vel nominis celebritate, vt destruat ea quæ sunt, in prætio & fama apud homines. Vnde D. Paul.
Rom. 4. 17. Rom. 4. *Vocauit ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.*

Quintò docetur nec de corporis pulchritudine esse gloriandum cum dicitur. *Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Licet enim mulieres pulchræ hominibus gloriosæ appareant, Deo tamen videntur ignominiosæ. Homines enim vident tantùm quæ foris sunt, Deus autem intuetur cor: multi namque sunt similes sepulchris dealbatis, quæ hominibus deforis speciosa apparent, intus vero sunt plena fœtoribus, vermibus & suppliciis. 1. Machab. *Gloria eius stercus, & vermis.* Stercus ratione contenti in corpore, vermis, propter id, in quod corpus resoluitur. Subditur, *hodie extollitur, & cras non inuenietur, quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius peribit.*

Pulchritudo.

1 Mach. 2. 62.

Gloria mūdi.

Secundò describitur in themate assumpto vanitas gloriæ temporalis, ex corruptibilitate naturali, quia caro corruptibilis est,

1. Pet. 3. 24.

vt fœnum. Caro aſſimilatur fœno triplici de causa. Primò propter mutabilitatem naturæ. Nam fœnum naſcendo habet virorem, creſcendo decorem, & vltimò florem: ſed tandem deſiccatum, ſolis ardore redigitur in pulverem. *Caro fœno ſimilis.*

Item fœnum præciſum & ſiccum nutrimento eſt animalium deputatum. Pſal. 103. 15. *Producens fœnum iumentis.* Sic etiam humana caro naſcendo habet virorem vitæ. Pſal. 91. *Cum exorti fuerint peccatores ſicut fœnum*: Dicit peccatores, eo quod naſcamur in peccato originali: Creſcendo habet humana caro decorem formæ, & poſt augmentum aliquod, fortunæ & temporalis gloriæ. Pſal. 71. *Florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ,* ſed poſt, fœnum hoc ſolis ardore exſiccatur, id eſt fermenti infirmitate vel tribulatione exinanitur, & in pulverem tandem redigitur, Eſa. 40. *Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit.* Item corpus humanum per mortem præciſum, & tribulationibus deſiccatum, efficitur in ſepulchro nutrimentum animalium, id eſt, eſca vermium Pſal. 104. Comedit omne fœnum terræ eorum. Hinc verſus quidam. *Pſal. 91. 7.* *Pſal. 71 16.* *Eſa. 40. 7.* *Homo fœnum.*

Poſt hominem vermis, poſt vermem fœtor & horror.
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Et Diuus Bernardus inquit ſuper Cant. Cur carnem tuam precioſis rebus imping-

uas & adornas, quam post paucos dies carnes deuoraturi sunt in sepulchro, & animam tuam bonis operibus non adornas, quæ etiã Deo & Angelis præsentanda est in iudicio. Cur ergo animam tuam vilipendis, & ei carnem præponis: Dominam ancillari, & ancillam dominari magnus est abusus.

Secundò caro assimilatur fœno, propter fortunæ diuersitatem. Quandiu enim fœnũ viret & frondet montes & prata vestit & ornat: & sua venustate intuentium oculos reficit & delectat, sed feruente sole consumitur, & herba quæ ridere videbatur pabulũ ignis efficitur. Sic fortuna hominis, corporis incolumitati & venustati coniuncta, virescit. Frõdet cum diuitiarum abundantia & consanguineorum atque amicorum multitudine comitata. Montes vestit cum honorum & dignitatum sublimitate: Prata vestit cũ famę dilatione & claritate. Talem ergo fortunæ venustatem omnes admirãtur, in eius intuitu amici reficiuntur & delectantur: sed feruente sole hoc est, persecutione accedente aut infirmitate, vigor consumitur, sua gloria priuatur pabulumque ignis seu gehennæ in-
Iacob. 1. 11. fernalis efficitur. Hinc Iacob. 1. *Exortus est sol cum ardore & arescit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit.*

Tertio, caro assimilatur fœno propter cõcupiscentiam, nam sicut fœnum iuxta ignem facile inflammatur, ita caro iuxta mulierem. Vnde D. Bernard. Cũ muliere semper esse, &

eam non cognoscere maius est, quam mortuos suscitare. Et si quid minus est non credā, quomodo quod maius est credā? Apocal. 8. *Omne fœnũ viride cōbustum est*, id est, Omnis voluptas carnis igne cōcupiscētiæ inflāmata. *Apoc. 8. 7.*

Tertiò in proposito themate describitur vanitas gloriæ temporalis, ex prosperitatis inconstantia & instabilitate, quia omnis gloria eius quasi flos fœni: flos prosperitatē huius vitæ significat: Nam austro flores dissoluuntur Australis autem ventus infirmitatis feruorē signat, quę gloriam retundit. Iob 14. *Quasi flos egreditur & conteritur.* Flores dū humore modico nutriūtur, subito solis ardorē desiccātur, omnisq; eorū pulchritudo deletur, simile in corporibus nostris accidit. Flores vento boreali diuelluntur, sic morte corpora nostra dissoluuntur: flores dicūtur fluores, quia citò defluunt, & ad materiam primam redeunt. Sic hominum vita cita defluit, & in terram redit. Psalm. 102. *Homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri sic efflorebit, quoniam spiritus pertransibit in illo, &c.* Ergo non est gloriandum nisi spiritu hoc, est testimonio bonæ conscientiæ. Iuxta illud 2. ad Corinth. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*: quo scilicet securi ad gloriā beatitudinis æternæ perueniemus. Ad quā nos perducat Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

Iob. 14. 2.

Psal. 102. 14.

Conscientia bona.

2. Cor. 1. 12.

IN FVNERE ALICVIVS MVLIERIS SANCTÆ.

THEMA.

Factus sum coram eo, quasi pacem reperiens. Cant. 8.

Cant. 8. 10.

Pax plena in hac vita esse non potest.

NEMO in hac vita plena quiete & pace fruitur, quia hominis appetitus hic nec satiari, nec repleri potest: Tum verò quiescet, quando nihil amplius expetet, sed hoc erit in futuro seculo, quando Deo continente omnia bona fruemur, & beati erimus: Est enim beatitudo (inquit Boetius) status omnium bonorum aggregatione perfectus. Sancta igitur mulier quæ ex hoc mundo ad vitam sempiternam transit, verè potest dicere illud, quod in themate: *Facta sum coram ex eo*, &c. In quibus quidem verbis ostendit sapiens, mulierem sanctam post mortem, tria bonam assecutam.

Beatitudo.

Primò, firma stabilitatem.

Secundò, honorificam sublimitatem,

Tertiò, quietam esse tranquilitatem.

Circa primum, firma ostenditur stabilitas illis verbis, *facta sum*: Quod enim factum est iam non est in fieri, sed quiescit: Quod autem est in fieri, dicitur esse in motu, quousque perficiatur, est enim (iuxta Aristotelem) motus actus imperfectus. Ideoque quia anima nostra nondũ suam omnem perfectionẽ ob-

Vita hæc mutabilis.

tinet, tota vita nostra motui & varietati subiecta est. Iob. 14. *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis.* Et post. *Fugit velut vmbra, &c.* Vnde D. August. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrũ donec requiescat in te.* Quantũ homo sit mutationi obnoxius, tria ostendunt: tẽpus, corpus, & opus. Tempus variatur multis modis, ex vere in æstatem, ex æstate in autumnum, ex autumno in hyemem, & ex hyeme in ver: Nũc est nubilum tempus, modo serenũ: Corpus idem perpetuò mutatur, modò sanum est, modò infirmum, modo augetur, deinde minuitur, &c. Item in homine est varietas operum ex voluntatis mutabilitate: nũc vnũ eligit, modò aliud, &c. Totum hoc contingit, quia, hominis voluntas omnem perfectionẽ nõ est adepta, quod fiet postquã anima vltimo fini coniũcta fuerit, hoc est visione diuinæ essentiæ fruetur in vita futura. Tũc enim aberit omnis animæ immutabilitas, ita dicere poterit, illud Genes. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea.*

Iob. 14. 1.

Homo mutabilis.

Mutabilitas in homine.

Gen. 32. 30.

In quibus verbis de statu æternæ beatitudinis duo describuntur. Primum est beatitudinis essentia, quia beatitudo essentialiter cõsistit in visione diuinæ essentiæ, quæ dicitur visio faciei, & de hoc dicit, *vidi Dominũ facie ad faciem.* Ibi enim facies, Dei, quę est diuina essentia vnitur animæ, id est, menti, vt scilicet, Dei facies, id est, ipsa Dei essentia, ab humana facie, id est, mente, non per

Beatitudinis essentia.

speculum in ænigmate, sed per seipsam videatur, & non per aliquam similitudinem sui: sicut nunc res corporalis ab oculo non per suam substantiam, sed per suam similitu-
1. Cor. 13. 12. dinem videtur. 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autē facie ad faciē.*

Puritas animæ. Hanc porro visionem beatificam debet præcedere perfectissima puritas, quam sequetur iucundissima claritas, quantò enim mens purior erit, tantò, limpidiùs & clariùs
Matth. 5. 8. Deum intuebitur. Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Non dicit mundo corpore, quia hæc munditia nihil valet separata à cordis puritate. Matth. 23.
Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod foris est calicis & paropsidis, intus vero pleni estis rapina & immūditia.* Impuri igitur exeuntes ex hoc seculo diabolum nō Deum
Sap. 5. 2. visuri sunt. Sap. 5. *Turbabuntur videntes timore horribili.* Sicut ouis videns lupum tota perturbatur & tremit. Consequetur etiam bea-
Iob. 33. 26. tam illam visionem immēsa lætitia. Iob. 33. *Videbit faciem eius in iubilo, & iustitiam reddit ei*, id est, præmium iustorum.

Secundò ostenditur in auctoritate adducta
Gen. 32. 30. ex Gen. 32. beatitudinis efficacia in perfectissima animæ salute, quia salua facta est anima mea: fœlicitas vitæ præsentis, non animam saluat, sed
Marc. 8. 36. perdit. Vnde Marc. 8. *Quid proderit homini si mundum lucretur totum, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Quādo in corpore boni

humores malos ſuperant, eſt ſignum ſanitatis: Sic qui abundat rebus temporalibus & illi deſunt ſpirituales, animam perdit: Si cōtrà, eſt ſignum ſalutis: Sunt enim virtutes arma ſpiritualia, quibus homo ab hoſtibus animam tueri & defendere poteſt, Pſal. 108. *Qui aſſiſtit à dextris pauperis, vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam.* Aſſiſtit Dominus alicui à ſiniſtris, quando rebus temporalibus affluit, ſed non virtutibus & donis ſpiritualibus, quia in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria temporalis. Prouerb. 3. Si vero Deus cōferat pauperi diuitias cœleſtes gratiam & dona ſpiritus ſancti, aſſiſtit ei à dextris, atque ita oſtendit eum velle ſaluum facere, vt teſtatur Dauid, Pſal. 15. *A dextris eſt mihi Dominus ne commouear.*

Pſal. 108. 30.

Pſal. 15. 8.

Secundò, in themate aſſumpto oſtendit animam ſanctæ mulieris, aſſecutam eſſe poſt mortem, honorificam dignitatē, in eo quod dicit, *coram eo.* Si enim magni eſt honoris, aſſiſtere coram Rege aut Imperatore, quantò maioris eſt aſſiſtere regi Regum, & Domino dominantium. Figura huius habetur. 3. Reg. 10. In Salomone, cui dixit regina Sabba, *Beati ſunt ſerui tui qui ſtant coram te ſemper.* Ergo multò magis idipſum poteſt de Deo vſurpari. Secundùm hoc, in illis verbis, tria poſſumus animaduertere, quæ ad beatorum dignitatem & excellentiam pertinent.

Cant. 8. 10.

3. *Reg.* 10. 8.

Primo, fœlicitatis ſtatum, quia beati.

Secūdò, humilitatis meritū, quia seruitui.
Tertiò, firmitatis præmium, quia stant coram te semper.

Beati dicuntur, qui in statu sunt fœlicitatis æternæ: Si quis aliquā domum amplissimam possideret, vbi omne pulchrum esset, omne delectabile, omne denique bonum quod ab homine exoptari posset, nihil que illi cōtrariū, certe beatū merito sese existimaret, quia fœlix ille dicitur, qui habet quicquid

Beatus quis vult, & nihil mali vult, ait August. Sed talis est domus Dei, de qua Dominus dixit Ioan.

Ioan. 14. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, hoc est, diuersi beatitudinis gradus, quia gloria & diuitiæ in domo eius: Quæ tātæ sunt, vt omnem excludant paupertatem & miseriā: hinc Psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.*

Psal. 83. 5. Secundò nota in auctor. adducta humilitatis meritū, quia serui tui, scil. Dei, illi enim

3. Reg. 10. 8. veri sunt serui Dei qui in omnibus placere, & cum diligentia ei seruire student. Hi ser-

Seruiendū Deo quomodo. uiunt cum hilaritate, humilitate, innocētia, integritate & perseuerantia. Cum hilaritate, quia coacta Deo displicent. Hinc Philosophus, si tristatur aliquis, bona operari coa-

Psal. 99. 1. ctus, operatur. Propterea. Psal. 99. *Seruite domino in lætitia*, cum puritate: quia Dominus fons puritatis mundos & puros exoptat ministros. Psal. 100. *Ambulans in via immacu-*

Psal. 100. 8. *lata, hic mihi ministrabat.*

Item cū humilitate Deo seruiendū est, cū hoc iustū sit æquū. 2. Mac. 9. *Iustū est subditū*

esse Deo, ideoque humilitas iustitia vocatur.

Item est necessaria intentionis sinceritas, scil. vt Deo placeat & non mundo, sicut bonus seruus, qui omnibus viribus conatur Domino bene operando, placere. Est etiam necessaria perseuerentia, vt non sit sicut seruus fugitiuus recedens facilè & malitiose ab obsequio & seruitio, quod Domino præstare tenetur. De his omnibus dicitur Luc. 1. *Seruiamus in sanctitate, & iustitia, coram ipso, omnibus diebus vitæ nostræ.* *Luc.1.7.*

Tertiò notatur in auctoritate adducta firmitas præmij, *quia stant coram te semper*: id est nusquam cadere possunt à sua beatitudine, Apoc. 79. *Vidi turbam magnam quam dinumerare non poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus & linguis, stantes ante thronum in conspectu Dei amicti stolis albis.* Obseruanda est etiam præmii claritas, *quia coram te*, scilicet Domino Psal. 55. *Placebo corã Domino in lumine viuẽtiũ.* Res pulchra tunc placet, quãdo lumine illustratur & apparet. Psal. 114. *Placebo Domino in regione viuorũ.* Notatur postremo præmij æternitas, *quia sẽper*: sẽper enim faciẽ Dei videbũt, quia visione cum Angelis perpetuo fœlices erunt, Matth. 18. *Angeli eorũ semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.* *3. Reg.10.8* *Præmij æterni firmitas.* *Psal. 55. 13.* *Psal.114.9.* *Matth. 18. 10.*

Tertiò in them. assũpto docetur quod anima est quietã tranquilitatẽ assecuta, cũ dicit, *quasi pacem reperiens.* Res omnis, vbi ad finẽ suũ vltimũ peruenit, quiescit: Anima suo creatori, qui est vltimus eius finis, cõiũcta, prorsus quiescit tũc potest dicere illud Pro. 7. *Cant.8.10.* *Prou. 7. 15.*

Desiderans te videre, & reperi. sup. *pacem perfectam.* Psal. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Ad quam peruenitur multis laboribus & bonis operibus. Rom. 2. *Gloria, honor, & pax omni operanti bonum.*

Rom. 2. 10.

Pax & quies in futura vita.

In quibus quidem verbis, merces quæ redditur laborantibus & bene operantibus commendatur ex quatuor. Primo ex claritate, quia gloriosa. Nam secundum Ambros. dicitur gloria quasi clara cum laude notitia. Laudatur artifex coram Principibus propter eius præstantissimũ aliquod opus, & gloriari solet. Ita qui intendunt bonis operibus & studiosis coram Deo & angelis commendabuntur. Hinc Sap. 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus:* Maxime vero quando in bono opere perseuerauerit. Iob. 36. *Complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.*

Hinc Sap. 3. 15.

Iob. 36. 11.

Secundò commendatur ex dignitate, *quia honor.* Pręstantissimus artifex & famosus accedere ad curiam Regiam honore maximo afficitur. Sic qui virtutibus & bonis operibus illustris erit, honorabitur ab omnibus cœlicolis in curia Paradisi. Eccl. 14. *Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui operatur illud ibit cum illo: Et omne opus electum iustificabitur, & qui operatur illud, honorabitur in illo.* Psal. 8. *Gloria & honore coronasti eum Domine.*

Eccles. 14. 20.

Tertiò commendatur ex tranquilitate, *quia pax.* Ibi enim erit pax à superiori, hoc est, à Deo. Esa. 9. *Pater futuri seculi princeps pacis.* Sub tali enim principe nihil perturba-

Esa. 9. 6.

tionis accidere poterit. Deinde ab inferiori, hoc est, à mũdo quia omnis creatura erit causa lætitiæ & delectationis animæ beatæ, Psal. 36. *Delectabuntur in multitudine pacis.* Item ab interiori pacem habebunt beati, quia scilicet impletum erit omne eorum desiderium, & quantum ad intellectum, sicut est sciendi appetitus, & quantum ad voluntatem, sicut est habendi desiderium, ad Philipp. 4. *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & conscientias vestras,* &c. Item ab exteriori, quia erunt adinuicem, & cum Angelis Dei, in magna concordia, nec ab impijs vel dæmonibus poterunt molestari. Esa. 32. *Sedebit populus meus in multitudine pacis, in tabernaculis fiducia & in requie opulenta.* *Ad Phil. 4. 7.* *Esa. 32. 18.*

Quarto describitur à congruitate, *quia omni operanti bonum.* Hoc enim est iustum ut bene operanti reddatur præmium, nam merces non ociosis, sed operantibus debetur, & ideo qui operari noluerit mendicabit in alia vita, Prou. 20. *Noluerunt manus eius operari, mendicabit ergo æstate,* in alia scilicet vita, & *non dabitur ei*: sed alij remunerabũtur & gaudebunt, quia Deo seruierunt & obedientes fuerunt. Vnde Prouerb. 13. *Anima operantis impinguabitur,* scilicet gratia in præsenti, & gloria in futuro. Ad quam nos perducat Christus Dei filius, Amen. *Rom. 2. 10.* *Prouerb. 20. 4.* *Prouer. 13. 4.*

IN FVNERE ALICVIVS MENDICI.

THEMA.

Luc.16.22. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Luc. 16.

CОntingit sæpissimè, vt ea quæ sunt mũdo vilia & abiecta apud Deum & Angelos in maximo sint prætio: Cuius figura habetur Exo. 8. in ouibus quas Ægyptij abominabantur, & ideo dixerunt filij Israel. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro.* Idem accidit pauperibus, qui à diuitibus mundi despiciuntur, Eccl. 13. *Execratio diuitis pauper*: Sed à Deo plerumque & Angelis honorantur, sicut manifestũ est in Lazaro mendico & paupere, de quo ad literam Thema propositum intelligitur, quod ad quemcunque pauperem bene morientem transferri potest. Ille enim Lazarus à diuite Epulone, suisque domesticis & familiaribus fuit derelictus, cum de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, satiari exoptaret, & nemo ei dabat. Postea tamen mortuus ab Angelis in sinum Abrahę assumptus est. Idem fortassis effectum est, & impletum in hoc nostro paupere defuncto. Fa-

Exo.8.26.

Eccl.13.24.

ctum est (inquit Thema) vt moreretur &c. In quibus quidem verbis tria de ipso describuntur.

Primum est eius humilis conditio.

Secundum est eius vtilis resolutio.

Tertium, eius honorabilis retributio.

Circa primum animaduertenda est differentia inter pauperem & mendicum: Dicitur enim mendicus quasi suum dicens defectum, elemosynas quærendo, & ideo qui elemosynas quærunt, dicuntur mendicantes: Pauper vero dicitur, qui parum de aere possidet. Potest ergo aliquis esse mendicus & non pauper, sicut qui quærit elemosynam & non habet indigentiam. Et iste talis peccat. Primo quidem, quia fingit paupertatē, quam non habet, sicque est mendax & hypocrita: Secundo quia non ex necessitate mendicat, sed ex cupiditate & auaritia: Tertio est fur, contractat enim rem alienam quasi inuito Domino, qui credit dare pauperi elemosynam, aliàs non daret: Non tamen sic recepta restitui debet ei qui dedit, sed veris indigentibus & pauperibus exhiberi.

Pauper quis Mendicus quis.

Aliquis natura quandoque est pauper, sed non mendicus, vt ille qui indiget mendicare tamen erubescit, vel proprijs manibus laborē & victum quærere, vel diuitibus seruire: Quod si licito & honesto modo victum & necessaria comparet, non est dubium quin Domini præceptum adimpleat dicentis. In sudore vultus tui vesceris pane tuo.

Aliquando etiam nonnulli sunt, qui verè sũt pauperes & mendici, sicut quidam religiosi, qui sunt voluntarij pauperes & necessario mendicantes. Quidam etiam sunt ex necessitate pauperes & mendicãtes simul: A quibus omnibus hæc verba Dauidis vsurpari possunt ex Psal. 39. *Ego autem mendicus sum*
Psal. 39. 23. *& pauper, & Dominus sollicitus est mei.* In quibus verbis tria obseruare debemus.

Primò quidem, effectum humanæ indigentiæ.

Secundò, deffectum temporalis substantiæ.

Tertiò, prospectum diuinæ Prouidentię.

Circa primum notandum est aliquos ex cupiditate mendicare, vt diuitias accumulent, quæ mendicitas omnibus est illicita, & maximè religiosis, ideoque dicit August. in
Mendicitas illicita. lib. de operibus monachorum: Multos hypochritas sub habitu monachorum vsquequaque dispersit calidissimus hostis circumeuntes prouincias, & postea subdit, omnes petunt, omnes exiguntaut sumptus luctuosæ egestatis, aut simulatæ prætium sanctitatis: Quidam vero emendicant vt in otio
ad Tessal. 4. 11. viuant. Aduersus quos ait Apostolus. 1. ad Thessal. 4. *Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis*, vbi glosa, opus est agendum & non otiandum: Vnde piger qui efficitur mẽdicus, ex eo quod suo tempore noluit laborare quantum ex se, non meretur elemosynam accipere: Et ideo dicitur, Prouerb. 10.
Prou. 20. 4.

Propter

Propter frigus piger arare noluit. Mendicabit ergo æstate & non habitur ei.

Quidam vero mendicant ex necessitate, sicut qui non potest habere aliunde vnde viuat, nisi mẽdicet, putà quia est impotens ad operandum, vt si sit cœcus vel infirmus. Luc. 18. *Luc. 18. 5.*
Cœcus quidam sedebat secus viam mendicans, Si autem sit validus & potens ad operandum, non debet mendicare. Si itaque talis se elemosynæ immisceat, secundum legem imperatoris redigitur in seruitutem. C. de mendicantibus validis. l. 2. Vnde etiam quædam glosa super Matthæum dicit, iustiùs feceris si iniustè petentem correxeris, quam si ei dederis. Sic qui detinentur in carceribus, ita vt nec operari possint nec aliunde habere, *Psal. 106.*
licitè mendicant, vnde Psal. 106. *Satiauit vinctos in mendicitate & ferro.* Danda est ergo elemosyna necessitatem patienti, etiam excommunicato. Verum vtinam talis esset charitas in diuitibus, qualem requirit Christiana pietas, illud procul dubio Deutero. 15. adimpleretur. Omnino indigens & mendicus non erit inter vos, quia in hoc non prohibuit indigenti mendicare, sed prohibetur diuitibus ne tam tenaces sint, vt propter hoc aliqui egestate mendicare cogantur. *Elemosyna cui danda.* *Deut. 15. 4.*

Quidam vero efficiuntur mendici ex humilitate: Ex eo enim quod mendicitas videtur habere adiunctam maximam abiectionem, quia illi inter homines abiectissimi cẽseantur. Et propter hoc causa humilitatis,

nonnulli laudabiliter mendicant: Sicut alia assumunt, quę ad quandam abiectionem pertinent, ad extinguendam superbiam in se, vel in alijs propter exemplum: Nam sicut infirmitas, quę est in excessu caloris efficacissimè sanatur, per ea quæ in frigiditate excedunt, ita pronitas ad superbiam, per ea quæ multùm abiecta videntur. Idcirco dicitur in Decretis, de pœnit. distinct. 2. c. Si quis semel. Exercitia humilitatis sunt, si quis se vilioribus officijs subdat, & ministeriis indignioribus tradat. Ita arrogantiæ & humanæ gloriæ vitium euitari vel curari poterit.

Humilitas exertitia.

Quidam vero mendicant ex vtilitate, sicut ille qui eo animo mendicat, vt aliquod negotium perficiat, sicut quando petuntur eleemosynæ pro constructione Ecclesiæ, vel pontis, vel pro emendis paramentis altariũ, &c. Vel pro quibuscunque aliis, quæ vergunt in vtilitatem communem: Ideoque religiosis & concionatoribus, qui vtilitati deseruiunt animarum, debetur victus. 1. Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, non est magnum si carnalia vestra metamus.* Si tamen non quasi sibi debitum, sed gratis dandum mendicando petere velint, ad maiorem vtilitatem pertinet, exemplo Christi, qui sic mendicare voluit. Salomon tamen mendicitatem fugiebat, ne ex hac induceretur ad auaritiam vel furtum, vnde ait Prou. 30. *Mendicitatem ne dederis mihi, ne egestate compul-*

1. Cor. 9. 11.

Prouer. 30. 8

sus furer, &c.

Secundò quoque in auctoritate adducta confiderare debemus defectum temporalis substantiæ cum dicitur, *& pauper*. Paupertas efficit pauperem Christo similẽ & socium, si eam patienter toleret & patiatur, non tantum abiectione & humilitate, sed etiam cœlesti & excellenti dignitate. Contigit nonnũquam, ex eo quod aliquis fuerit familiaris & socius diuitis ad sublimem aliquam dignitatem eleuetur. Ita Christus eos, qui secuti fuerint eius paupertatem & humilitatem, ad magnos honores extollit, ita vt primoribus Diuitibus & in alia vita præferantur. De his dicitur. *Suscitans à terra inopem & de stercoribus erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, cũ principibus populi sui.* Psal. 112. 6. — *Psal 39. 23.* — *Paupertatis effectu.*

Tertio in auctoritate ex Psalm. 39. debemus considerare prospectum diuinæ prouidtiæ, *quia Dominus sollicitus est mei.* Id est, habet mei curam. Nam si homo tantam curam habet de equo, vt maxima cum solicitudine, omnia illi necessaria prouideat, quid de Deo dicimus. Quanta cura hominibus quos tantopere diligit, prouidebit? 1. *Omnem solicitudinem vestram projcientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* — *Psal. 39. 23.* — *1. Petr. vlt.* — *Pet. vlt.*

Secundò ponitur in themate assumpto vtilis dissolutio, cum dicitur, *factum est vt moreretur.* Vbi animaduertendum est, bonum pauperem, non cum tristitia mori, sed potiùs cum lætitia. — *Luc 16. 22.* — *Pauper moriens læta-tur.*

Pauper moriens lætatur. Ratio est, quia exultare solemus erepti à malo, vel translati ad bonum: At vtrumque pio & bono pauperi accidit, eripitur enim à miseriis huius seculi, & ad omnium bonorum fruitionem tranfertur, Gen. 46. *Iam* *Gen. 46. 30.* *lætus moriar.* E contrario diues tristis & inuitus ex hac vita decedit. Ratio est triplex: *Diues moriens tristatur.* Prima, quia diues se priuari videt omnibus ijs bonis, quę cum multo labore congregauit, & quæ cum magno desiderio & affectu possedit: Item priuatur omni delectatione, lætitia, & honore, quem ex diuitiis consequebatur, & hoc in perpetuum, ideoque *Eccl. 41. 1.* mors illi valde est amara. Eccl. 41. *O mors quam amara est memoria homini pacem habenti in substantiis suis.* At vero pauper his omnibus destitutus lætatur & ait illud Eccl. 40. *Melius est mori, quàm indigere.* Secunda ratio est, quia diues moritur, cum maiori obligatione propter culpam, quam sequitur pœna. At diuitiarum abundantia fuit multorum occasio & causa peccatorum. Vnde Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem*: sup. auaritiæ, quia crescit amor *1 ad Timoth. 6. 9.* nummi, quantum ipsa pecunia crescit: Superbiæ, quia vermis diuitum superbia: Luxuriæ, quia ex diuitiis nascuntur deliciæ, quibus homo vtitur & incitatur ad incontinentiam. Hinc. D. Bernard. ait, perit humilitas in diuitiis & castitas in delitiis. His igitur moriens diues cruciatur & affligitur, Sed pauper his omnibus liberatus, cum læ-

titia & consolatione, melius expectans iudicium migrat ex hac vita. Eccl. 41. *O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti.* Eccl. 41. 3.

Tertia ratio est, quia plenus timoris & dubitationis moritur diues. Scit enim secuturũ iudicium Hebrae. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem iudicium*, illi maxime reformidandum ob delicta propter diuitias commissa. Eccl. 11. *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Et iterum propter elemosynas, quas omisit, cum elargiri posset, in articulo mortis de diuina bonitate & misericordia dubitat, & iustitiam Dei reformidat. E contrario pauper qui propter eiusmodi non deliquit, sperat de diuina misericordia, & maximè confidit in Dei iustitia. Considerat enim illud quod dixit Abraham diuiti Epuloni in inferno existenti Luc 16. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua*, &c. Idcirco dicitur, Eccles. *Noli metuere iudiciũ mortis: Memento quae ante te fuerunt, & quae superuentura sunt tibi.* Hebrae. 9. 27 Eccl. 11. 10. Luc. 16. 25.

Tertio notatur in themate assumpto remuneratio admirabilis, propter duo: Primò propter tranquilitatem honoris scilicet, vt portaretur ab Angelis: Et hoc secundum aequum & rationem. Custodes enim eorum fuerant Angeli, quibus laetitiae fuerunt pauperes: dum eorum persuasionibus obedierunt, nec tentationibus diabolicis consenserunt: *Est enim gaudium in caelis super vno peccatore poenitentiam agente.* Luc. 15. Item quia ipsi Luc. 15. 10.

Act.12.8. sunt conciues quos iste Lazarus secutus est. Figuram habemus huius rei Actor. 12. *Sequere me, & exiens*, scilicet, de carcere affectus rerum huius mundi, *secutus est eum.* Item
Psal.90.11. quia Angeli sunt consortes, regnaturi enim in cœlis sunt cum beatis, & ideo dicitur Psal. 90. *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* In manibus portabunt te, scilicet, ad gaudia Paradisi.

Secundò, remuneratio ista ostenditur mirabilis, propter locum quietis, *quia in sinu Abrahæ.* Mirabilis mutatio, quòd ille, cui ad ianuam diuitis iacere non permittebatur, in sinu Abrahæ post mortem recipiatur.
Sinus Abrahæ. Porro anima hominis pauperis & mendici in sinu Abrahæ recipitur, tanquàm in loco magis congruo suæ humiliati, magis tuto suæ sanctitati, magis quieto suæ fœlicitati. Per sinum igitur Abrahæ intelligitur locus quietis animarum sanctarum: Nam sinus apud Grammaticos, vel vestis collectionem, vel portum & littus maris significat, vbi quædam quies & securitas reperitur. Propterea olim sinus Abrahæ, limbus subterraneus dicebatur, vbi antiqui Patres quiescebant Christi aduentum expectantes: Nunc vero, ipsa sanctorum quies, sinus Abrahæ vocatur, qua gaudent simul cum Abraham in regno cœlorum, qui per fidem primus nobis viam credendi apperuit, qua omnes electi saluantur. Vnde Matth. 8. *Multi venient àb Oriente & Occidente, & recumbent*

cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum. At quod nos perducat Iesus Christus Dei filius.

AMEN.

IN FVNERE ALICVIVS PRÆDIVITIS.

THEMA.

Quid est tibi mare quod fugisti? Psal. 113.

Psal. 113. 5.

NAturale est omnibus animalibus, ad loca sibi conuenientia ferri, & à noxiis retrahi. Id manifestum videtur in hirundinibus, gruibus & ciconiis, quæ hyemis tempore, incommodum frigoris pertimescentes, à locis frigidis recedunt, & ad calida se transferunt. E contrario æstatis tempore caloris molestiam timentes, ad frigida loca fugiunt. De his Hierem. cap. 8. dixit, *Turtur, hyrundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui.* De hominibus verum habemus exemplum Ruth. 1. In Elimelech qui fugere volens incommoda famis, abiit de terra Israel, vbi erat fames in regionem

Hierem. 8. 7.

Ruth. 1. 2.

Gen. 45. 9. Moabitidem vbi maior abundantia erat. Sic etiam Genes. 45. Ioseph mandauit Patri suo Iacob, vt recederet de terra Canaam vbi fames erat, & descenderet in Ægyptum, vt ibi quæ ad victum erant necessaria illi suppeditaret. *Descende*, inquit, *ad me ne moriaris, & dabo tibi terram Iessem, ibique te pascam: Adhuc enim quinque anni residui sunt famis, ne & tu pereas & domus tua.*

Mirandum igitur quod ille modo defunctus sic fugit hunc mundum diuitiis & delitiis affluentem, sicut mare plenum aquis, & in alium migret, vbi nihil horum omnium habiturus est. Quæramus itaque ab eo diuitiis plenissimo. *Quid est tibi mare quod fugisti?* id est, quid noui tibi accidit vt fugeres & recederes à tot diuitiis, & delitiis, & honoribus? *Quare fugisti?*

Psal. 113. 5. In istis ergo verbis Psalmi, 113. 3. tria facit, si volumus ea transferre ad iustum nostrum defunctum.

Primò quærit causam præsentis nouitatis.

Secundò, loquitur de abundantia prosperitatis.

Tertiò, miratur absentiam hominis à diuitijs recedentis.

Si quæramus à defuncto nostro: *Quid est tibi?* nullus nostrum pro eo respondere poterit, quia scimus quid fuerit, sed nunc quid modo sit, nescimus. Si

igitur interrogemus illum, non voce sed factis, respondebit respectu eorum, quibus hic abundauit, malè se habere. Intulit enim mors illi mala dupliciter. Primò, destruxit eius personam, & abstulit illi substantiam secundò siue in purgatorium detrusus, siue in infernum, acerbissimas pœnas semper patitur. Esa. 51. *Duo sunt quæ occurrerunt tibi, vastitas & contritio, fames, & gladius.* Hoc est, duo sunt malorum genera, quæ tibi occurrunt per mortem: vnum respectu vitæ præsentis, & ad hoc pertinet fames, & gladius. Tanguntur ergo quatuor mala quæ accedere solent ex morte.

Diues priuatur duobus bonis per mortem.

Esa 51.19.

Primum, ex destructione personæ.

Secundum, ex dispositione substantiæ.

Tertium, ex recordatione gloriæ.

Quartum, ex afflictione gehennæ, hoc est ignis purgatorij, qui idem esse dicitur cum igne, propterea vocatur illa pœna gladius.

Est ergo primum malum vastitas, quia scilicet vastatus est, & destructus per mortem, & hoc malum omnia corporis membra corrupit, quod manifestum est, eo quod nihil de colore, nihil de fortitudine, nihil de sensu & vita in his remansit. Hoc figuratum est Genes. 19. *In vxore Loth*, quæ subito conuersa in statuam salis, videbatur habere formam mulieris, & non erat mulier. Posset ergo anima huius defuncti dicere illud Hierem. 4. *Tabernaculum meum*, hoc est, corpus meum,

Gen. 19. 26.

Hierem. 4. 20.

vastatum est. De tali tabernaculo dixit Beatus Petrus, 2. Petr. 1. *Velox est depositio tabernaculi mei*, id est corporis mei.

2. Petr. 1. 14.

Secundũ malũ est de dispositione substantiæ, id est, diuitiarum, quæ à Propheta vocatur contritionis nomine. Et ratio est, quia quandiu res manet integra, in ea partes eius diuiduntur & separantur. Sunt enim multi diuites qui multum laborant in opibus cumulandis, easque adeo sollicitè conseruant, vt nec de his elemosynas faciant, nec sibi necessaria comparent, nisi inuitò & maxima cum molestia. Adueniente vero mortis contritione, eorum diuitiæ, huc atque illuc disperguntur, vel quia multi sunt hæredes, vel quia restituendæ sunt, vel eius legata soluenda, vel eleemosynæ faciendæ. Hi porcis assimilantur, qui nihil nisi occisi prosunt. Vel sunt similes vasculo testeo, vbi pueri suos conseruant denarios, à quo exire non possunt, nisi frangatur & conteratur vasculum. Sic hæres hominis alicuius prædiuitis, talis est, vt citò eas sæpe dispergat & pessimè expendat. Diceret igitur ille diues defunctus, si id non ignoraret: Quod est 2. Reg. 22. *Circundederũt me contritiones mortis.*

Diuitiæ dicuntur conteri in morte.

Diuites porcis similes.

2. Reg. 22. 5.

Tertium malum ex morte, est retardatio gloriæ, si sit in purgatorio, diciturque fames, id est, vehemens appetitus perueniendi ad gloriam. Nam affectus,

Purgatoriũ dicitur fames.

quo desideratur summum bonum post hanc vitam, intensior est in animabus iustorum, quàm vnquam fuit, quia ab aliquo materiali non retardatur, fruerentur summo bono, nisi quid impedimento esset: ideoque tristitia afficiuntur, nam quantò magis aliquid desideratur, tanto acerbiori dolore quis tristatur: Verum hoc non obstat, quin sit ille securus à morte æterna. Alia fame damnati cruciantur, videlicet ardentissimo desiderio habendi refrigerium aliquod ad pœnæ subleuationem, Luc. 16. in Epulone diuite manifestum est, qui petiuit modicam aquam contra ardorem gehennæ, & negata est ei, Eccl. *Fames & contritio & flagella super impios.* *Luc. 16. 24.*

Quartum malum est de afflictione gehennæ, id est, ignis gehennalis: Qui siue sit inferni, siue purgatorij, vocatur gladius qui ad modum gladij penetrabit vsque ad intima cruciatus illius ignis: Et cum sit instrumentum diuinæ iustitiæ non solum cruciabit corpora, sed penetrabit vsque ad intima animæ: Ideoque erit cruciatus maximi doloris. Ratio est, quia dolor nō est læsio, sed lęsionis sensus: Et idcirco tātò quis magis dolet, quāto læsiuū est magis sensitiuū: vnde læsiones quæ fiūt in locis maximè sensibilibus, maximū dolorē efficiūt: Et quia totus sensus corporis, est ab anima, ideo quia læsiuū agit in ipsam animam, maximè affligit eam. Et *Ignis gehēna dicitur gladius.*

vastatum est. De tali tabernaculo dixit Beatus Petrus, 2. Petr. 1. *Velox est depositio tabernaculi mei*, id est corporis mei.

2. Petr. 1. 14.

Secundũ malũ est de dispositione substantiæ, id est, diuitiarum, quæ à Propheta vocãtur contritionis nomine. Et ratio est, quia quandiu res manet integra, in ea partes eius diuiduntur & separantur. Sunt enim multi diuites qui multum laborant in opibus cumulandis, easque adeo sollicitè conseruant, vt nec de his elemosynas faciant, nec sibi necessaria comparent, nisi inuitò & maxima cum molestia. Adueniente verò mortis contritione, eorum diuitiæ, huc atque illuc disperguntur, vel quia multi sunt hæredes, vel quia restituendæ sunt, vel eius legata soluenda, vel eleemosynæ faciendæ. Hi porcis assimilantur, qui nihil nisi occisi prosunt. Vel sunt similes vasculo testeo, vbi pueri suos conseruant denarios, à quo exire non possunt, nisi frangatur & conteratur vasculum. Sic hæres hominis alicuius prædiuitis, talis est, vt citò eas sæpe dispergat & pessimè expendat. Diceret igitur ille diues defunctus, si id non ignoraret: Quod est 2. Reg. 22. *Circundederũt me contritiones mortis.*

Diuitiæ dicuntur conteri in morte.

Diuites porcis similes.

2. Reg. 22. 5.

Tertium malum ex morte, est retardatio gloriæ, si sit in purgatorio, diciturque fames, id est, vehemens appetitus perueniendi ad gloriam. Nam affectus,

Purgatoriũ dicitur fames.

quo desideratur summum bonum post hanc vitam, intensior est in animabus iustorum, quàm vnquam fuit, quia ab aliquo materiali non retardatur, fruerentur summo bono, nisi quid impedimento esset: ideoque tristitia afficiuntur, nam quantò magis aliquid desideratur, tanto acerbiori dolore quis tristatur: Verum hoc non obstat, quin sit ille securus à morte æterna. Alia fame damnati cruciantur, videlicet ardentissimo desiderio habendi refrigerium aliquod ad pœnæ subleuationem, Luc. 16. in Epulone diuite manifestum est, qui petiuit modicam aquam contra ardorem gehennæ, & negata est ei, Eccl. *Fames & contritio & flagella super impios.* *Luc. 16. 24.*

Quartum malum est de afflictione gehennæ, id est, ignis gehennalis: Qui siue sit inferni, siue purgatorij, vocatur gladius qui ad modum gladij penetrabit vsque ad intima cruciatus illius ignis: Et cum sit instrumentum diuinæ iustitiæ non solum cruciabit corpora, sed penetrabit vsque ad intima animæ: Ideoque erit cruciatus maximi doloris. Ratio est, quia dolor nō est læsio, sed lęsionis sensus: Et idcirco tātò quis magis dolet, quāto læsiuū est magis sensitiuū: vnde læsiones quæ fiūt in locis maximè sensibilibus, maximū dolorē efficiūt: Et quia totus sensus corporis, est ab anima, ideo quia læsiuū agit in ipsam animam, maximè affligit eam. Et *Ignis gehēna dicitur gladius.*

propterea istius gladij pœna, id est ignis, quo anima etiam in purgatorio affligitur, omnem pœnam huius præsentis vitæ excedit: Potest ergo dici homini ad purgatorium proficiscenti, illud Luc. 2. *Tuam ipsius animam gladius pertransiuit*, *hoc est cruciatus maximi doloris.*

Luc. 2. 35.

Secundò in themate assumpto loquitur Psalmista de abundantia prosperitatis præcedentis, vocãdo ipsum *mare*, quia sicut mare abundat aquis, ita iste diuitiis. Eccles. 1. dicitur, quòd *omnia flumina intrant in mare*: Sic omnium bonorum temporalium confluunt ad prosperitatem istius. Generaliùs autem per mare intelligitur vita hominis, in hoc mundo existentis: Ratio est quadruplex.

Psal. 113. 5. *Ecclesiast. 1. 17.* *Mare significat vitam hominis & mundum.*

Quia mare multa continet pericula, Primo propter motum Matth. 8. *Motus magnus factus est in mari*, efficit enim motus mare tẽpestuosum & procellosum. Sic vita hominis est bellis, seditionibus, infortunis, vitiis & iniquitatibus perpetuò agitata. Hinc pericula in mari. 2. Cor. 11. Secundò propter motum mare est periculosum. Est enim in mare impulsus contrariorum ventorum Daniel. 7. *Quatuor venti pugnabunt in mari.* Ventus auster est humanæ vitæ prosperitas, vt Aquilo est eius aduersitas, Orientalis est gratiæ inspiratio, Occidens suggestio malitiæ. Item mare est periculosum, propter defectum tam nauis, quam nautæ id est, gubernatoris. Nauis qua vehimur, est corpus,

Matth. 8. 24. *Vita hominis.* *2. Cor. 11.* *Daniel. 2.* *Mundus per mare significatur.*

vas fragere propter possibilitatem, graue propter peccatorum grauitatem, multis foraminibus penetrabile, propter sensuum susceptibilitatē: Sunt enim sensus vt foramina quædam, per quæ multæ aquæ id est culpæ ingrediuntur ad animā submergendam. Defectus etiam periti gubernatoris nauium ab hominibus peritis in hac vita sensetur, cæteraque pericula, quibus abundat, Eccl. 43. *Qui nauigant mare, narrant pericula eius.* Eccl. 43. 26.

Secunda ratio, quare humana vita assimilatur mari, est: quia mare monstruosis animalibus est refertissimum, nam ait rabanus, plura monstra producit mare quàm terra. Psal. 103. *Hoc mare magnum spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus.* Sic in mari huius vitæ sunt diuersa animantia & monstruosa, veluti illa de quibus dicitur Daniel. 7. quod quatuor bestiæ grandes ascendebāt de mari diuersæ inter se. Nam prima, quæ erat similis seruus significat superbiam vitæ: Secunda similis vrso, significat voluptatem carnalis concupiscentiæ. Tertia similis pardo significat cupiditatem auaritiæ. Quarta, quæ habebat dentes ferreos & terribiles, signat crudelitatem malitiæ. Psal. 103.

Tertia ratio ob quam vita humana assimilatur mari est, quia est nubilosum. Hæc enim vita multas errorum nubila generat, ventos etiam persecutionum & tentationum, propter quas multi præcipitantur & suffocantur. Mar. 5. *Grex præcipitatus est in mare,* id est, Mar. 5. 13. 26.

hominum carnaliter viuentium. Quarta ratio quare vita humana assimilatur mari, est: quia mare lunam sequitur & imitatur, vt dicit Philosophus in lib. de proprietatibus elementorum: Nam sicut Adamantem sequitur ferrum, sic mare sequitur lunæ cursum, sicut enim lumen solis augetur vel decrescit, ita mare. Eodem modo vita præsens sequitur fortunam: hinc Poëta. Cum fueris fœlix multos numerabis amicos. Tēpora si fuerint nubila solus eris. Iacob. 1. *Similis est fluctui maris, qui à vento*, Sup. fortunæ, circumfertur.

Iacob. 1.6.

Tertiò in themate assumpto Psalmista ádmiratur priuationem & recessum à diuitiis cum dicit, *quod fugisti*, Sup. de mundo, in quo tot tantisque diuitiis abundabas. Nam accedente morte fugere coactus es. Psal. 113. *Mare*, id est, iste diues affluens diuitiis, *vidit*, Sup. mortem, & *fugit*, id est de mundo velociter recessit. Quod de defuncto non solum dicitur, sed etiam de viuente propter velocissimū temporis cursum. Iob. 9. *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt & non viderunt bonum, pertransierunt velut naues poma portantes.* In quibus verbis ostēdit quatuor conditiones humanæ vitæ.

113. 5.

Iob. 9. 23.

Primò quidem eius labilitatem, cum dicit, *dies mei velociores fuerunt cursore:* Nullus enim cursor quantūcunque leuis & agilis tāta cum velocitate currit sicut nos. Nam cursor dormiendo vel quiescendo non currit,

Vitæ humanæ quatuor conditiones.

ſed nos ſine intermiſſione currimus ad mortem, quia quicquid viuitur, de vita demitur, & ideo nihil aliud eſt viuere, quàm continuò ad mortem currere. Vnde iſte curſus ſe habet ad modum diei, qui hora pòſt horam tendit ad occaſum. Hinc D. Greg. homo ne finiatur appetit, & per augmentum vitæ quotidie ad finem tendit.

Secundò oſtendit Beatus Iob, huius vitæ irreuocabilitatem, quia illud quod præterijt non poteſt reuocari, vnde ſubdit, *fugerunt* Sup. abſque vlla ſpe reuerſionis. Iob. 14. *Fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* *Iob* 14. 2.

Tertio humanæ vitæ obſcuritatem, quia non viderunt bonum, ſcilicet Deum, qui eſt omne bonum. Locus vbi eſt vmbra patitur defectum luminis, ex interpoſitione corporis vmbroſi, inter ipſum locũ & lumẽ. Ita ex interpoſitione vitæ noſtræ corporalis, inter nos & Deũ, defecit nobis lux beatæ viſionis, vt dictum fuit Moyſi Exod. 33. *Non videbit me homo & viuet.* Sed tũc erit verũ quod dicitur Exo. 33. *Ego oſtẽdam tibi omne bonũ.* Vnde dicit Anſelmus, futura ibi bona animi & corporis, qualia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Cur per multa vagaris homuncio, quærens bona corporis & animæ? Ama vnum bonum in quo ſunt omnia. *Exo.* 33. 20

Quartò, oſtendit vitæ humanæ nullitatem, quia finaliter annihilatur, vt fere ex ea

nihil remaneat, & propterea subditur, *pertransierunt velut naues poma portantes.* Nauis poma portans dicitur homo, quia non relinquit post se, nisi odorem momentaneum: Sic vita, nisi modicam hominis memoriam.
Sap. 5.10. Sap. 5. *Tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam. Cuius cum præterierit, non est vestigium inuenire.* Sequitur: *Sic & nos nati, continuò desinimus esse, & virtutis quidē nullū potuimus signum ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus:* Talia protulerunt in inferno, hi qui peccauerunt: Vnde in hac naui per quam intelligere possumus animam sanctam, opera bona, sunt merces: funes, præcepta: Malus, patientia: velum perseuerantia: Gubernaculum charitas: Ancora, fides: Gubernator, Spiritus Sanctus: Dominus nauis, Christus. Famuli ducentes nauem, exempla Sanctorum. De hac anima dicitur: Prouerb.
Prouerb. 31. 14. 31. *Facta est quasi nauis institoris,* in qua scilicet sunt ista omnia. Sequitur autem quod debeat poma portare, id est, bona opera coronam Deo suauem odorem spirantis offerre: Iuxta illud Cant. 7. *Omnia poma noua & vetera dilecte mi, seruaui tibi.*
Cantic. 7. 13. Homo est arbor, qui nisi operibus abundet, succidetur & in ignem mittetur. Leuit. 26. *pomis arbores replebuntur.*
Leuit. 26. Et Deuter. 20. *Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed aggrestia, & in cæteros vsus idonea, succide: tunc ad alium vsum valebunt, scilicet, ad ignem æternum.* Poma dantur post prandium in delectationem, &

fructus

fructus, Hoc est, fruitio bonorum dabitur nobis in paradiso, quando dicit Dominus illud. Cantic. 4. *Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructuum suorum*: Et hic est hortus paradisi. Ad quem nos perducat Iesus Christus Dei filius. Amen. *Cant. 4.19.*

IN FVNERE CVIVSDAM DIVITIS.

THEMA.

Diues cum dormierit, nihil secum deferet. Iob. 7. *Iob.27.19.*

DVOBVS hominibus iter agentibus, si eos canis sequatur, discerni non potest cuius sit, quandiu simul ambulant. Si verò vnus alterum relinquit, & ab inuicem separentur, canis Dominum sequitur, & alterum deserit. Idem contingit in diuitiis: Quamdiu enim in hoc mundo, homo illis affluit, nulla ratione sciri potest, cuius sint, hominis an mundi, si verò separentur per mortem, tunc diuitiæ mundo remanent, & hominem deserunt, ita vt nihil secum moriens deferat: Quod docetur in auctoritate assumpta, ex cap. 27. Iob. *Diues cum dormierit, nihil secum deferet.* Sup. de diuitiis temporalibus: In *Similitudo.*

quibus quidem verbis de moriente diuite tria describuntur.

Primum est, conditio fortunæ.

Secundum est, corruptio naturæ.

Tertium est, priuatio substantiæ.

Similitudo. Qui ludo aliquo Dominus efficitur, aliis non est timori neque formidini, licet tunc temporis, multis honoribus afficiatur, quia citò illo Dominio & imperio deponendus est. Sic non debet affici tristitia, pauper, si animaduertat, alium diuitem factum, eo quod non efficiatur verè diuitiarum Dominus: Eas enim omnes cogitur relinquere post modicum tempus huius vitæ, omnes honores, gloriam & voluptates ex his emanantes. *Psal. 48. 17.* Psalm. 48. *Ne timueris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria.* In quibus quidem verbis describuntur quinque. Primum est pauperis securitas. Secundum diuitis prosperitas. Tertium hominũ mortalitas. Quartum decedentis paupertas. Quintum moriẽtis humilitas.

Fiducia in Deum. Circa primum animaduertendum est, quòd si pauper aliquis diuitem & potentem sequeretur, eique inseruiret, eum in necessitate non defuturum, ideoque paupertatem non multum reformidaret. Nos etiam, qui sumus pauperes sicut ait D. Paul. 1. ad Timoth. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, vnde & nudi nascimur.* Iob. 1. cap. *Nudus egressus* *1. ad Timoth. 6. 7.* *Iob. 1. 21.*

ſum de vtero matris meæ. Habemus nobiſcum Dominum locupletiſſimum, qui ita eſt de nobis ſolicitus, vt nihil nobis deſit, ſi eius voluntati non repugnemus, illique ſincerè ſeruiamus, Rom. 10. *Dominus omnium in omnes diues, in omnes, qui inuocant eum.* Pſalm. 9. *Factus eſt Dominus refugium pauperi adiutor in omnibus tribulationibus eius.* Itaque non eſt quod timeant pauperes, ſi in eum ſperent, confidant, & ab offenſis caueant: de his dicitur Pſalm. 77. *Deduxit eos in ſpe & non timuerunt.*

Rom 10.12.

Paupertas non timenda.

Pſ. 77.58.

Multiplici fauore vtitur Deus erga pauperes, qui patienter paupertatem ferunt. Primò Deus eorum exaudit orationes Pſalm. 9. *Deſiderium pauperum exaudit Dominus.* Et Eccl. 21. *Deprecatio pauperis, vſque ad aures Dei perueniet.* Secundò, illorum Deus eſt memor Pſal. 9. *Quoniam non in finem obliuio erit pauperis.* Tertiò, eorum eſt procurator Pſalm. 9. 17. *Tibi derelictus eſt pauper* & Ideo, 39. *Ego ſum pauper & mendicus, Dominus autem ſolicitus eſt mei.* Quartò Deus eſt eorum ſaluator Pſalm. 71. *Animas pauperum ſaluas faciet,* Ideoque ne timeat dicitur. Deuter. 20. *Non timebis, quia Dominus Deus tecum.* Scilicet vt tuus exauditor, vt tui memor, vt tuus procurator & ſaluator. Eſa. 41. *Ne timeas, quia ego tecum ſum.*

Pſal 9.41.

Eccl. 21. 6.

Pſal. 9.19.

Pauperibus Deus fauet.

Secundò notatur conditio fortunæ, his verbis, *Cum diues factus fuerit homo.* Malè ſtat diues vt plurimum, maximè ſi habeat diui-

Pſal. 48.17.

tias male acquisitas, quod vt plurimum contingit Prouerb. 28. *Qui festinat ditari non erit innocens.* Spinæ enim non colliguntur, sine manus colligentis læsione, nec lutum colligitur sine congregantis inquinatione. Diuitiæ enim à Domino spinæ dicuntur Luc. 18. Et ab Apostolo stercora nuncupantur, ideoque scribitur Eccl. *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.*

Diuitiæ sunt spinæ.

Luc. 18. 25.

Item homo diues factus illicitis lucris, fortissimo laqueo illaqueatus est à diabolo, vnde D. August. res quam capis muscipula est, dum capis caperis. Sicut auis rapiendo granum, & piscis vermem in hamo mortis periculum incurrunt, plus incommodi capiunt quam commodi, quia dum alienum rapiunt, à diabolo rapiuntur. Vas plenum aqua, detinetur in fundo fluminis quandiu aquam continet; Sic qui retinet alienum à diabolo detinetur, sicut capistrum equum retinet, quia ab equo retinetur mandibulis, & hamus tenet piscem, quia piscis tenet eũ, & auis laqueum. Eccl. 9. 12. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo, sic capiuntur homines tempore.* De tali illaqueatione diuitum loquitur D. Paulus. 1. ad Timoth. 6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationes & laqueum diaboli.* Sed quoniam fortunæ prosperitas non solùm in diuitiis consistit, sed etiam in honore, ideo subditur, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quod inde tota familia honoretur Psal.

Similitudo.

1. ad Timo. 6. 9.

Psal. 111.

III. Verum illa gloria contemptui esse debet, quandoquidem non datur homini sed diuitiis. Hinc Seneca, mella sequentur muscæ, grana formicæ, cadauera lupi, prædam sequitur turba ista, non hominem: proinde deficientibus diuitiis perit gloria & honor: collectis fructibus vinea, nec visitatur, nec custoditur, sic homo priuatus & destitutus diuitiis. Stultè ergo agunt, qui, vt dicitur Psal. 48. *confidunt in virtute sua & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.* Est igitur vera gloria non in diuitiis & bonis exterioribus, sed interioribus & virtutibus, Psal. 44. *Omnis gloria eius ab intus.* Inde oritur testimoniũ bonæ conscientiæ. 2. Cor. 1. *Gloria hæc est nostra, testimonium conscientiæ nostræ.*

Gloria vera.
Psal 48.17.
*Psal.*44.17
2.*Cor.*1.2.

Tertium quod notatur in auctoritate adducta ex Psal. 48. est hominum mortalitas, cum ait, *cum interierit.* Tantò grauius est malum, quantò magis inopinatum, & potissimum mors. Accidit porcis sæpissimè vt dum securè dormiunt ad mortem rapiantur, sic pluribus euenit diuitibus quod cum in maiori securitate diuitiis perfruuntur & gaudent, à morte rapiuntur sicut manifestum in illo diuite Luc. 12. Qui dicebat *anima mea habes multa bona in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* De talibus diuitibus. 1. ad Tessa. 5.3. *Cum dixerit pax & securitas, tunc repentinus eius superueniet interitus.*

*Psal.*48.17.
Diuitiæ assimilantur.
Luc. 12.19.

Quartum quod notatur in supradicta auctoritate, est decedentis paupertas *quia non*

Psal. 48. 17.

sumet omnia, hoc est, omnia relinquet: Nam omnia corruptibilia reuertuntur ad suum principium, sicut corpus in terram. Genes. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuerteris in terram, de qua sumptus es*. Idem iudicium de animalibus, de quibus dicitur Ecclesiast. 3.20. *Omnia pergunt ad locum vnum, de terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur*. Psalm. 48. *Relinquit alienis diuitias suas*: Auarus igitur est similis columbæ, quæ ibi nidificat, vbi parentes pullos amiserunt: Sic auari in mundo thesaurizant, vbi parentes eorum omnia reliquerunt. D. Hyero. Non sunt (inquit) bona hominis, quæ secum ferre non potest, sola misericordia comes est defunctorum: ideo Matth. 25. *Fatuæ virgines*, hoc est, animæ imprudentes, quæ exeuntes, Sup. à corpore, *non sumpserunt oleum secum*, hoc est, meritum operum pietatis & misericordiæ, exclusæ sunt à nuptiis paradisi.

Gen. 3.19. *Psal. 48 10.* *Auarus similis columbæ.* *Matth. 25.3.*

Quintò ostenditur morientis humiliatio, quia non descendit cum eo in sepulchrum vel in infernum, gloria eius: quia vtrobique non in gloria, sed in ignominia erit, secundum illud Oseæ 4. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*. Nam in inferno erit anima in ignominia, & corpus in sepulchro fœtidum, vermibus plenum 1. Machab. 2. *Gloria viri peccatoris, vermis & stercus est*: Et bene dicit, peccatoris, quia gloria viri iusti magna est, & animæ in cœlo, & corporis in tumulo: Quia cor-

Osea. 4.7. *1. Machab. 2.62.* *Gloria improborum.*

pora Sanctorum, etiam in tumulis clausa honorantur propter spẽ futuræ resurrectionis, in qua plenius glorificabuntur, Psal. 149. *Exaltabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* *Psal.* 149. 5.

Secundò in themate assumpto, notatur corruptio naturæ. Quando subditur, *cum dormierit*, id est, cum mortuus fuerit. Aristoteles in libris Ethicorum vocat somnum dimidium vitæ, cum dicit, fœlix non differt à misero, iuxta dimidiũ vitæ, hoc est, in somno, nisi quia meliora sunt phantasmata, id est, somnia iustorum. Vnde secundum hoc, mors potest assimilari somno, siue dormitioni, quæ est dimidium vitæ, magis propè, quam somnus. Nam cum vita hominis sit in anima & in corpore, mors quæ tollit vitam corporis; & relinquit vitam animæ dimittit quasi dimidium vitæ. De qua dormitione mortis dicitur Psal. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus.* In quibus verbis agitur de duobus.

Iob. 27. 19.

Somnus dimidiũ vitæ.

Mors somno similis.

Ps. 75. 5.

Primò, de morientium expectatione.

Secundò, de diuitum frustratione.

Quemadmodum ille qui ad somnum se confert, spem habet resurgendi à somno, ita quicunque moritur, dicitur mori cum spe resurrectionis Psalm. 40. *Nunquid qui dormit, non adijciet vt resurgat*: Nam sicut facile est, excitare aliquem à somno, *Psal.* 40. 9.

ita Deo facillimũ est à morte nos excitare:
Ioan. 11. 11. Ioan. 11. *Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum*, loquens de somno. Verum notandum est quendàm esse somnum laudabilem, alium noxium. Si suo tempore fiat, & placide corpus quiescat, est laudabilis: Sic mors homini eo tempore quo est bene dispositus, & in gratia: quia tunc cum filij Dei sint, ad possidendam hæreditatem æternam ducuntur, iuxta illud Psalm. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filij merces.* Dicitur etiam dormiens, propter quietem, qua fruitur suauissima. Psal. 4. *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Et ideo sicut somnus corporalis est ad quietem & sanitatem corporis, ita est necessarius ad animæ salutem. Ioan. 11. *Si dormierit saluus erit.*

Sõnus laudabilis.

Psal. 126.

Psal. 4.

Ioan. 11. 12.

Somnus verò minimè laudandus sed noxius, ille est, qui suo tempore non percipitur, estque cum inquietudine & phantasmatibus distortis. Talis est somnus peccatoris, qui fit incongruo tempore, id est, in peccato, nã tũc dæmones immittunt distorta phantasmata, ne redeat ad pœnitentiam, sicque moritur cũ inquietudine maxima, & horrore consciẽtię, estque illi somnus ad damnationẽ æternam. Hoc figuratum videtur Iudic. 4. *In Sysara qui capite in terram defixo, soporem morti socians, defecit, & mortuus est.* Hoc est affectibus terrenis mente defixa, cum clauo obstinationis & desperationis soporem mortis corporalis socians morti æternæ, defecit in

Somnus noxius.

Iudic. 4. 21.

corpore,&mortuus eſt etiam in anima morte æterna.

Secundo in auctoritate adducta agitur de diuitum fruſtratione, quia nihil iuuenerũt, Nonnumquam accidit dormienti ſomniare ſe magnas diuitias iuueniſſe, eaſque geſtare & theſauros recondere: Verum excitatus nihil reperit. Diues etiam quandiu viuit contractat diuitias & pecunias, lætaturque in eis, adueniente vero ſomno mortis euaneſcunt. Iob. 27. *Aperiet oculos ſuos, & nihil inueniet.* Vbi Gregor. Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Luc. 16. *Eleuans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longe & Lazarum*, quem prius aſpicere dedignabatur. Dicitur prius nihil inueniſſe in manibus ſuis, quòd diuitias ſuas in manibus tenuerint & quia pauperibus non diſtribuerint, ideo poſt mortem nihil inuenerunt, quas quidem reperiſſent, ſi in manibus pauperum ponere voluiſſent, vnde Beatus Laurentius dixit Tyranno. Theſauros Eccleſiæ quos requiris iam in cœleſtes theſauros manus pauperum deportauerunt. Gregor. Omnia temporalia, quæ ſeruando amittimus largiendo ſeruamus. Propterea dicitur, Prouerb. 31. de muliere forti: *Manum ſuam aperuit inopi, & palmam ſuam extendit ad pauperem.*

Pſal. 75. 5.

Iob. 27.

Luc. 16. 23.

Prou. 31.

Tertiò agitur in propoſito themate de priuatione ſubſtantiæ, quæ fit per mortem, cum dicitur, nihil ſecum deferet, de ſuis diui-

tiis, animæ enim non est susceptibilis substantiæ corporalis, vnde etiam in corpore existens recipit in intellectu species sine materia: Multo ergo magis cum à corpore separatur nihil materiæ secum deferre potest.

Similitudo. Porro animaduerte idem diuitiis accidere, quod pratis & arboribus infructuosis, quia licet prata in vere vestiantur herbis & floribus, non tamen in messe sibi capiunt & retinent segetes, sicut nec arbores in autumno fructus: Ita licet diuitiæ exornent diuites, post mortem tamen nullum fructum ex eis in inferno capiunt, Abac. 3. *Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum : Abscindetur* *Abac. 3. 17.* *de ouili pecus,* &c. Tangit illa in quibus diuitiæ antiquorum potissimum consistebant, videlicet in arborum fructibus & animalibus, quæ omnia nihil commodi afferunt diuiti post hanc vitam: Sola ergo bona opera sunt, quæ afferent fructus permanentes: *Ioa. 15. 16.* de his Ioan. 15. *Posui vos vt eatis, & fructum faciatis, & fructus vester maneat,* sup. pro præmio vitæ æternæ. Ad quam nos perducat Deus Optimus Maximus, qui sine fine viuit & regnat, Amen.

IN FVNERE ALICVIVS PAVPERIS MENDICANTIS.

THEMA.

Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum. Tob. 4. Tob. 4. 12.

EX morte sæpius maxima sequi solet mutatio in hominibus iustis, & peccatoribus: Si diues fuerit & iniquus, eum mors ad summam paupertatem transfert, spoliatur enim omnibus diuitiis, honoribus & voluptatibus huius seculi: In inferno autem si sit, omni bono & refrigerio. Iustus vero si fuerit pauper, ad immensas diuitias, easque regni cœlestis, deducitur. Exempla habemus perspicua in Lazaro, & diuite Epulone, Luc 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno,* Luc. 16. 22. vbi tanta laborauit inopia, vt ei aquę gutta defuerit, cum in hac vita quotidie splendidè viueret. Lazarus vero qui famem & omnia incommoda perpessus fuerat, quando mortuus est, ab Angelis in sinum Abrahæ deportatus est, vbi omnis requies & cõsolatio.

Tob. 12. De qua potest exponi verbum propositum, cum dicitur, *Pauperem quidem vitam gerimus*, sup. in præsenti, sed multa bona habebimus, sup. in diuitiis Paradisi: Et hoc erit si Deum timuerimus. In quibus verbis ex persona iustorum pauperum, tria ostenduntur.

Primò docent se tolerare fortunæ angustias.

Secundò, se expectare gloriæ abundantiam.

Tertiò, ostendunt se supponere iustitiæ consequentiam,

Nam iustitia humana per quam ad gloriam peruenitur consistit in declinando à malo, & in faciendo bonum. Et vtrumque faciunt, qui Deum timent, quia per timorem Domini, declinat omnis à malo, Prouerb. 15. & Eccl. 15. *Qui timet Deum faciet bona.*

Eccl. 15. 1. Simile. Obserua arbores, ramusculis circunstantibus amputatis, in altum magis crescere, quia plus humoris cedit in augmentum arboris. Sic amputatis temporalibus per paupertatem anima magis in spiritualibus augetur. Huius figura habetur Gen. 41. in Ioseph, qui ait, *Crescere me fecit Deus, in terra paupertatis meæ.* Vbi notantur quatuor quæ ad arboris augmentum solent concurrere, & ad animæ etiam augmētum in spiritualibus. Primum est agricola, id est, Deus, qui notatur, primò, cum dicitur, *Crescere me fecit Deus.* Secundum est planta, id est, homo

Gen. 41. 52.

ſolicitus, cum ſubditur *me*. Tertium eſt, terra, id eſt, vita ſiue viuendi modus, cum dicitur, *Creſcere me fecit Deus.* Quartum eſt cultura, id eſt, temporalium contemptus, cum dicitur, *paupertatis meæ.*

Tertium eſt Deum crementum diuitiarũ & honorum, in bonis temporalibus, & meritorum atque virtutum in ſpiritualibus efficere: In ſpiritualibus quidem per gratiam, quæ eſt radix omnium virtutum, & principiũ omnium virtutum. Sicut enim ab eſſentia animæ, fluunt eius potentiæ naturales, ita à gratia, quæ eſt in ipſa eſſentia animæ, per quam diuinæ particeps efficitur naturæ. Cũ igitur gratia ſit à Deo, ſequitur incrementũ virtutum eſſe à Deo, Pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* 1. Cor. 3. *Qui incrementum dat Deus:* Item à Deo ſunt merita noſtra, & incrementum meritorum. Hierem. 31. *Eſt merces operi tuo.* Quia Deus facit nos bene operari dupliciter. Primo in quantum dat nobis gratiam, per quam humana natura corrupta ſanatur, & ſanata eleuatur ad operandum opera meritoria vitæ æternæ, quæ naturę proportionem excedunt: Sicut medicus dat medicinam, per quam infirmus ſanatur, & corroboratur ad firmiter ambulandum. Alio etiam modo, in quantum poſt gratiam datam, mouet ad recte agendum: hoc enim neceſſarium eſt, quia etiam poſt quam anima eſt ſanata per gratiam, adhuc remanet infectio carnis alliciens ad peccan-

Gratia radix omniũ virtutum & meritorum.

Pſal. 83. 12.

1. Cor. 3. 7.

Hier. 31. 16.

Rom. 8. 26. dum, & remanet quædam obscuritas in intellectu, propter quam sæpissimè ignoramus, Sap. 9. 14. quid agere debeamus, Rom. 8. *Quid oremus sicut oportet nescimus.* Et Sapient. 9. *Cogitationes mortalium timidæ sunt, & incertæ prouidentiæ nostræ.* Ideoque à Deo dirigamur necesse est, vt quid magis expedit faciamus. Hinc 2. Paral. 20. *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus* 2. Par. 20. 13 *ad te.* Ergo Deus est à quo omne opus bonũ 2. Cor. 9. 10. & meritum & eiusdem incremẽtum. 2. Cor. 9. *Multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Nam semen diuinum est gratia, incrementa sunt bona voluntas & facultas bene operandi: Fruges iustitiæ sunt opera meritoria, ex iustitia procedentia, quæ omnia Deus auget & multiplicat sanctis operibus. Quia igitur bona præsentis vitæ parui sunt momenti apud Deum, frequenter Deus temporalibus, suos spoliat, vt spiritualibus repleat. Esa. 55. *Pro vrtica crescet myrtus.* Esa. 55. 13. Vrtica est diuitiarum copia, quæ ad modum vrticæ vrit, per inordinatum amorem auaritiæ, & pungit per multas solicitudines, quia sublata, crescit myrtus, hoc est, vigor virtutum: quia myrtus est naturæ temperatæ, dissoluta membra constringens, & ita virtutes restringunt dissoluta opera & inordinata.

Secundò, in auctoritate adducta notatur,

ille in quo fit augmentum, ſcilicet qui mundum contemnit, ſcilicet eſt loco plantæ, cum dicitur. *Mc.* Vbi animaduerte, quòd ſi hoſpitaliorum curam habentes, pij & miſericordes fuerint, quantò magis pauperes vident peregrinos, tantò libentiùs ſuſcipiunt eos, atque refouent: Ita Chriſtus à mundo pauperes deiectos & afflictos libentiſſime excipit, & maximè ſi ad eum confugiant. Eſt figura huius rei 1. Reg. 30. Vbi habetur viros Dauid, Ægyptium quendam inueniſſe, eumque ad Dauid adduxiſſe. Atque illi dediſſe panem vt comederet, & aquam vt biberet, Maſſam caricarum & duas ligaturas vuæ paſſę. Qui cum comediſſet reuerſus eſt ſpiritus eius, & refocillatus eſt. Et dixit ei Dauid, Cuias es tu? vnde, & quo pergis? Puer Ægyptius ego ſum, inquit, ſeruus viri Amalechitæ: dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiuſtertius. Quam figuram exponens Gregorius ait, quid eſt quod Ægyptius Amalechitæ puer in itinere laſſatur, niſi quod amator præſentis ſeculi, peccati ſui fœditate infectus, ſæpe ab eodem, ſicut infirmus deſpectuſque deſeritur, vt cum eo nequaquam ambulare valeat, ſed fractus aduerſitate torpeſcat. Sed hunc Dauid inuenit, quia Redẽptor noſter quos deſpectos à mundo reperit, in ſuo amore cõfirmat, & cibo ſuæ gratiæ ſuſtẽtat ac reficit.

Pauperes à Deo excepti

1. Reg. 30

Psal. Vnde etiam Psal. ait, *Ego sum pauper & dolens; salus tua Deus suscepit me.*
Gen. 41. 52.

Tertiò, in auctoritate adducta notatur incrementi locus, *quia in terra.*

Porro hic obserua corpora cœlestia nullũ augmentum recipere neque decrementum, corporalia vero inferiora vt animalia & plãtas suscipere. Ita beati quantum ad meritum præmii essentialiter non recipiunt augmentum neque diminutionem, quia non potest eorum meritum crescere, nisi respectu præmij accidentalis ante iudicium vniuersale, Viatores vero merito crescere possunt, vel demereri Iob. 1. *Possessio eius creuit in terra.*

Iob. 1. 20.

Quartò, ostenditur, id quod proportionatur culturæ, scilicet paupertas, cum dicitur, *paupertatis meæ.* Nam paupertas præcipue voluntaria de agro cordis eradicat spinas diuitiarum, & lapides, hoc est, auaritiam qua induratur cor, & alias herbas noxias, id est, affectiones & cupiditates deprauatas, quæ fructum diuini operis impediunt, id est, ne in nobis diuina crescat gratia, estque hic fructus, salus animarum, ideòque dicitur, Psal. 71. *Animas pauperum saluas faciet.*

Paupertatis effectus.

Psal. 71. 13.

Secundo in assumpto themate, boni pauperes ostendunt abundantiam cœlestis gloriæ expectare, cum dicunt, *sed multa bona habebimus*: Aduertendum est bona præsentis vitæ non omnia, licet nonnulla, vni eidemque homini posse contingere: Et quia praua sunt non satiant animam: nec etiam sunt

Tob. 4. 12.

diuturna

diuturna, eo quod aut deserunt possessorem aut deseruntur. Vnde Luc 12. Dicebat diues aliquis, multis cumulatis diuitiis. *Anima mea habes multa bona*: Cui responsum est, *Stulte hac nocte repetam animam tuam, & hæc cuius erunt?* *Luc.12.20.*

At qui cœlesti fruuntur beatitudine non quædam tantùm possident bona, sed omnia, quia beatitudo secundum Boetium, est status omnium bonorum aggregatione perfectus, quod quidem figurabat manna, in se omnis saporis optimi suauitatem habens, Sap. 16. *Panem de cælo præstitisti eis omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Licet enim sit vnum summũ bonũ, in quo nostra beatitudo consistit, tamen in illo vno sunt omnia bona Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*: In quibus quidem verbis de cœlesti beatitudine quatuor innuuntur. *Beatitudo est manna.* *Sap.16.20.* *Sap.7.11.*

Primum est eius proprietas. Secundum est eius satietas. Tertium eius æqualitas. Quartum eius tranquilitas. *Beatitudo cœlestis.*

Dicit omnia bona venerunt mihi, vt ostẽdat quod potiùs ex Dei miseratione, habet homo illa bona, quam ex propria virtute vel merito, Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Hic ait glosa, potuisset dicere, stipendium iustitiæ, sed maluit dicere, gratia Dei vita æterna, vt intelligeremus Deum ad æternam vitam pro sua misericordia & liberalitate nos perducere, non autem meritis nostris: *Rom.6.*

Nec tamen vult dicere glosa, nostra merita non valere ad vitam æternam, sed Dei miserationem, esse primam & præcipuam causã nostræ beatitudinis, vnde Psal. 118. *Veniant* Psal. 118. *miserationes tuæ, & viuam.*

Secundò, ostenditur beatitudinis satietas, Sap. 7. 11. cum dicitur, *Omnia bona*: Cũ enim bonum sit quod omnia appetunt, vt dicitur primo lib. Prou. 10. 25. Ethic. sequitur quod vbi possidentur omnia bona, omnis expleatur appetitus. Prou. Ps. 20. 2. 10. *Desiderium eorum dabitur iustis.* Psal. 20. *Desiderium cordis eorum tribuisti ei Domine.* Hoc autem est, quod iusti desiderant, scilicet possidere omne bonum. Perfectè igitur satiabuntur, Exo. 33. 19. quod Deus promisit Moysi Exo. 33. Cant. 7. 13. *Ego ostendam tibi omne bonum.* Et conceditur tantum in alia vita. Cant. 7. *Omnia poma noua & vetera dilecte mi, seruaui tibi.* Omnia poma hoc est omnia bona futuræ vitæ quibus delectabitur: Noua erunt gaudia, ob delectationem humanitatis Christi: Vetera quia videbunt Dei essentiam quam etiam Angeli ab initio viderunt: Noua etiam, in corporis glorificatione, & mundi innouatione, quæ fiet in die iudicij, & vetera in animarum beatitudine priùs illis concessa. Ait, dilecte mi: vt ostendat quod per viam dilectionis & Rom. 8. 28. charitatis peruenitur ad ista. Rom. 8. *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum,* sup. æternum.

Tertiò, ostenditur beatitudinis æqualitas,

cum dicitur; *Pariter*. Idque non est intelligendum, quasi omnes sint in illa beatitudine pauperes: Vel quòd omnia ista bona æqualiter possideant: Sed illa æqualitas intelligitur ex parte obiecti; omnes enim diuinam essentiam videbunt, quæ est obiectum beatitudinis, Esa. 40. *Videbit omnis caro:* Sed erit diuersitas graduum beatitudinis ex parte luminis gloriæ, nam vbi erit maius & perfectius, operatio ipsa erit perfectior & delectatio maior. *Pariter*, potest etiam exponi simul in eadem societate vel loco, sup. cœlo Empyreo existentes omnes tam Angeli, quam homines beati. Acto. 2. *Omnes erant pariter in eodem loco.* *Beatitudinis æqualitas.* *Esa. 40. 5.* *Actor. 2. 1.*

Quartò ostenditur in auctoritate adducta, ipsius beatitudinis trāquillitas perfectissimæ pacis. In quantum omnia à beatis remota sunt, quæ possent eorum perturbare beatitudinem, & in aliquo molestare. Vnde Aug. 19. de ciuitate Dei. Possumus dicere finem bonorum nostrorum esse pacem, sicut & æternam vitam. Dicit pacem esse finem, quia est simul cum ipso fine, estque propinquissima dispositio ad finem, ideo significatur per ciuitatem Hierusalem, quæ pacifica interpretatur, ad Galat. 4. *Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est.* *Sap. 7. 11.* *ad Gal. 4. 26.*

Tertiò, in themate assumpto, ostendunt pauperes iusti se supponere iustitiæ conse-

Tob. 4. 11. quentiam, cum dicitur, *Si timuerimus Deum*. Quædam opera sunt iusta & bona, ad quæ non omnes tenentur, vt pueri & infantes ad ieiunium non tenentur, & multi alij. Alia sunt ad quæ nullus excusari potest, sicut est obseruatio præceptorum Dei, fides, spes, & amor. Hinc Eccl. 12. *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo.* In quibus verbis tria facit.

Ecclesiast. 12. 13. Primò inducit ad Dei reuerentiam.

Secundò, ad eius obedientiam.

Tertiò assignat vtriusque causam.

Circa primum, attende Deum debere timeri reuerenter, id est, non sicut seruus, timet ob pœnam, sed sicut filius, ob reuerentiam: Qui timor non est seruilis & coactus, sed filialis, qualis remanet etiam in beatis. Psal. 18. *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.*

Timor filialis.

Ps. 18. 10. Porro hic timor vocatur castus, filialis, & amicabilis. Castus quia ad modum sponsæ castæ, anima dicitur Deum timere. Si vir est præsens timet casta, ne redeat, si est absens, timet ne venire differat: Adultera vero, si vir sit præsens, timet ne maneat, si est absens, timet ne redeat. Sic sancti viri præsentem Deum per internam consolationem sentientes timent ne recedat: & si aliquando discedat, timent ne venire differat. Psal. 50. *Spiritum sanctum tuum ne aufferas à me. Sed redde mihi lætitiam salutaris tui.* E contrario,

Similitudo.

Psal. 50. 12.

mali dicunt illud, Iob. 21: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Item voca- *Iob.21.14.*
tur timor filialis, quia filius timet offendere patrem, ne eius amitat gratiam, & conspectum suum, seruus autem ne incurrat pœnã: Ideo qui timent Deum timore filiali, manẽt in domo Dei, vt videant faciem eius, quam tantopere desiderauerant. Ioan. 8. *Seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum.*

Item vocatur timor amicabilis, quia ti- *Ioan.8.35.*
mere debemus eum vt veri amici. Verus amicus timet offendere, ne perdat amicitiæ solatium, fictus ne perdat temporale subsidium: Ideoque fictus timet tempore prosperitatis, non necessitatis. Talem timorem falsò voluit diabolus imponere beato Iob. cap. 1. *Nunquid frustra Iob timet Deum?* de vero amico, Prouerb. dicitur, *In timore Domini,* *Iob.1.9.*
fiducia fortitudinis.

Secundo in auctoritate citata inducitur, *Eccl.12.13.*
homo ad obedientiam, cum dicitur *& mandata eius obserua*, ex amore sup. vt illud Ioa. *Ioan.14.21.*
14. dici possit, *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* August. qui ha- *Obedientia.*
bet, inquit, in memoria & seruat in vita. Item omnia sunt obseruanda, nullum omittendo, Iacob. 2. *Quicunque totã legẽ seruauerit, offenderit autẽ in vno, factus est omniũ reus.* *Iaco. 2.10.*
Sunt etiam custodienda hilariter, vt scilicet capiat homo in eis delectationem. Eccl. 23. *Eccl.23.17.*

Nihil melius quam timor Dei, & nihil dulcius quàm respicere in mandatis Domini. Hinc Propheta, *in via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis*, Psal. 118.

Eccl. 12. 13. Tertiò, in auctoritate citata, assignatur ratio quare vtrumque facere debeamus, scil. Deum timere, & mandata eius seruare, *Quia hoc est omnis homo.* Ratio est, quia timens Deum, & mandata eius obseruans est in charitate, sine qua homo non est, secundũ illud, 1. Cor. 13. *Si charitatem non habuero nihil sum:* Vnde & Beatus August. 20. de ciuit.

1. Cor. 13. 2. Dei: ideò, hoc est omnis homo quia quicunque est hóc, id est, obseruator mandatorum

Timor Dei. Dei, vbique est: Quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatis imaginem reformatur remanens in similitudine vanita-

Ps. 72. 20. tis, vnde Propheta, Psal. 72. *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

Ezech. 20. 4. Ezech. 20. *In praeceptis meis non ambulauerunt & iudicia mea non custodierunt,* quæ faciens homo viuet in eis, scilicet, hic vita gratiæ, & tandem vita gloriæ: Ad quam nos perducat Christus filius Dei, qui sine fine viuit & regnat.

AMEN.

IN FVNERE CVIVSDAM DIVITIS AFflicti.

THEMA.

Humiliasti nos in loco afflictionis & cooperuit nos vmbra mortis. Psal. 43. Psal. 43. 21.

MIxta corpora, ex prædominante elemento denominari solent: Ideoque corpus humanum, licet sit mixtum & ex quatuor contrariis compositum, tamen quia plus apparet in eo virtus & proprietas terræ, vt est grauitas, & corpulentia, terrestre vocatur, 2. Cor. 5. *Scimus quod si terrestris domus nostra dissoluatur.* Imo etiam hac de causa, homo ipse terra vocatur. Eccl. 10. Quid superbis terra & cinis? Vnde homo ab humo dicitur, hoc est, ab humida terra: Sicut & animalia in quibus prædominatur proprietas aquæ, dicuntur aquea siue aquatica, & sic de aliis. 2. Cor. 5. 1. Loca tria

Porro tria sunt loca principalia habitationis humanæ. Primus locus est fœlicitatis æternæ, cœlum videlicet Empyreũ. Psal. 22. *In loco pascuæ ibi me collocauit.* Psal. 22. 1.

Baruch. 3. 10. Alius est infimus, qui est damnationis, scilicet infernus, vbi dæmones degunt & peccatores. Baruch. 3. *Coinquinatus es cũ mortuis, deputatus es cũ descendentibus in infernũ.*

Mundus particeps delectationis & tristitiæ. Tertius locus est medius, id est, mundus: Et quia medium participat naturam extremorum, sicut aër conuenit cum igne in calido, & cum aqua, in humido, eo quod medium locum obtineat inter ignem & aquam. Sic quia mundus medius locus est, inter Paradisum, in quo est summa delectatio & infernum, in quo est summa tristitia & afflictio, *Prou. 14. 13.* habet quandam admixtionem consolationis & afflictionis, Prouerb. 14. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* Tamẽ *Mundus locus tribulationis.* quia mundus plus mœroris particeps est, locus afflictionis nominatur: in quo primum hominem, post peccatum superbiæ, constituit, vt humiliaretur: Eoque fine mortis sententiam aduersus omnes homines pronunciauit, quia nulla potentia, nullaque diuitiarũ copia, aut honorum superbia morti resistere potest. Habemus igitur duo: Primum est, quod mundus dicatur locus afflictionis: Secundum, aduersus homines Deum sententiam mortis fulminasse, vt humiliarentur. Idipsum docetur in verbis thematis. Vbi tria describuntur, quæ circa homines fieri solent.

Primum est beneficium, quo deijcimur ex diuina misericordia.

Secundum eſt, ſupplicium quod patimur ex diuina iuſtitia.

Tertium eſt, exterminium, quo corrumpimur ex diuina potentia.

Qui manu lapidem tenet, primò demittit, deinde in altũ proiicit: Sic Deus quos priùs humiliat, poſtea exaltat. Eccleſ. *Humiliat & exaltat circumſpector Deus.* Humiliat autem dupliciter. Vno modo per pœnitentiam & contritionis mœrorem. Eccl. 4. *Presbytero humilia animam tuam.* Alio modo humiliat nos Deus per tribulationes & afflictiones, quæ ſi patienter ferantur, ad magnam lætitiam perducunt: Sicut ille, qui à chyrurgo incenditur & inceditur, ſi ſanetur & euadat mortẽ, multùm lætatur. Ita de tribulationibus quæ ſæpiſſimè hominẽ à peccato & morte æterna liberant, Pſalm. 89. *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala.* In quibus verbis, tanguntur quatuor effectus tribulationum. *Humiliat Deus ſuos.* Eccl. 4. 7. Pſal. 89. 17.

Primus, quia lætificant. Secundus, quia clarificant. Tertius, quia humiliant. Quartus, quia mollificant.

Tribulationes ſunt cauſa lætitiæ triplici ratione. Primo ratione patientiæ, quia tribulatio patientiam operatur: Patiens vero licet patiatur, mente tamen conſiderat tribulationum fructus & præmium, ideoque lætitia magna afficitur: Vnde 2. Machabæ. 6. Dixit Eleazarus, *duros corporis ſuſtineo dolores: ſecundum animam vero propter timorem tuum li-* *Tribulationum fructus & effectus.* 2. Matth 6. 30.

libenter hæc patior. Multi etiam martyres idem fecerunt, qui ingemiscebant carne, sed lætabantur corde.

Consolatio martyrum. Secundò tribulationes sunt causa lætitiæ, ratione diuinæ gratiæ: Infundit enim aliquãdo Deus tantam gratiam & consolationem in mediis tormentis, vt ea non sentiantur, sed eleuetur anima ad diuina, quibus magis delectetur, quàm à corporalibus pœnis affi-

Deutero. 8. 3. ciatur. In huius rei apparet figura Deuter. 8. Quando dicitur. *Afflixit te penuria, & dedit tibi manna.* Quanto amariores sunt herbæ, quibus debet fieri medicina, tantò plus saccari, & mellis immiscendum est illis, vt ab

Psal. 93. 19. infirmo absorbeatur. Psalm. 95. *Secundum multitudinem dolorum meorum, in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Tertiò, tribulationes sunt causa lætitiæ, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei, quod patet exẽplo Christi & Sanctorum, quorũ tormẽta & cruciatus si diligentiùs considerẽtur, maximam consolationẽ afferre possunt. D. Bernardus magna est consolatio membris ex capite. D. Gregor. Facta præcedentium recolamus, & non erũt nobis grauia quæ toleramus. Vnde qui sibi ante oculos ponũt exẽpla Christi & martyrũ magna lætitia in mediis tribulationi-

Esa. 16. 7. bus afficiuntur. Esa. 19. *Lætantur super muros cocti lateris. Hi muri fuerunt* Sancti martyres excocti igne passionis, defendentes fidẽ Christi, & munientes Ecclesiam. Docẽt nos igitur per afflictiones cœlũm scandendum esse,

vt ibi omni fruamur lætitia, Esa. 66. *Lætamini cum Hierusalem, & exultate in ea, omnes qui diligunt eam, gaudete cũ ea vniuersi, qui lugebatis.* Esa. 66. 10.

Secundus effectus tribulationum est, quia clarificant animam, & ideo vocantur dies: Dies enim dicitur à dian, quod claritatem significat. Claritas autem diei duobus modis inducitur: Vno modo per purificationem aeris: Nam quando aer est plenus densissimis nubibus, tunc quandoque ita obscuratur, vt nox esse potius videatur, quam dies: At vero Aquilonali flante, nubes expelluntur, purificatur aer atque illuminatur. Sic peccator iniquitatibus plenus, animam ita perfusam tenebris habet, vt in nocte obscurissima degere videatur. Sed flante tribulationis vero, ad sui cognitionem & pœnitentiam sæpissime homo redit, sic purificatus clarescit. Proinde dicet, *Nox præcessit: dies autem appropinquauit, abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Rom. 13. *Dies claritatem significat.* Rom. 11. 12.

Secundo inducitur claritas Dei per illuminationem Solis de super terram. Sol enim iustitiæ Christus ad hominem redit per pœnitentiam eiusdem hominis, sicut abfuerat per peccatũ. Iacob. 4. 8. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*: Sicut portus appropinquat naui, quãdo nauis appropinquat ei. Zacha. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*: Scilicet, à tenebris peccatorum recedendo, & ego conuertar ad vos: scilicet, lumen gratiæ infundendo. Psalm. 138. Zacha. 1. 3. Psal. 138. 11.

Nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ, ita &
Iob. 17. 12. *lumen eius.* Iob 17. *Noctem verterunt in diem.*

Tertius effectus tribulationum est, quia humiliauit, vnde dicit, *quibus nos humiliasti:* Psalm. 89. 17. Nam sicut inclinantur arbores pondere pomorum, ita homines pondere
Psal. 88. 11. tribulationum, Psalm. 88. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.* Sed tamen si talis humiliatio sit ficta vel violentia tantùm, non
2. Machab. 9. 8. valet ad salutē: Sicut humiliatio Antiochi. 2. Machabæ. 9. *Humiliatus ad terram, in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso*
Humileatio ficta. & perfecta. *contestans. Post hoc cœpit ex graui morbo superbia deductus, ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga.* Et infra: *Orabat autem scelestus Dominum à quo non esset misericordiam consecuturus.* Eccl. 12. *Si humiliatus vadat curuus, adiice*
Eccl. 12. 11.
animum tuum, & custodi te ab illo. Aliquando
3. Reg. 21. 28. etiam si sit imperfecta, valet ad salutem temporalem sicut patet in Achab. 3. Reg. 21. *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum,* in diebus eius 2. Paral. 12. *Quia*
2. Paral. 12. 7.
humiliati sunt, non disperdam eos. Sed si sit vera & perfecta humiliatio, liberat hominem, à
Psal. 114 6. malis temporalibus & spiritualibus. Psalm. 114. *Humiliatus sum & liberauit me,* Iob. 22. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.*

Quartus effectus tribulationum est, quia mollificant, hoc est, ad commiserationem incitant: Nam etiam qui erat durus & immisericors dum patitur, ad misericordiam faciliùs

flectitur: Vt ferrum in ignem missum, ita mollescit, vt faciliter adhæreat ferro ignito: Ita igne tribulationis afflictus faciliùs compatitur alteri afflicto, & ex tali compassione accrescit homini præmium lætitiæ: Ideoque dicitur in auctoritate, & pro annis. sup. *Lætati sumus, quibus vidimus mala*, Sup. eis compatiendo. Qui vero diligunt mala aliorum, lætantur de eis, sicut inuidi, & sunt castigatione digni. Sap. 15. *Malorum amatores digni sunt morte*: Et sic qui malum aliis intulerunt recipient ea. Esa. 3. *Væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala*. Psal. 89. 17. Sap. 15. 6. Esa. 3. 8.

Secundò, ponitur in themate assumpto, supplicium, quod patimur, ex diuina iustitia: Quia propter peccata nostra positi sumus in loco afflictionis. Qui duplex est. Vnus per se, alter per accidens: Per se quidem ille est afflictionis locus, quia ad hoc solum deputatus est, vt existentes in eo affligantur, est que locus hic, infernus, vnde vocatur locus tormentorum. Luc. 16. *Testetur illis ne & ipsi veniant in locum tormentorum*: Estque pessimus locus. Malus quidem propter tormentorum acerbitatem: Peior propter tormentorum pluralitatem: Sed pessimus propter tormentorum æternitatem: possunt igitur dicere damnati illud Numer. 20. *Adduxistis nos in locum istum pessimum*. Alius locus est afflictionis, hic videlicet mundus in quo fuit positus homo, vt delectaretur, & ad meliora promerenda operatur secũdum illud Gen. 2. Psal. 43. 21. *Infernus.* Luc. 16. 28. Numer. 20. 5. Gen. 2. 8.

Plantauerat autē Dominus hominē quē formauerat, &c. Tulit ergo Deū hominē, & posuit eum Dominus in paradiso voluptatis, vt operaretur. Sed postquam peccauit, eiectus est è paradiso, & in locum afflictionis expulsus est, vt humiliaretur, & ita dicere potest Psalm. 37. *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis.* Vnde propter peccata hominum, frequenter inducit Deus in mundum magnas afflictiones, ideóque dicit Hierem. 19. *Inducam afflictionem super locum istum, ita vt omnis qui audierit illam, tinniant aures eius, eo quod dereliquerunt me.* In quibus quidem verbis tanguntur quatuor rationes, cur tribulationes præsentis vitæ sunt patienter ferendæ. Prima sumitur ex parte inferentis. Secunda ex parte continentis. Tertia ex parte audientis. Quarta ex parte patientis.

Psal. 37. 8.

Hierem. 19. 3.

Tribulationes patienter ferendæ.

Circa primū nota infirmū patienter à medico illatas afflictiones & dolores sufferre, eo quod ad sanitatē referātur. Ita quod à DEO infligitur, æquo animo ferre debemus, quia nos sanare intendit & corrigere. Bene igitur speret infirmus, quando Deum videt sua vulnera curantem. Qui hic prospera fortuna vtitur, est veluti ægrotus à medico desperatus & derelictus, cui nihil eorum quæ expetit denegatur. Hinc D. Grego. desperatis ægris medici quicquid poscunt, dare præcipiunt: quæ autem ad salutem reduci possunt, dari multa contradicunt. Maius ergo benefi-

cium confert Deus homini, quando ipsum affligit, quàm cum prospera concedit. Plus enim confert puero peccanti, qui eum castigat & corrigit, quàm qui omnia ad libitum agere permittit: Et frænetico, qui eum ligat, quàm qui eius non coercet insaniam: Tunc enim exponitur periculo, sicut nauis sinè gubernaculo & anchora, procellis, ventis & tempestatibus. D. Grego. Mactandus vitulus liber ad pascua dimittitur, seruandus iugo præmittitur, quia iniustus ad debitam mortem currẽs, effrænatis voluptatibus vtitur, iustus vero à delectatione retrahitur transitoriæ iocunditatis, vnde Iob. 6. *Hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore, non parcat.* Apparet vero tunc Deum, suo commodo peccatorem affligere, quando ad pœnitentiam sesé conuertit. Leuit. 26. *Affligentur donec confiteantur peccata sua, & maiorum suorum recordentur, quibus præuaricati sunt in me.* Hoc etiam affectu petebat Hieremias affligi cap. 17. *Induc super eos diem afflictionis.*

Tribulationes bonæ. *Iob. 6. 10.* *Leuit. 26. 20.* *Hierem. 17. 18.*

*S*ecunda ratio, quare afflictiones vitæ sunt patiẽter tolerandæ, sumitur ex parte cõtinentis, id est, loci in quo sumus; hinc glosa super eum locum. Videmus locum prophanari propter ea quæ in illo fiunt: Sicut Ecclesia quæ violatur propter sanguinis effusionem vel seminis in ea. *S*ic mundus quodammodo particeps efficitur malorum, quæ in eo perpetrantur. *S*i propter

afflictiones, homines ad se redeant & de peccatis conterantur, locus purgari dicitur, atque ita sicut fuit malorum, ita fit particeps bonorum. Vnde 2. Macha. 5. Dicitur, *Non propter locum gentem, sed propter gentem locum elegit Deus*. Ideoque locus ipse factus est particeps populi malorum: postea autem fiet socius bonorum, dominique reconciliatione, cum summa gloria exaltabitur, ac tādem mundus homine glorificatur, renouatur, & glorificatur.

2. Machab. 5. 19.

Tertia ratio, cur afflictiones sint patienter ferendæ, est, ex parte audientis. Punitur enim, & aliquando affligitur peccator, vt alij qui audierunt terreantur. Porro in exemplum aliorum aliquando iusti, & peccatores affliguntur. Iusti quidem, in exemplū patientiæ, vt sicut habetur de Tobia cap. 2. & de Iob. Peccatores vero in exēplum timoris & terroris, & vt homines à peccato retrahantur. Quando enim ex magnitudine pœnæ, quis terreretur, illi aures tinnire dicuntur. Et quia duplex est pœna, qua homo potest affligi, Scil. per subtractionem boni, & illationem mali, quāto ex vtroque auditu aliquis multum terretur, & admiratur, ambæ illius aures tinnire dicuntur. Dextera propter timorem, ex bonorum subtractione, Sinistra propter timorem ex malorum illatione. Vnde 1. Reg. 3. *Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinniēt ambæ aures eius: In die illa suscitabo aduersus Hely,*

Tob. 2.

Pœna duplex.

1. Reg. 3. 11.

Hely, omnia quæ locutus sum, super domum eius.

Quarta ratio, quare tribulationes sunt patienter ferendæ est, ex parte patientis, quãdo ille, qui patitur, meretur affligi, vnde Luc. 23. Dixit Latro, cruci affixus cum Christo, *Nos quidem iuste*, Sup. *patimur, nam digna facti recipimus*. Esa. 46. *Ego feci, & ego feram*. Et ideo in auctoritate citata adduxit iustam causam afflictionis inducendæ. *Quia dereliquerunt me*, ratio enim culpæ magis attenditur penes auersionem à Deo, quàm penes conuersionẽ ad creaturas, vnde si aliquis ita conuerteretur ad creaturam, vt à Deo non se auerteret, non peccaret, causa igitur cuiuscunque culpæ, est auersio à creatore. 3. Reg. 9. *Quia dereliquerunt Dominum Deum suum. Idcirco inducit Dominus super eos, omne malum*: Et merito, quia in Deo quem dereliquerunt est omne bonum.

Luc. 23. 41.

Esa. 46. 4.

Auersio à Deo.

3. Reg. 9. 9.

Tertiò in themate assumpto ponitur exterminium, quo corrumpimur, scilicet mortis, cum dicitur, *corripuit nos vmbra mortis*, id est moriendi necessitas. Estque ea nostra mortalitas. Nam antequam homo non peccaret poterat homo non mori, & ita possibilitas non moriendi, erat quædam vmbra nõ moriendi vitæ futuræ, sed post peccatum, moriendi necessitatem habuit, ideoque semper, viuendo tendit ad mortem, estque vmbra mortis, ipsam in viuente mortem præcedẽs. 1. Paral. 29. *Dies nostri quasi vmbra sunt su-*

Ps. 43. 20.

1. Paralyp. 29.

per terram. Iob. 3. *Obſcurent eum, diem* ſup. *tenebræ,* Sup. ignorantiæ, *& vmbra mortis.* Vel ipſa mors vocetur vmbra mortis æternæ,
Pſal. 48. 14. quia eſt in inferno, de Pſal. 48. *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* Scil. excoriato corporis indumento, & abſtonſa lana bonorum temporalium, depoſitæ ſunt animæ in inferno, velut oues excoriatæ, vbi mors ita depaſcet eos, vt nuſquam extinguãtur, quia mors in eis ait Greg. ſemper viuit, & finis ſemper incipit, & defectus nunquam deficit. Et ideo ſecundum D. Bernard. ſemper moriuntur ad vitam, & ſemper viuunt ad mortem. Aſſimilatur ergo mors corporalis illi morti æternæ, quia ſicut mors corporea ſeparat carnem ab anima, ita æterna animam à Deo: Et ſicut illa priuat animã vita naturæ & bonis temporalibus, ita hæc vita gloriæ ſpoliat & æternis bonis. Non tamen iſta, illi adæquatur, quia ex hac nunquã tranſitur ad lucem, ſed ex obſcuritate cor-
Iob. 12. 22. poreæ mortis, aliquando ad lucem gloriæ peruenitur Iob. *Subito cum apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis.* Et in eodem lib. cap. 12. *Producit in lucem vmbram mortis.* Et hoc fit, quando ex morte corporali percutitur aliquis ad lucem æternę gloriæ. Ad quam nos perducat, qui ſine fine viuit & regnat. Amen.

Mors æterna.

IN FVNERE CVIVSDAM DIV. INFIRMI.

THEMA:

Melior est mors, quã vita amara, & requies æterna quàm languor perseuerans. Eccles. 30. Eccl. 30. 17

CONTINGIT sæpissimè vt ea quæ sunt & magis expetenda, ex aliqua circunstantia minus eligenda censeantur: quemadmodum Philosophari multò melius est secundum se, quàm ditari, Prouerb. 8. *Melior est sapientia cunctis opibus*: Veruntamen si Philosophari Prouerb. 8. 11. iunctum sit cum maxima indigentia, non est magis expetendum. Hinc Philosophus ait in lib. Top. quod Philosophari est melius, quam ditari, sed non magis eligendũ indigẽti. Sic vita magis eligenda est quã mors, quod est intelligendum ei, cui mors est noxia, & vita iucundissima, licet melius sit corpus viuere, quam in sepulchro quiescere. Si tamen diuturnitas vitæ esset continuò labori & languori coniuncta, non esset melius nec optabilius. Estque illud ipsum quod docetur verbis in them. propositis. *Melior est mors, quam vita amara.* In quibus quidem verbis quatuor Ecclesiasticus facit.

Primò, extollit illud, quod est terminatiuum afflictionis.

Secundò, despicit illud, quod est afflictionis inclusiuum.

Tertiò, adiungit illud, quod est afflictionis exclusiuum.

Quartò, describit illud, quod est afflictionis continuatiuum.

Iudicium affectus sequitur. Vnicuique illud videtur melius, quo magis afficiatur, vt auaro qui vehementissimo ardore ad diuitias fertur, potius mori eligeret, quàm illis carere & indigentem esse Eccl. 40. *In vita tua ne indigeas, melius est enim mori,* *Eccl. 40. 29.* *quàm indigere.* Quod etiam potest exponi de homine sapiente & virtute prædito, qui præfert dona Spiritualia, propriæ vitæ. Ambitiosus etiam quia nimio amore erga honores afficitur, potius mortem expeteret quam gloria & honore priuari, vel aliquam ignominiam pati. Hinc D. Ambros. super *1. Cor. 9. 15.* illud 1. Cor. 9. *Bonum est magis mihi mori, quàm vt gloriam meã quis euacuet.* Apostolus, inquit, illud verbum dixit, non de gloria vana, sed de vera & spirituali, quam habebat ex Euangelij prædicatione sine sumptu & eleemosynis, sed de proprio labore victitans. Homini vero virtutis amantissimo melius & gloriosius mori videtur, quàm contempta virtute, vitiosam vitam degere 2. Machab. 6. *2. Machab. 9. 19.* Loquens de Eleazaro. *Iste gloriosam mortem, magis quàm odibilem vitam complectens, volun-*

tariè praibit ad supplicium. Vbi prærogatiua mortis viri probi & fortis, apparet ex quatuor.

Primo ex commendatione. Secundo ex comparatione. Tertio ex prælectione. Quarto ex patientis feruore.

Mors alicuius viri sanctissimi vt martyris dici potest gloriosa, gloriosior & gloriosissima. Gloriosa quidem ratione pugnæ, moriendo enim viuunt martyres, & cadendo resurgunt, morteque victoriam comparant. Sicut affirmat D. Chrysost. Dicitur gloriosior ratione causæ, quia martyrem non facit pœna, sed causa, puta si patiatur propter iustitiam vel fidem, aut legem Dei, sicut D. Ioan. Baptista. D. Paulus & multi alij. Verum dicitur gloriosissima, ratione victoriæ & coronæ, quia martyr non solum coronatur laurea, sed etiam laureola Psalm. 8. *Gloria & honore coronasti eum Domine.* Generaliùs etiam ista mors potest dici gloriosissima, quam præcessit testimonium bonæ consciẽtiæ. 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Sed illa est gloriosior, quam sequitur approbatio diuinæ iustitiæ. Cor. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur: Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Sup. approbando eum post mortem. At vero illa mors est gloriosissima, quæ ad visionem claritatis æternæ perducit, vbi erit clarissima cum laude notitia, Psalm. 146. *Gloria hæc*

Mors viri Sancti gloriosa.

Psal. 8.6.

2. Cor. 1.12.

2. Cor. 10.

Psal. 149. 9. *est omnibus sanctis eius.* Et Psalm. 115. 5. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Hæc mors ex bona vita, sicut ex cultura bonæ terræ pretiosus sequitur fructus, Sap. 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus.*

Sap. 3. 15.

Superbia. Secundò apparet ex comparatione, quia comparatur ad vitam odibilem peccatoris, nam *altissimus odio habet peccatores.* Eccl. 12. Et maximè superbos. *Quia odibilis est coram Deo, & hominibus superbia.* Eccl. 10. 7. Est etiam odibilis proximo, quia licet homo debeat in quolibet proximo suo naturam diligere, vitium tamen odisse debet. August. in sent. Prosperi, sic diligendi sunt homines, vt eorũ non diligantur errores. Aliud enim est amare quod facti sint, aliud odisse quod faciunt. Psalm 118. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.*

Eccl. 12. 3.

Psal. 118.

Amicitiæ proprietates quinque. Item est peccatoris vita odibilis sibi ipsi: Quod probari potest ex quinque amicitiæ proprietatibus iuxta Aristot. 9. lib. Ethic. Quisque amicus est. Primo vult amicum suum esse & viuere: Secundo ei quem diligit amicus vult bona, mali vero non appetunt animæ suæ bona. Tertio bene facit iis quos amicus diligit, mali vero non operantur animæ suæ bonum. Quartò amici apud se viuunt, cum maxima delectatione, improbus cum magno cruciatu secum viuit, ob peccata præterita & præsentia, quæ in memoriam reuocat. Quinto amicus amico consentit

& concordat, gaudio siue tristitia affecto, mali vero sibi ipsis non conueniunt propter conscientiæ aculeos mordaces: Ex quibus omnibus patet, vt qui *diligit animam suam* Psal. 10.

Tertio ostenditur prærogatiua mortis viri generosi, ex prælectione quia antepofuit illam vitæ odibili. Si quis Dominum suum multum offendisset ita vt ei vehementer iratus, coram eo in iudicium vocaretur, non dubium, quin si aliquis patronus & intercessor accederet, qui Dominum precaretur & mitigaret, libentissime eum susciperet. Sic peccator multorum criminum reus apud Deum, quidni maximo animi conatu complecti Dei placatorem in iudicio? Eccles. 4. *Qui vigilauerint ad istam*, Sup. mortem, *complectentur placatorem*: Isti autem est pœnitentiæ luctus.: Cuius figura habetur apud Esa. 38. in Ezechia, qui cum audisset, *dispone Domui tuæ, quia morieris tu, & non viues: Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit. Obsecro Domine*, &c. Et fleuit Ezechias fletu magno. Et statim rediit Propheta ad eum, ostendens Deum esse placatum, dicẽs, *audiui orationem tuam*, &c.

Psal. 10. 6.

Similitudo.

Eccl. 4. 13.

Esa. 38. 1.

Porro fletus hic pœnitentiæ debet esse cum dolore contritionis, cum rubore confessionis, & cum labore satisfactionis. Ista enim sunt munera, quibus ira Dei

Pœnitẽtia.

placatur. Genes. *Placabo eum muneribus.* Per ista etiam tria, extrahuntur tres spinæ peccati, videlicet oris, cordis & operis, ex quo nerui id est spinæ se inuicem complectũtur. Nam ex peccato cordis, procedit peccatum oris, ex quo etiam sequitur peccatum operis, vt qui deliberata voluntate sollicitat mulierem ad libidinem & actum carnis: Verum prima spina; quæ est peccatum cordis extrahitur contritionis dolore: Secũda spina, hoc est peccatum oris, remouetur per pudorem confessionis. Tertia vero, peccatum operis, tollitur labore satisfactionis.

Interim obseruandum est, nedum hominẽ iustum, sed etiam peccatorem interdum potius mortem eligere quam vitam, sed diuersã ratione: Peccator quidem non ratione culpæ, sed tantum pœnæ, vt pœna videlicet quã hic patitur breui finiatur. Hierem. 8. *Eligent magis mortem quam vitam, omnes qui residui fuerint, de cognatione hac pessima.* At iustus & ratione pœnæ, & ratione culpæ, quia potius vult quamcunque pœnam perferre, quàm committere culpam, Hebr. 11. *Magis eligens cum populo Dei affligi quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* Ideoque martyres potius voluerunt occidi, quàm contra fidem peccare. Ratique etiam pœnæ, quia multoties potius eligunt mori, quam videre, vel experiri mala huius præsentis vitæ Tob. 3. *Expedit mihi magis mori, quàm viuere.* 1. Machab. 3. *Melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ.*

Hierem. 8. Hebr. 11. 25. *Tob. 2. 6.*

 2. Machab.
Quartò, in auctor. adducta ostenditur prærogatiua viri fortis atque generosi, pura martyris ex feruore patientiæ, *quia voluntarie præibat ad supplicum.* Vbi notandus est feruor martyris: Primo ex electione, quia voluntarie non coactè: Secundo ex præuentione, quia præibat: Tertio ex passione, quia ad supplicium: Eódem modo vtinam ad supplicium pœnitētiæ peccator progrederetur.

Primo libenti animo & voluntarie, per correctionem peccati præteriti. Eccl. 20. *Eccl. 20. 4.* *Quam bonum est, correctum manifestare pœnitentiam*: Sic enim effugies voluntarium peccatum: Per præuentionem, Luc. 1. *Præibis* *Luc. 1. 76.* *Psal 94. 2.* *enim ante faciem Domini parare vias eius*, per confessionem, sup. accelerando, Psal. *Præoccupemus faciem eius in confessione.* Per patientiam, suscipiendo & tolerando pœnam satisfactionis, ne ad maius supplicium mittatur, sup. æternum, Matth. 25. *Ibunt hi in* *Matth. 25.* *supplicium æternum.*

Secundo in themate assumpto ponitur il- *Eccl 30. 17.* lud, quod est afflictionis inclusiuum, scilicet vita amara. Duplex verò est amaritudo. Vna præsentis vitæ: quæ figurata est in aquis Marath, quę per immissionem ligni dulces factæ sunt. Exo. Et ideo dicitur Eccl. *Nonne à ligno dulcorata est aqua amara?* Ita sancti *Amaritudo* viri meditando lignum crucis, & dolores *vitæ.* Christi tormenta quæ in cruce passus est, amaritudines huius vitæ facillime dulcorant. Alia est amaritudo vitæ sequentis, id est in-

Iob.3.20. ferni, quæ nec remoueri potest, nec etiam temperari. Iob.3. *Quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt?* Vbi aggrauatur & horrenda esse ostenditur damnatorum pœna, ex quatuor.

Primo ex priuatione boni.
Secundo ex grauitate mali.
Tertio ex duratione supplicij.
Quarto ex afflictione animi.

Damnatorum pœna horrenda ob quatuor.

Dici potest damnatus omnis, miserrimus, eo quod omni bono sit destitutus. Quod triplex est, supernum, externum, & internum: Superum, est cœlestis beatitudo, quam reipsa beati possident, viatores in spe. Sed damnati nec in re, nec in ipse. Bonum autem externum, est omne temporale bonum huius vitæ præsentis: Quo etiam priuati sunt damnati. Internum vero est gratia, virtutes, & dona spiritus sancti, quibus etiam carent damnati. Ergo cuilibet damnato poteris dicere. *Tu es miser, & miserabilis & pauper.*

Secundò aggrauatur pœna damnatorum ex cognitione mali, quia optimè sentiunt mala, quæ patiuntur. Quæ lux misero data est, in pœnam: Quantò enim plus cognoscit malum suum, tantò magis affligitur, quia dolor est læsionis perceptio, ideoque ignorantia mali pœnam minuit. Itaque non deest damnatis lumen intellectus, quo cognoscat, & bona quæ amisit, & mala quæ

patitur. Iob. 12. *Producit in lucem vmbram mortis.*

Tertio aggrauatur eorum pœna ex duratione supplicij, quia damnato data est vita indeficiens: vnde vt nunquam careant miseria nunquam carebuut vita, expetent quidem mori, vt miseria careant: Licet enim non esse, per se non sit expetibile, tamen in quantum à miseria liberaret, habet rationem boni, Apo.9. *Desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*, Psal. 48. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* *Apoc.9.6.* *Psal.48.8.*

Quartò aggrauatur eorum pœna ex amaritudine interiori. Tria sunt peccata præcipua, quæ in animo amaritudinem generare solent. Odium, inuidia, & ira. Quæ perpetuo in damnatis remanent. Odio enim habēt Deum, sanctos, patres & filios. Inuident etiam in Deum, sanctos, & in seipsos. Ideo maxima amaritudine animæ cruciantur. Esa. 24. *Amara erit potius bibentibus illam.* Ezech. 27. 31. *Plorabunt in amaritudine animæ, ploratu amarissimo.* *Esa.24.9.*

Tertiò, in themate assumpto ponitur illud quod est afflictionis exclusiuum, scilicet requies æterna. Quandiu enim quis mouetur aut laborat, non requiescit, ideóque cum homo in hac vita perpetuò laboret, nec in eodem statu permaneat, requiem habere non potest. Micheæ. 2. *Michæ.2.10*

Apo. 14. 13. *Surgite & ite, quia hic non habet requiem*: At finito motu & labore, erit in alia vita perpetua quies. Apo. 14. *Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Laboriosus omnis motus fit propter aliquam indigentiam, vel bonum aliquod obtinendum: in cœlo nihil tale est, quia aberit omne malũ, & aderit omne bonum, propterea ibi est opulenta requies. Esa. 32. *Sedebit populus meus in*
Esa. 32. 18. *pulchritudine pacis, & in tabernaculo fiduciæ, & in requie opulenta.* Ideoque cœlum Empyreũ
Ps. 131. 15. sedes beatorum non dicitur moueri, Psal. 131. *Hæc requies mea, in seculum seculi, hic habitabo,* &c.

Simile. Quartò notatur in themate assumpto illud, quod est afflictionis continuatiuum, scil. languor perseuerans: qui quemadmodum
Eccl. 10. 11. grauat medicum; ità perseuerentia & diuturnitas peccati cœlestem offendit medicum. Eccl. 10. *Languor prolixior grauat medicum.* Nã vt ait D. Hiero. Humanum est peccare, sed perseuerare diabolicum: Et sicut languor breuis facilè sanari potest, Eccl. 10. *Breuem languorem præcidit medicus*, inueteratus autem difficiliter expiatur vel corrigitur, quia cõsuetudo est altera natura, per quam, quasi iuuatum redditur peccatum. Hinc Seneca. Quod iuuatum est, vel infixum, non tollitur sed linitur. Sanatur tamẽ omnis languor spiritualis, per medicum cœlestem. Deutero. 7. *Auferet Dominus à te omnem languorem,*
Deuter. 7. 15 sed primò adhibenda est pœnitentię medici-

na, per quam acquiritur sanitas gratiæ & gloriæ. Ad quam Christus Dei filius nos perducat. Amen.

IN FVNERE ALICVIVS VIRI ROBVSTI.

THEMA.

Iste moritur robustus & sanus. Iob. 21. *Iob.21.23.*

VT plurimum videmus robustiores & fortiores citiùs deficere atque debilitari quàm debiliores & infirmiores. Sicut Leo licet sit fortior & robustior ceruo, breuiori tamen vita viuit, quàm ceruus: Et fortior est falco, quam cornicula, & lignum castanearum est fortius palma. Eodem modo, qui valetudinarii sunt sæpe diutiùs viuunt ijs, qui sani & robusti iudicantur. Atque inde colligimus neminem in robore corporis & bona valetudine confidere posse. Idipsum accidit nostro defuncto, propterea dictum est, *in Themate. Iste moritur robustus & sanus.* In quibus quidem verbis tripliciter describitur noster defunctus.

Primò, ex correptione imminenti.

Secundò, ex fortitudine præcedenti.

Tertio ex valetudine apparenti.

Malũ prævisum minus nocet. Obserua circa primum repentina mala multo periculosiora esse præuisis, quia iacula præuisa minus feriunt: Ideoque subitanea

Eccl. 11. 13. mors est valde periculosa, quia in morte sententia à Deo fertur pro æternitate, nec vsquam reuocanda. Eccl. 11. *Si lignum ceciderit ad austrum, vel ad Aquilonem, ibi erit.* sup. in æternum. D. Hiero. ait, vbicunque locum tibi præparaueris, futuramque sedem, siue ad austrum, siue ad Aquilonem, ibi cum mortuus fueris, permanebis.

Verum ille dicitur morte subitanea interire, qui nulla præuia cogitatione de ea, etiam senex moritur: Iuxta quam sententiã multi peccatores subitò moriuntur, & ma-

Iob. 34. 20. le, quia finem suum pręuidere neglexerunt. Et de talibus, ait Iob. 34. *Subito morientur, & media nocte curuabuntur populi, & pertransibunt.* In quibus quidem verbis de malorum morte quatuor describit.

Primò, eius velocitatem. Secundò, eius obscuritatem. Tertiò, eius humilitatem.

Mors subitanea. Quartò, eius mutabilitatem.

Primo igitur mali & peccatores dicuntur mori subitò, quia videlicet non præparati moriuntur. Ratio est, quia nimis rebus, ad hanc vitam pertinentibus, sunt intenti, vnde de morte nusquam cogitant, quæ tamẽ inopinanti contingit, sicut aui quiescenti super arborem superuenit sagittæ percussio. Fi-

guram huius habemus. 1. Reg. 25. in Nabal, qui interpretatur stultus, & insipiens: de quo ait scriptura, *percußit Dominus Nabal & mortuus est*, sup. subito. Esa. 30. Subito non speratur veniet contritio eius: Et ideo bene consulitur. Eccl. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius*, &c. 1.Reg.25.38 Eccl.5.8.

Secundò, describitur, Iob. 34. 20. mortis obscuritas, *quia media nocte*, id est, in obscuritate cordis, sicut 6. Grego. exponit, quia non eis data est lux, vt mortem præuiderent. Porro noctis obscuritas fit ex interpositione terræ inter nos & solem. Sic obscuritas auarorum ex interpositione cupiditatis terrenæ, inter animam ipsorum & Deũ. Ideoque ait D. Chrysosto. Tenebra animæ, est diuitiarum cupido, in qua moriuntur impœnitentes. Vnde dictum est illi diuiti, Luc. 12. Stulte hac nocte, id est in hac obscuritate animam tuam repetam à te, quia dum in temporalibus gaudere cogitabat, cœca anima eius rapta est, ad ea quæ ignorabat. Contra quod dicebat Apostolus. 1. ad Thessal. 5. *Vos non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat*. Dies enim illa, sup. mortis, illos tanquam fur comprehendit, quos improuisos & imparatos inuadit, & ad æterna supplicia rapit. *Obscuritas animæ vnde.* 1. ad Thessal.5.4.

Tertio describit Beatus Iob, mortis humilitatem, *quia curuabuntur populi*: Qui enim

Iob. 34. 20. curuari, hoc est, ad pœnitentiam humiliari noluerunt, humiliati per mortem diuinæ sententiæ, curuantur inuiti: Sicut taurus indomitus, qui refugit collum subdere iugo, humano studio subditur ei nolens: hic dicere poterit illud, Psal. 37. *Miser factus sum, & curuatus sum, vsque in finem.* Psal. 37. 6.

Quartò describitur mortis mutabilitas, *quia pertransibit*. Secundum Gregoriũ, aliud est transire, aliud pertransire, nam transimus viuendo, sed pertransimus moriendo. Nostra enim hæc vita perpetuò fluit ad mortem. Sap. 2. *Vmbræ transitus, est tempus nostrum.* Primus noster parens fuit conditus vt staret tempore transeunte, sed postquam peccauit, factus est cum tempore transiens, sic nos ex eadem radice corrupta propagati, de infantia ad adolescentiam, inde ad iuuentutem, senectutem & mortem transimus. Sap. 2. *Transibit vita nostra, tanquam vestigium nubis.* In morte vero transire dicimur, Psal. 102. 15. *Spiritus in illo pertransibit, & non subsistet amplius.* Roman. 5. 12. *In omnes homines mors pertransiet.* Sap. 2. 5. Sap. 2. 3.

Secundò in themate assumpto describitur homo defunctus ex fortitudine præcedenti, *quia robustus*: Robustus quis dici potest, à robore corporis, quod quidem non est virtus, licet sit virtutis instrumentum si bene quis illo vtatur. Accidit autem vt plurimũ, vt qui plus habet roboris, minus habeat virtutis: Sanson enim ab hostem non est superatus, Iob. 21. 23. *Robustus quis.*

peratus, sed à meretrice, & carnis voluptate. Hinc videre est, huiusmodi robur sæpissimè animæ salutem impedire, cum eo abutitur. Amos 2. *Robustus non saluabit animam suam.*

Secundo potest dici aliquis Robustus à robore mentis, multum discrepante à corporis fortitudine, quia plerumque imbecilles corpore, mentis valent robore, quæ est sapientia, doctrina, & prudentia, Prou. 24. *Vir sapiens fortis est, & vir doctus fortis & validus.* In quibus verbis tangitur triplex virtus hominis sapientis.

Amos.2.14

Prou.24.5

Sapientis virtutes.

Primò enim vir sapiens contemnit prospera: quia sapientia illuminans intellectum virtutes & bona cœlestia voluptati expetenda, proponit: Voluptates verò, & bona caduca & fluxa contemptibilia ostendit. Quãdiu ferrum igne incalescit emollitur, & facilè complicatur: Saxum quia durum & forte est, non emollitur: Sic quandiu cor non incalescit igne auaritiæ, est forte ad terrena cõtemnenda: Animus spiritualia degustans, despicit carnalia, quia gustato spiritu desipit omnis caro vilescunt etiam temporalia, cum considerantur æterna. Iob. 9. *Si sapiens corde est, & fortis robore.* Sapiens ad discernendum noxia: & fortis ad contemnendum ea: Appetitus enim ad huiusmodi vehementissimè fertur, quia vt ait D. August. Aliquando si noceat prodesse creditur, quod delectat: Ideoque requiritur fortitudo animi, ad

Iob.9.4.

vincendum talem appetitum, sup. carnis delectationum & mundi.

Secundò, vir sapiens ostenditur, habere virtutem tolerandi aduersa, dum dicitur,
Prou.24.5. *vir Doctus*, sup. à Domino robustus est. scil. ad tolerandum aduersa. Hoc Christus do-
Matth.5.10 cuit verbo, Matth. 25. *Beati qui persecutionem*
Ioan.15.20. *patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et exemplo, Ioan. 15. *Non est seruus maior Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur*, Psal. 143. 1. *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Hoc bellum per patientiam & bona opera, vincitur: Vnde D. August. Perfectio Christianitatis est bona facere, & mala pati. Hac fortitudine ad vitam æternam peruenitur.
Deut.31.23. In cuius figuram dixit Moyses Iosue Deut. 31. *Confortare & esto robustus.* Tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se patribus eorum, iurauit Dominus: Quæ terra regnum cœleste præsignificabat. Robustiùs pugnat miles, qui se relaturum spolia sperat, diuitemque euasurum. Sic Christianus fortiori & alacriori animo pu-
Pro.11.16. gnare debet, vt ęternas diuitias sibi comparet, Prouerb. 11. *Robusti habebunt diuitias*, & 21. cogitationes robusti semper in abundantia.

Tertio sapiens ostenditur habere virtutem vincendi tentationum certamina, ideo-

que dicitur validus, quasi valens contra omnium tentationum genera. Arx interiùs & exteriùs munita & circumvalata, hostibus facilè resistit. Sic anima interiùs virtutum munitionibus atque præsidio, exteriùs sensuum custodia corroborata, fortis est ad tentationibus omnibus resistendum. Prou. 18. *Substantia diuitis vrbis roboris eius, quasi murus validus circumdans eam.* Prou. 18. 11.

Tertiò, in themate assumpto, describitur defunctus, ex valetudine apparenti, *quia sanus*, sup. videbatur. Sanitas corporis subitò potest deperdi, percussione hominis vel Dei; Hierem. 14. *Percussisti nos, ita vt nulla sit vltra sanitas.* Vnde magis homo animæ sanitatem curare debet, quæ fit expellendo peccatum, quàm corporis; idque per pœnitentiam. Verùm sicut non valet mortuo medicina, sic nec pœnitentia post mortem. Hinc Eccles. 17. *Viuus & sanus confiteberis.* In quibus verbis tangũtur tria. Iob. 21. 23. Hier. 14. 19. Eccl. 17. 26.

Primò, tempus aptum pœnitentiæ, quod est in vita præsenti.
Secundò, pœnitentiæ commoditas.
Tertiò, pœnitentiæ necessitas.

Optimum ad pœnitentiam tempus, & cõmodissimũ, est hæc vita. Putatio enim arboris, quæ fit ad superfluos ramusculos remouẽdos, non prodest arbori mortuo sed viuẽti. Confessio.

Eccl. 17. 25. Confessio etiam peccatorum, quæ se habet vt quædam putatio facienda est, dum homo viuit. Eccl. 17. *Ante mortem confitere, à mortuo enim, quasi nihil perit confeßio:* Eo quod cōfessio fiat ad peccatorum mortalium expiationem: Quia de venialibus non necessario & absolutè tenemur confiteri Nec est de necessitate finis, quia etiam sine confessione vel actu, vel voto existente, possunt venialia remitti, quamuis sit perfectionis peccata venalia confiteri.

Pœnitendi commoditas Secundò in auctoritate adducta tangitur pœnitendi commoditas, quæ est, dum homo est sanus, quia tunc potest si libuerit peccata confiteri & pœnitere. Sicut infirmus sine *Ioan. 5. 2.* auxilio medicinæ sanari non potest, sic peccator sine auxilio pœnitentiæ. Figura huius habetur Ioan. 5. in probatica piscina, quæ quinque porticus habebat. In his iacebat multitudo magna languentium, qui erant incurabiles propter diuturnitatem morbi: Cœcorum, Claudorum & aridorum, in- *Pœnitentia est piscina.* curabiles propter morbi naturam. Sed qui primus descendisset in piscinam, post motionem aquæ, sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate. Ista piscina est pœnitentia, quinque porticus sunt, quinque pœnitentiæ opera, scilicet, contritio, confessio, carnis afflictio, eleemosyna & oratio: Tunc piscina mouetur, quando peccator diuina gratia mouetur, ad illa huiusmodi opèra præstanda. Languidi ergo significant assuetos &

inueteratos in peccatis: Cæci, per ignorantiam peccantes: Claudi, eos, qui bona nolunt operari. Aridi vero sunt terrestres homines sine pinguedine, hoc est, sine deuotione & charitate existentes. Qui tamen omnes sanantur virtute pœnitentiæ. Nec sufficit, quia indigent cautela & custodia ad sanitatem conseruandam, vnde opus est gratia vt caueat ab occasionibus peccatorum. In cuius figuram Dominus, Ioan. 5. Dixit paralytico curato. *Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deteriùs tibi contingat.* *Ioan. 5. 4.*

Tertiò, in auctoritate citata tangitur pœnitendi necessitas, cum dicitur; *confiteberis.* *Confessio.* Nam qui sua vult sanari vulnera ea detegat medico necesse est: Ita peccata sua detegat Sacerdoti oportet, per confessionem, qui vult salutem consequi. Anselmus: Peccata si celantur sunt insanabilia. Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Glosa hæc habet, mortalia solis sacerdotibus, & venialia atque læuiora socijs, quia de mortalibus est præceptum, de venialibus minimè, sed consilium. Quando apostema ad interiora recedit, sanari non potest, estque signum mortis. Sic peccatum absconditum causa est mortis æternæ, conuersum vero exteriùs, & manifestatum per confessionem, spiritualis sanitatis est indicium, Prou. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Abscondere peccata, est latrones occultare *Iacob. 5. 18.* *Prou. 28. 13.*

in domo sua, vel ignem in sinu suo: Qui confessus fuerit vere, pure & integrè, & spõtanee, & reliquerit ea voluntariè & opere, consequetur misericordiam, hoc est, veniã de peccatis, vt tandem ad vitam euolet sempiternam. Ad quam perducat nos Deus Optimus, Maximus, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

IN FVNERE SANCTI ALICVIVS VIRI.

THEMA.

Sperat iustus in morte sua, Prou. 14.

Prou. 14. 34 QVi suum colit agrum, in messe futura

1. Cor. 9. 10. spem collocat. 1. Cor. 9. *Debet in spe qui arat, arare: & qui triturat in spe fructus percipiendi*: Sic iustus, qui multa bonorum operum semina misit, debet bonam messem sperare, hoc est, bonam mercedem. Nam tempus laboris, est hæc vita, quia homo ad laborem nascitur, Iob. 5. Sed tempus messis, est tempus mortis, ad Galat. 6. 9. *Bonum facientes non deficiamus, tempore autem suo metemus non deficientes*, Ideoque dicitur in verbis

Iob. 5. 7. Thematis quod sperat; Quibus circa virum iustum & bonum, cuiusmodi hic fuit defun-

ctus, tria describuntur.

Primò, ponitur illud, quod est infirmitatis confortatiuum.

Secundò, ponitur illud, quod est voluntatis directiuum.

Tertiò, illud quod est fœlicitatis donatiuum.

Spes improborum & mundanorum est admodum vana, mendax, & incerta: spem enim omnem in eis rebus collocant, quæ eis mentiuntur, nàm mentiri est contra mentem ire: Alii in humana potentia spem ponunt, sicut Reges & Principes: Verum quia est fragilis, citò deficit, vt quando vnus deijcit alium, sicut Nabuchodonozor expulit Arphaxat Regem Persarum, & Medorũ qui gloriabatur in multitudine quadrigarũ suarum. Iudith. 1. Sic Alexander deiecit potentiam Darij Regis Persarum, Medorum & omnium Orientaliũ constituit prælia multa, & obtinuit munitiones, & interfecit Reges terræ, vt habetur Machab. 1. *Spes improborũ vana.*

Vel deficit humana potentia, quia morte hominis terminatur: Assimilatur baculo arũdineo, cui si quis innitatur, ruit, & manum sæpiùs lædit: Sic humana potentia & fortitudo plerunque mentitur & fallit. 4. Reg. 18. In quo confidis & audeas rebellare: *An speras in baculo arundineo atque confracto, Ægypto: Super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredictur manum eius, perforabit eam.* *Potentia humana vana.* *4. Reg. 18.*

Mmm iiij

Esa. 30. 2. Sic est Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eum, Esa. 30. *Sperantes auxilium* Fiducia vana. *in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Ægypti*, id est, in potentia huius sæculi: Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbræ Ægypti, in ignominiam. Quidam vero ponunt suam spem in diuitiarum copia: Quæ etiam fallax est, & mentitur, quia in eis homo sperat requiem & sufficientiam se inuenturum, cum Luc. 16. 22. nusquam id contingat: Sic accidit diuiti Epuloni, Luc. 16. *Qui mortuus est diues, & sepultus est in inferno.* Et alteri, qui dicebat, Luc. 12. *Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illic congregabo omnia quæ nata sunt mihi. Et dicam animæ meæ. Anima mea habes multa bona, comede, epulare*, &c. Sic qui sibi thesaurizat & non est in Deum diues. Propterea dicebat 1. ad Timo. 6. 17. Apostolus. 1. Timo. 6. *Diuitibus huius sæculi* Eccl. 31. 8. *præcipe non sublime sapere, nec sperare in incertum diuitiarum*, Eccl. 31. *Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non* Fiducia vera. *abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris.* Alij cōfidunt in humana sapientia, sicut Philosophi veteres, de quibus, ait D. Paulus, Rom. 1. 22. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Esa. 28. *Posuimus mendacium, spem nostram:* Eccl. 2. 11. At iusti, qui ponunt spem in Deo, non decipiuntur, neque confunduntur, Eccl. 2. 11. *Nullus sperauit in illum & confusus est.* Sed po- Rom. 8. 25. tius spes iustorum debilitatem & infirmitatem corroborat, maximeque in aduersis, Rō. 8. *Si quod non videmus, speramus; per patiē-*

tiã expectamus, sed & spiritus adiuuat infirmitatẽ nostram. In quibus verbis tria de spe iustorũ ponit Apostolus.

Primò, tangit ipsius spei obiectum: Secundò, describit spei effectum. Tertiò, addit sperantium auxilium.

Spes. Spes est, de eo, quod nõ videtur, quia spes propriè non præsens sed futurum bonum respicit, sicut timor malum futurum: Verùm quia futura præexistunt in suis causis, ideo speramus effectus, in eis apparentes: Sicut videndo nubes densari in aëre, speramus futuram pluuiam: Et conspiciendo semina bene nata in agro, bonam messem expectamus. Et sic ex iis, quæ videmus, speramus ea, quæ non videmus, & quidem semper meliora.

Tribulationes. Verùm quasi condensæ nubes sunt tribulationes huius vitæ, quæ quidem etsi lumẽ solis intercipiant quoad terrestria, non tamen quoad cœlestia, quia in terrenis & peccatoribus, tribulationes lumen rationis offuscant, per impatientiam & iram: At vero viri boni & cœlestes, tribulationum perturbationibus, non mouentur aduersus rationis iudicium, imo illis multò clarius redditur, oriturque pluuia, hoc est infusio gratiæ, & interioris refrigerij spiritualis. Hinc fructus vberrimi ad vitam eorum sustentãdam. Item seminibus eleemosynarũ, aliorumque bonorum operum, se fructum æternæ beatitudinis percepturos sperant. Hoc est ergo,

quod non videmus & tamen speramus, scil. æternam beatitudinem: Et licet bona illius sint inuisibilia modò, meliora tamen sunt omnibus, quæ videmus, quia ista tempora-

2.Cor.4.17. lia, illa æterna. Vnde 2. Corinth. 4. *Illud quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ, operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna:* Horum inuisi-

Ro.8 29. bilium est spes. Rom. 8. *Spes quæ videtur non est spes, nam quod videt quis: quid sperat.*

Rom. 8.25. Secundò, in auctoritate adducta, ponitur effectus spei, quia quamuis bonum quod speratur, differatur, per patientiam tamen expectatur. Agricola enim patienter messis

Iac. 5. & vindemiæ tempus expectat. Iacob. 5. *Ecce agricola patienter expectat pretiosum fructum, donec accipiat temporaneum & serotinum: Patientes igitur estote, & vos confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquabit.*

Spei effectus. Quilibet enim nostrum agricola est: D. August. Cor nostrum ager Domini est, excolamus eum cœlestibus disciplinis. Fructus vero qui patienter expectari debet præmiũ est æternæ gloriæ. Temporaneus erit gloria ani-

Similitudo. mæ: Serotinus gloria corporis in resurrectione. Medicis amaras potiones porrigentibus, admiscetur saccarum vel aliquid dulce, vt faciliùs absorberi possint. Sic Dominus

amaritudini & tristitiæ tribulationum huius vitæ, gaudium spei æternorum, quo patienter ferantur, admiscet. Rom. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Rom. 12. 12.

Tertiò in auctor. citata, addidit Paulus sperantium auxilium, cum ait, *Sed & spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Anima gratia Dei restituta, est instabilis, & ad omnem ventum tentationis cuiuscunque mouetur: Estque similis illius, qui est in mortis articulo, qui cum non possit morti resistere ob naturam nimis debilem, modò petit vnum, modò alterum lectum. Sic anima Spiritu diuino carens, quia per peccatum debilitatur & agitatur nusquam quiescit, sed de cogitatione in delectationem de delectatione in consensum, inde in operationem, postea in consuetudinem facillimè labitur. Adueniente vero Spiritus Sancti gratia, resistendi peccatis vigor maximus confertur. Ephes. 3. *Det nobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine.*

Rom. 8. 25.

Peccati effectus.

Ephes. 3. 16.

Porro certum est nos multum egere auxilio diuino, quia caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Sed dicet aliquis, vnde ista spiritus & carnis repugnãtia? Respondeo, carnem esse natura terrestẽ atque delectando generari: Spiritus vero esse substantiæ cœlestis, quæ à Deo corpori infunditur: Cum igitur quodlibet

Obiectio.

ad propriam naturam propensionem habeat non mirũ est, si caro ad carnales & terrestres delectationes hominem attrahat, spiritus vero ad cœlestes & diuinas. Ideoque Rom..8.5. Rom.8. *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt, qui vero secundum spiritum sunt, quæ spiritus sunt, sentiunt, & ideo quicunque Dei aguntur, hi sunt filij Dei.*

Prou.14.34. Secundo, in themate ponitur illud quod est voluntatis formatiuum, cũ dicitur, *iustus*. Nam iustitia est perpetua & constans voluntas, ius suum cuique tribuendi: Verum iustus hic multas angustias & tribulationes sæpè patitur, á quibus, per mortem liberatur. Prou.11.8. Prouerb. 11. *Iustus de angustia liberatus est.* In quibus verbis de ipso tria describuntur.

Primum est, constantia quam habuit. Secundum, pœna quam sustinuit. Tertium, gratia, quam recipit.

In hoc hominis iusti apparet constantia, quando nihil prorsus à iustitia illum auertere aut retrahere potest. A modo iustitiæ quidam discedunt, quibus, scilicet, modus deest discretionis. Quod fit duobus modis, vno modo quando modica extollunt, magna vero parui faciunt. *Iustitia falsa.* Talis erat Pharisæorum & Scribarum iustitia, qui decimabant mentam & anetum, grauiora tamen legis præcepta omittebant. Idem sentiẽdum est de his qui pluris faciunt consilia, quàm præcepta: Exẽplum de moniali, quæ maiorem vim faciebat

in fractione silentij, quàm claustri virginalis: his ergo dicitur. Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam Scribarum, & Pharisæorũ, non intrabitis in regnum cœlorum.* Secundò receditur à modo iustitiæ, quando excedit aliquis feruore indiscreto Eccl. *Noli esse multum iustus neque plus sapiens, quàm necesse est.* Et de hoc etiam intelligi potest illud quod sequitur. Iustus perit in iustitia sua, sup. alios male & indiscrete iudicando. Matth. 5. 20.

A debita vero specie iustitiæ diuertit, cui deest debita forma disciplinæ: Quod fit, primò quando aliud agit, quam quod facere debet, Rom. 10. *Ignorantes Dei iustitiam & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Est autem illa iustitia quæ in nobis esse debet humilitas & obediẽtia, de qua Matth. Sic decet nos implere omnẽ iustitiam. Alio modo deest debita iustitia cum forma debita disciplinæ, quando quis facit, quod facere tenetur, sed alio modo, quàm debet: nam debet quisque humiliter obedire: Iuxta illud Luc. 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus:* Sed alium modum apponunt, qui de suis rebus gloriantur, similes gallinis, quæ pro vno ouo importunè garriunt. Nota exẽplum Pharisæi. Luc. 18. De quo dicitur, *descendit Publicanus iustificatus ab illo, non ille.* His obiici potest, illud Amos 9. *Conuertistis fructũ iustitiæ, in absynthium.* Roma. 10. 3. Luc. 17. 10. Luc. 18. 14.

A debito autem iustitiæ ordine declinat

Intentio. ille, cui deest recta intentio: Quæ declinatio fit duobus modis: Vno modo ex coactione, vt quando non audet quis, vel non potest facere Eccl. 20. *Est iustus, qui se nimium submittit à multa humilitate*, & sequitur: Et si præ inopia, aliùs ab imbecillitate virium veretur peccare; si illi oblata fuerit occasio male agendi, peccabit: hi assimilantur vulpibus captis; quæ solutæ quam primùm ad gallinas accurrunt. Aliquando illa declinatio fit propter humanam laudem. Matth. 6. *Attendite vobis ne faciatis iustitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est*: Iustus ergo qui non declinat à modo, vel ordine, vel specie iustitiæ, semper tenet viam rectam.

Eccl. 19. 24.

Matth. 6. 1.

Prouer. 11. Secundò, tangitur pœna quã sustinet iustus in hac vita: frequenter enim multis angustiis est oppressus; & ex omni parte, vel ex motu prætentæ culpæ, ne sit remissa, vel vitæ præteritæ, bene acta fuerit: Deinde quia nescit homo amore an odio dignus sit. Dicet igitur illud Daniel. 13. *Angustiæ sunt mihi vndique*. Et Psal. 118. *Tribulatio & Angustia inuenerunt me*.

Daniel. 13. 22.

Prouer. 11. 8. Tertiò, notatur in auctoritate citata, gratia, quam recepit, quia liberatus est. Quemadmodum liberat se homo ab imminentibus periculis corporeis & temporalibus, vel sensu, vel prætio, vel prece, vel emenda. Sic iustus ab Angustiis huius vitę sensu circumspe-

ctionis, vel verbo supplicationis, aut dono erogationis, aut emenda satisfactionis. Sensu quidem circumspectionis, quia sapiens perspecto periculo alicubi, ad aliũ tutiorem locum se confert. Ita homo sensatus, considerata peccati malitia & deformitate ad pœnitẽtiam cõfugit vel ad claustrum, vt euitet peccati naufragiũ. Figura huius habetur in Loth de quo dicitur Sap. 10. *Sapientia iustum à percũtibus impiis liberauit, descendente igne in Pentapolim.* Item viri prudentes nauigio declinant nonnunquam obsidentium insidias, si obsessos se esse animaduertant. Mundus est instar maris: obsidentes sunt demones, animas nostras inuadentes: Verum sapientes ad nauem pœnitentiæ vel religionis confugiunt, sicque ad salutis portum tutiùs perueniunt, Sap. 14. *Exiguo ligno credũt homines animas suas, & trãseuntes mare*, per ratem liberati sunt. Et sicut pyratæ interdum post fugiẽtes ignem proiiciunt, ita dæmones peccatum vel sæculũ relinquentibus tribulationes immittunt, à quibus tamen liberat Deus optimus, Max. Eccl. 51. *Liberasti me Domine secundum multitudinẽ misericordiæ nominis tui, à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animã meam, & de portis tribulationum, quæ circundederũt me, à pressura flãmæ quæ circũdedit me, & in medio ignis nõ sum æstuatus.* Item liberatur iuste prece Prouer. 12. *Os iustorum liberabit eos*, & licet non statim Deus exaudiat sed differat aliquando, tandem tamen exaudit iustorum orationes. Eccl. 51. *Laudabo nomen tuum aßiduè*

Iustũ Deus liberat ab Angustiis.

Sap. 10. 6.

Sap. 14. 5.

Eccl. 51. 4.

Prou. 12. 6.

Eccl. 51. 15.

& exaudita est oratio mea, & liberasti me.. Quid non daret homo vt mortem corporalem euaderet? Quantò magis pro euasione mortis æternæ vel spiritualis: debet eleemosynas largiri? Tob. 4. *Elemosyna à peccato & morte liberat.* Item liberatur iustus per emendam satisfactionis, Prouerb. 10. Iustitia liberabit à morte: Vnde si homo seipsum iudicet & puniat non à Deo iudicabitur aut punietur. Prouerb. 11. 6. *Iustitia rectorum liberabit eos.*

Tob. 4. 11.

Tertiò, in themate, tangitur illud quod fœlicitatē affert, cum dicitur *in morte sua*, per quā. Sup. transit iustus ad æternā fœlicitatē: sperat ergo iustus in morte sua, quia per eam à corporis carcere educitur, ab omni labore eximitur, & ad æternæ vitæ requiem introducitur. Licet enim carcer sit molestus & laboriosus tam iustis, quàm improbis, est tamē in exitu maxima differentia, quia vt ait Eccl. *De carcere cathenisque interdum quis egreditur ad regnum, interdum ad suspendium:* Iusti è carcere corporis egredientes ad regnum cœleste vocantur. Hinc lætus dicebat Propheta. Psal. 141. *Educ de custodia animam meam.* Ideoque conqueruntur de vitæ diuturnitate. Psal. 119. 5. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Mali vero per mortem, ad supplicium rapiūtur, idcirco sicut qui patibulo sunt adiudicati, nusquam è carcere exire vellent, nec audire veni foras: Ita peccatores iniquissimo animo mortem excipiunt, imo illis ipsa mortis memoria est amarissima. Eccl. 41. *O mors quam*

Prouer. 14. 34.

Spes iustorū est in morte.

Psal. 141. 10.

Eccl. 41. 1.

quā est amara memoria tua. Hæc differentia fuit figurata Gen. 40. 21. In Pincerna, & Principe Pistorum Pharaonis, quorum alter, id est, Pincerna post triduum pristinæ dignitati fuit restitutus. Alter vero, scilicet pistor, patibulo affixus est.

Item per mortem homo iustus, ab omni labe eximitur: Vnde sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, vt quiescat, ita iustus mortem vt à laboribus suis requiescat. Iob. 14. *Donec optata veniat, & sicut mercenarij dies eius*, Apo. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* *Iob. 14. 6.* *Apoca. 14. 13.*

Item iustus per mortem ad vitæ æternæ requiem defertur. Hoc figuratum est Luc. 16. in Lazaro mendico, de quo dicitur. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ, per quā æterna requies iustorum figuratur. Ad quam Christus Dei filius nos perducat. Amen. *Luc. 16. 22.*

IN FVNERE ALICVIVS PROBI VIRI.

THEMA.

Psal. 115 5. *Prætiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Psal. 115.

SOLET operarius post confectũ opus pretiũ & mercedem recipere. Ideoque finis boni operis prætiosus dicitur: Quia etiam in morte iusti mercedem & præmium recipiunt, eorum mors prætiosa nominatur: Licet enim aliquando mors Sanctorum sit hominibus contemptui, Deo tamen semper est prætiosa, sicut manifestissimum est de morte Martyrum, de quibus in themate dicitur, *Prætiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Quibus verbis sanctorum virorũ mors commendatur ex tribus.

Mors Sanctorum prætiosa.

Primò, quidem ex præmij plenitudine.

Secundò, ex iudicij rectitudine.

Tertiò, ex priuilegij magnitudine.

Præmium consueuit dari in fine operis, quia tunc apparet quanta mercede dignum sit: Mors sanctorum est prætiosa, quia quanto præmio sancti digni sint tunc manifestum est: Interim patienter illud expectandum est vsque ad vltimum vitæ, quemadmodum

Agricolæ patienter messem ipsam expectāt. Iacob. 5. *Patientes estote fratres, vsque ad aduentum Domini: Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec aspiciat temporaneum & serotinum.* Quibus verbis tria præstat. Iacob. 5. 8. Patientia.

Primò, dat virtutis documentum.

Secundò, ostendit laboris terminum.

Tertiò, inducit longanimitatis exemplum.

Animaduerte circa primū necesse esse nauis gubernatorem procellis & tempestatibus agitatum, vt multa incommoda & labores sustineat. Item de duce exercitus dici potest. Sic qui inter procellas & tempestates huius sæculi vitam optimè cupit dirigere, multas tribulationes, sollicitudines & tribulationes æquo animo ferat necessarium videtur. Prouerb. 14. *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia.* Sicut ignis laterem crudum, facit durum & fortem: Sic charitas hominem patientē ne soluatur in tribulatione. 1. Cor. 13. *Charitas patiens est.*

Secundo in auctoritate citata ponit terminum laboris & tribulationis. Scil. vsque ad aduentum Domini sup. In morte vel iudicio: Nam sicut tenebræ durāt vsque ad aduentum diei: Sic tribulatio huius vitæ vsque ad aduentum Domini. 1. Cor. 4. *Quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum*, id est, occultas latebras peccatorū, & fugabit à iustis tribulationū tenebras Iac. 5. 8. 1. Cor. 4. 5.

Plurimùm animus augetur laborantis, quādo terminum laboris appropinquare videt. Ita iustus, dum de aduentu Domini proximo cogitat. Iacob. 5. 8. *Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquabit.*

Iacob. 5. 8.

Tertio in auctor. adducta introducitur exemplū agricolæ, quoad tria primò, quoad longanimitatem in expectando, *quia agricola expectat pretiosum fructum*, &c. Postquam multū laborauit agricola, æquum est vt fructum laboris expectet. Sic qui multum laborat in conscientia purganda, & semine dimittendo bonorum operum, ratio postulat, vt fructum bonorum operum expectet. 2. ad Tim. 2. *Laborantem agricolam*, primū oportet de fructu percipere. Verum si pluuia agros illius non irrigaret, nihil ex eis colligeret. Ita nisi affuerit gratia nostris bonis operibus, confusa & vana erit spes nostra. Hierem. 14. *Quia non venit pluuia in terram cōfusi sunt agricolæ*: Necessaria est cultura & pluuia, vt ager fructus edat: Ita gratia & opera bona, vt sit certa spes futuræ gloriæ Psalm. 118. *Non confundas me ab expectatione mea.*

Merces post laborem.

2. ad Tim. 2. 6.

Hier. 14. 4.

Psal. 118.

Secundo introducitur exemplum, quoad tollerantiam. Quia *patienter ferens*. Porro malum culpæ seu peccatum, multò peius & deterius est malo pœnæ: Non enim pœna malum efficit hominem, sed culpa. Hinc

Dionyſ. ait, quod puniri non eſt malum, ſed fieri pœna dignum. Ideoque vir iuſtus potius omne malum pœnæ ſuſtineret quam culpam committere 2. Machab. 2. Dicitur de Eleazaro, *quod patienter ſuſtinens, deſtinauit non admittere illicita.* Verum magnum ſit meritum patienter meritam pœnam ſuſtinere, maius multò eſt, eam ferre generoſo animo, quam quis non meruit. Vnde 1. Pet. 2. Si benefacientes patienter ſuffertis, hæc eſt gratia apud Deum. *2. Machab. 6.20.*

Tertiò, introducitur exemplum agricolæ, quoad perſeuerantiam, ideo dicitur *donec accipiat temporaneum & ſerotinum.* Temporaneum fructum accipere videtur in morte, in glorificatione animæ, ſed ſerotinum in die iudicij, in corporis reſurrectione & renouatione. Oſeæ 6. *Veniet quaſi Hymber vobis temporaneus & ſerotinus.* Vtraque glorificatio quæ eſt à Deo aſſimilatur hymbri ſiue pluuiæ, qui à ſuperioribus partibus in terram deſcendit, Hyerem. 5. 24. *Metuamus Dominum Deum noſtrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & ſerotinam.* *Perſeuerantia.* *Oſea. 6.3.*

Secundò, in themate aſſumpto commendatur mors Sanctorum, ex rectitudine iudicij, *quia in conſpectu Domini.* Iudicio hominum quidam videntur malè mori, quorum tamen mors in conſpectu Dei prætioſa eſt, ſæpiſſimè apud principes malè recipiuntur pauperes, diuites vero benè & hila- *Pſal. 115.5.*

riter. Sic apud Deum. Sed est differentia inter diuites. Quia enim homines vident ea, quæ foris patent: Deus autem intuetur cor, ideo illi oculos, ad diuitias, honores, & externa, coniiciunt: Deus vero ad interiores & spirituales opes. Quibus qui abundat securus in conspectu eius apparet. Exod.

Exod. 23. 15. 23. *Non apparebis in conspectu* Domini *vacuus*, sed bonis spiritualibus refertus. In conspectu Dei. 1. Petr. 3. *Qui absconditus est homo*

1. Pet. 3. 4. *cordis, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu* Dei *locuples*. Quibus quidem verbis iustus & sanctus vir commendatur.

Peccata detegenda. Primò, quidem ab interiori custodia. Secundo à Spirituali innocentia. Tertiò à cœlesti abundantia.

Aduerte in homine aliquid esse non abscondendum, videlicet peccatum, quia est instar vulneris cuiusdam. De quo inquit

Prou. 28. 13. Boetius. Si operam medicantis expectas, oportet vt vulnus tuum detegas. Prouerb. 28. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Quædam occultanda, vt consilia, ab iis qui inuident, & nocere aliis perpetuò cogitãt. Eccles. *A zelantibus te*, id est, inuidentibus tibi, *absconde consilium*. Item bona sunt occultanda, quæ agit vir probus, scilicet, quantum ad intentionem, vt non benè agat propter gloriam hominum sibi com-

parandam. Sed ad honorem Dei, & proximi ædificationem. Femella pauonis abscondere solet oua sua, ne à masculo dissipentur: Ita opera nostra non sunt facienda coram hominibus, ne à vana gloria dissipentur. Matth. 6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt ab eis videamini, alioquin mercedem non habebitis apud patrem, qui in cœlis est.* Figura huius habetur Esa. 32. Vbi dicitur. *Et erit vir sicut qui absconditur à vento,* Sup. vanægloriæ. Matth. 6. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra, quid faciat dextra tua, vt sit elemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.* Sanctorum igitur sæpe mundo abscondita, nota est Deo. Iuxta illud ad Colos. 3. *Mortui estis & vita abscondita est.* *Similitudo.* *Matth. 6.1.* *Esai. 32.* *Matth. 6.3.* *Ad Col. 3.3.*

Secunda commendatio est de spirituali innocentia, cum subditur, *in incorruptibilitate quieti* &c. q. d. Spiritus debet manere incorruptus, & quietus & modestus. Tunc autem manet incorruptus, quando in innocentia perseuerat: Quæ incorruptio hominẽ efficit Deo propinquum, hinc cœlũ corpus incorruptibile, locus Dei esse dicitur Ps. 113. *Cœlũ cœli Domino,* &c. Et ibidẽ, *Dominus in cœlo sedes eius.* Vnde multò magis incorruptio spiritus, & puritas à peccato. Hinc Gregor. Nazien. ait. Prima sapientia est vita laudabilis apud Deum, pura *Psal. 113. 17.*

mens, per quam puri puro iunguntur, & sancti sancto sociantur. Sap. 6. *Incorruptio facit esse proximũ Deo.* At vero spiritus nõ quiescit, vbi adest peccati corruptio, quia appetitus peccandi & conscientiæ remorsus non permittit. Iob. 9. *Non concedit quiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus.*

Psal. 6. 2

Iob. 9. 18.

Debet etiam homo esse quietus respectu aliorum 1. ad Thessal. 4. 11. *Operam detis vt quieti sitis.* 1. ad Timo. 22. *Tranquillam & quietã vitã agamus.* Debet etiam esse modestus, id est, moderatus in actibus siue in victu, siue in vestitu, siue in verbis, ioco, risu incessu, & aliis similibus. Ad Philip. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Ad Tit. 3. 2 *Admone illos non litigiosos esse, sed modestos.*

Ad Philip.

Tertiò, commendatur vir sanctus à cœlesti abundantia; *quia est in conspectu Dei locuples:* Id autem est, qui multùm habet charitatis. Qui enim multùm lucratur, efficitur diues: Charitate autem qui affluit perpetuò operatur, amor enim Dei nunquam est ociosus, ideoque multa acquirit merita. Hinc charitas feruens assimilatur auro, quia animam locupletem facit. Apocal. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum, vt locuples fias.* Per aurum ignitum intelligitur feruens charitas in Deum & proximum: Dicit à me non à mundo, quia charitas Dei non est in eo: *Qui diligit mundum non est charitas Patris in eo.* 1. Ioan. 2. De tali igitur, sunt iu-

1. Pet. 3. 4.

Charitas.

Apoc. 3. 18.

1. Ioa. 2. 15.

ſtorum diuitiæ, quibus gaudent, lætantur, exultant & epulantur ante conſpectum Dei. Pſal. 67. *Iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.* Pſal. 67. 3.

Tertiò in themate commendatur mors iuſtorum à priuilegij magnitudine, *quia mors ſanctorum eſt*, cuius priuilegium eſt eos eximere ab omnibus malis, & perfrui omnibus bonis, Apocal. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, &c. In quibus verbis tanguntur tria bona, quibus viri ſancti à tribus malis eximuntur. Apoc. 14. 13.

Primum eſt bonum gloriæ.

Secundum eſt debitum naturæ.

Tertium eſt donum gratiæ.

Sancti defuncti dicuntur beati dupliciter. Vel in certitudine ſpei, vt qui in purgatorio degunt: Vel in re, vt electi qui iam gloria fruuntur, Pſal. 64. *Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti: Non accedet ad te malum, & flagellū non appropinquabit tabernaculo tuo.* Ad illam beatitudinem peruenitur, vel per opera vitæ actiuæ, quæ ſunt opera miſericordiæ, Prou. 14. *Qui miſerebitur pauperi beatus erit.* Vel per opera vitæ contemplatiuæ. Eccleſ. 14. 22. *Beatus vir qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.* Ait Alcuinus quod iuſtitia eſt animi rectitudo vnicuique tribuens propriam dignitatem, ſuperiori reuerentiam, pari concordiam, minori diſciplinam, Deo obedientiam, amicis beneuolentiam, inimi-

Beatitudo.
Pſal. 64. 4.
Prou. 14. 21.

cis patientiam, & miseris compassionem. Et in sensu, id est mentis intellectu cogitabit circunspectionem Dei, id est, qualiter Deus omnia circunspicit, etiam ad abscondita cordis, quia qui hoc cogitat à malo retrahitur, & ad bonum animatur.

Apo. 14. 13. Secundo tangitur debitum naturæ, quo sancti ab omni periculo sunt liberati: Ideoque dicit *mortui*, quia ex tunc sancti perire non possunt, viuentes non item, quia periculis multis animæ & corporis subijcuntur: Propterea dicitur, Eccles. 4. *Laudaui magis mortuos quàm viuentes.* Eadem de causa clamabat. D. Paul. Rom. 7. *Infœlix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Ecclesiast. 4.

Rom. 7. 24.

Apoc. 14. 13. Tertiò, tangitur domum gratiæ, per quod liberati sunt à peccato, quia in Domino, hoc est, *In gratia Dei moriuntur.* Cæterum quibusdam Deus confert gratiam non gloriam, ob defectum perseuerantiæ; Eis vero qui in gratia moriuntur, dat gloriam, Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Quod contingit ijs quorum vita fuit bona, sancta & Deo grata, inter quos annumerandus est Apostolus qui dicebat. *Mihi viuere Christus est, & lucrum mori.* Ad Philip. 1. 21. Item D. Stephanus Acto. 7. *qui obdormiuit in Domino*, hoc est, in gratia domini, per quam in cælum euolauit, & in vitam æternam introiuit. Ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Ad quam nos ducat Christus Dominus, Amen.

Psal. 83. 12.

Act. 7. 60.

IN FVNERE CVIVSDAM LIBENTER MOrientis.

THEMA.

In obitu suo, non est contristatus, nec confusus est, coram inimicis. Ecclesiast. 30. Ecclesiast. 30. 5.

DIfferentia notatur maxima inter bonos & malos: hi in delitiis & voluptatibus vitam agere volunt: Iusti verò tristem & laboriosam: E contrario mali in morte tristantur, boni vero lætantur & exultant. Exemplum habemus manifestissimum in diuite Epulone, & Lazaro paupere. Quorum primus affluens omnibus delitiis & voluptatibus vitam peregit: Erat enim indutus purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide: Lazarus vero in maxima penuria & omnium rerum indigentia, vlceribus plenus, & mendicus vixit: Sed in morte diues in infernum ex delitiis migrauit, vbi ad refrigerium cruciatus, guttam aquę petijt, nec habuit. Sed responsum est illi. Recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

Item est alia differentia, quia peccator ab inimico, diabolo vincitur in hac vita & in morte confunditur, & condamnatus à iudice, ad supplicium æternum deducitur: E contrario quemadmodum iustus nec vinci potuit à Diabolo, sic in morte ab eo nihil patitur, sed potiùs à sanctis Angelis ad requiem sempiternam deportatur. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Habemus ergo duo, de obitu iusti. Primum, quod absit omnis tristitia. Secundum, quod nulla sit confusio in eo, nec ignominia. Et hoc est quod verba thematis præ se ferunt. In quibus de iusto viro tria describuntur.

Primum est, terminatio præsentis vitæ.

Secundum, consolatio finalis gratiæ.

Tertium est, superatio spiritualis pugnæ.

Audi dictum beati August. in sententiis Prosperi: Mala (inquit) mors putanda non est, quam bona vita præcessit: Nam quales sunt præmissæ, talis est conclusio, & qualis præcessit dispositio materiæ, talis sequitur introductio formę.

Cum igitur mors sit conclusio totius vitæ, & tota vita sit dispositio ad vitam, sequitur si bona præcedit, bonam mortem sequi debere. Vis bene & lætanter cum iusto mori, bene viue cum illo, Eccl. 14. *Ante obitum operare iustitiam quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* Quibus verbis tria docentur. Eccl. 14. 17.

Primum est, oportunitas temporis.

Secundum est congruitas operis.

Tertium, impossibilitas mercedis. *Similitudo.*

Tempus oportunum ad iustificationem & remissionem. peccatorum obtinendam est *Vita hæc tẽpus pœnitẽdi.* hæc hominis vita. Quemadmodum si cui læsæ maiestatis reo daretur tempus certum ac definitum, quo sese purgaret, nec id faceret, elapso tempore non audiretur, sed condemnaretur. Sic reo peccati mortalis defunctum est huius vitæ tempus, vt per pœnitentiam seipsum purget & apud Deum veniam impetret: vnde si illam differat nec dum viuit pœniteat & conteratur, post mortem nihil omnino valet, sed contra eum sententia mortis æternæ profertur, Eccl. 17. Ante mortem confitere. Et 18. *Ante iudicium para* *Eccl. 18. 19.* *iustitiam.* Mors est operariis in fine diei non ad opus, sed ad mercedis solutionem vocari. Verum si sit pauper conductor nec satis habeat pecuniarum non illi esset facile omnibus satisfacere: Facillimũ vero esset diuiti dare mercedem operi respondentem: Sic in morte nullus non vocatur ad stipendium, vt quisque retributionem accipiat secundum opera sua: Quod quidem facile est Deo Opt. Maximo qui potens & diues in misericor- *Eccl. 11. 28.* dia & bonitate, Eccl. 11. *Facile est Deo, in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas.*

Secundo ponitur congruitas operis, cum subditur. Eccl. 14. 17. *Operare iustitiam.* Et ratio est, quia duo sunt de necessitate salutis, scilicet abstinere à malo, & facere bonum,

Psal. 36. Psal. 36. *Declina à malo, & fac bonum*: Primum pertinet ad innocentiam, secundum ad iustitiam: Quorum vtrumque salutem necessarium, Psal. 141. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam.* Primo respectu Dei, scilicet in emendatione commissorum, seipsum puniendo de offensis, quia quem inferior Prælatus sufficienter correxit, superior postea veniens non corrigit. Sic si homo in præsenti sufficienter se corripit, in iudicio Dei non

1. Cor. 11. 3. punietur. 1. Cor. 11. *Si nos diiudicaremus non vtique iudicaremur à Domino*, Prou. 18. *Iustus*

Prou. 18. 17. *in principio est accusator sui.* Vbi glosa. Omnis qui vere iustus est, vbi peccantium errata conspicit, primo seipsum accusat, postea alios benigne corripit. Iniustus vero non accusat se in præsenti, ideo accusabitur in futuro. Seneca, qui in secreto nolunt audire veritatem, in publico audient eam.

Respectu etiam Dei in solutione debitorum debet homo operari iustitiam, vt Do-

2. Machab. 9. 12. mino reddat, quod ei debetur 2. Machab. 9. *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* D. Bernar. fidelem esse vrget iustitia naturalis, totum se tradere illi, à quo se totum habet. Corde igitur per dilectionem, homo tenetur Deo seruire: corpore per operationem: & possessione, per elec-

mosynarum largitionem.

Secundò debet homo operari iustitiam respectu proximi, vt ei nocumentum non inferat. Ex Tullio, Primum fundamentum iustitiæ, est ne cui noceatur, deinde vt communi vtilitati seruiatur, eamque propriis rebus præferamus. Prouerb. 16. *Initium vitæ bonæ, facere iustitiam.* De qua Matth. 7. 12. *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* Tob. 4. 16. *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.* Prouerb. 16. *Semita iustorum declinat mala.* *Prou.16.18.*

Item debet homo facere iustitiam respectu proximi, vt mala sibi ab eo illata, remittat. Et hoc quidem iustum est, vt qui iudicari vult à Domino in foro misericordiæ, eadem foro cum proximo velit iudicare, alioquin eius defensionem non suscipiet misericordia, si eam proximo negauerit, *quia iudicium sine misericordia ei fiet, qui misericordiam alteri non fecerit.* Iacob. 2. *Iacob. 2. 13.* Is illi ius suum auffert, qui dixit, mihi vindictam & ego retribuam: Ideoque iniustus est, qui vindictam exoptat: At vero qui *Psal. 36. 22.* remittit iustus est, quia pro indulgentia indulgẽtiam soluit. Psal. 36. *Mutuabitur peccator, & non soluet, iustus autem miseretur & retribuet.*

Fonte fluente impossibile est vt riuus exsiccetur: Misericordia Dei fons est, nostra vero riuulus. Fluit riuulus ad ad proximum, nunquid fons (hoc est) misericordia Dei, siccabitur erga nos? Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Matth. 5. 7.

Item debet homo facere iustitiam respectu proximi, si illi eleemosynas largiatur, Psal. 111. 8. *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Glos. qui dat, iustitiam operatur, quia proximo debitum soluit, Oseæ. 10. 12. *Seminate vobis iustitiam,* id est, eleemosynam, in veritate, *& metite vobis in ore misericordiæ.* Matth. 25. 42. *Esuriui & dedistis mihi manducare,* &c. *Venite benedicti Patris mei,* &c. Debet etiam homo iustitiam operari respectu sui. Primo quidẽ vt sit animæ suæ iustus procurator, quia anima est pupilla, exul, & incarcerata, quæ in hominis custodia posita est, ideoque iustum est vt ei necessaria prouideantur, Prouerb. 13. *Iustus comedit & replet animam suam, quia quærit & cibũ spiritualem.* Iniustus videtur is, qui plus curat, habetque maiorem sollicitudinem de ancilla, quam de Domina aut filia sua, Iob. *Pauit sterilem, & quæ non parit,* id est carnem quæ dum terrena appetit, bonas cogitationes gignere nescit, & viduæ, id est, animæ non benefacit. Item debet operari iustitiam respectu sui, vt sit corporis iustus gubernator, Eccl. *Cibaria & virga & onus asino,* id est, corpori debentur.

Matth. 25. 42.

Prou. 13. 26.

Quem-

Quemadmodum habitant latrones in ea terra & regione, vbi non exercetur iuſtitia, ita peccata in terra corporis noſtri, ſi in ea non habitet iuſtitia pœnitentiæ, Eſa. 26. *Quia iuſtitiam non fecimus in ea, ideo non ceciderunt habitatores terræ*, hoc eſt, peccata & mali motus. *Eſa.* 26. 18.

Item debet homo facere iuſtitiam, reſpectu vtriuſque, ſcilicet, corporis & animæ. Prouerb. 4. *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit & creſcit, vſque ad perfectum diem*, ſup. æternitatis. *Prou.* 4. 18.

Tertiò, in auctoritate adducta ſuperius tangitur impoſſibilitas mercedis, quia poſt mortem, non eſt poſſibile mereri æternam mercedem, in qua eſt plena ſatietas animarum: vnde ſubditur, quia non eſt apud inferos inuenire cibum, ſup. æternæ refectionis, quia ad merendum, requiritur ratio inueſtigans quid ſit agendum, ſcientia, & ſapientia atque bona voluntas ad bene agendum & malum fugiendum: Sed nihil horũ eſt apud inferos, vnde homini conſulitur, Eccl. 9. *Quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare, quia nec ſcientia nec ſapientia, nec opus bonum erit apud inferos*, quo tu properas. Quãdo arua ab agricolis ſunt derelicta, non amplius ex ijs ſperandi ſunt fructus, animæ dãnatorum ſunt derelictæ à Deo, ideoque nihil boni, ab ijs ſperandum eſt, Ioan. 15. 1. *Pater meus agricola eſt*, Abac. 3. Arua non afferent cibum, de quo Raphael. Tob. 12. 19. *Eccl.* 14. 17. *Meritum nõ eſt poſt hanc vitam.* *Eccleſiaſt.* 9. 10.

Ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.

Eccl. 30. 5. Secundo in themate ponitur consolatio finalis gratiæ, *quia non est contristatus*, sup. iustus in obitu suo, sed potius gaudet & exultat, quia fruitur eo, quod maxime exoptauit & dilexit: Sicut si aufferretur clerico Ecclesia parochialis, vt ei conferretur Episcopatus, non contristaretur. Sic iustus in morte amittit temporalia, vt consequatur æterna, quæ summo amore persecutus est. Qui damnum aliquod patitur in bonis temporalibus quæ parum diligit, ex quo videt bonum spirituale oriri, quod maxime diligit, non contristatur, imo potius consolatur, Prou. 12. *Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit.* Huius autem rationem assignauerunt Stoici, quia nullus tristatur nisi amissione bonorum, iustus autem solam virtutem & iustitiam, vera & sola esse bona existimat, quæ amitti non possunt. Sed contra hoc videtur esse, quod cum Christus iustissimus fuerit, tamen contristatus est Matth. 26. Ergo multo magis alij tristabuntur.

Pro. 12. 22.

Matth. 26. Respondeo quod Stoici ideo negauerunt tristitiam esse posse in sapiente siue iusto, quia tristitia est de malo, quod iam accidit, At nullum malum accidere posse sapienti putauerunt, vel iusto viro: Quia etiam credebāt nullum esse bonum nisi honestum, quod bonos homines redderet: Nec aliquod malū esse nisi inhonestum, per quod homines

mali fiunt. Licet id verum ſit; ſunt tamen quædã hominis bona, quæ ad corpus ſpectãt, vel ad res exteriores corpori ſeruientes. Et comparatione illorum poteſt eſſe in homine ſapiente triſtitia quantum ad appetitum ſenſitiuum, quia obiectiuum motuum triſtitiæ eſt malum interiùs apprehenſiuũ, ſiue ſecũdum rationem, ſiue ſecundum imaginationem, ſicut cum aliquis triſtatur de amiſſione gratiæ, vel pecuniæ. Et quia anima Chriſti potuit interiùs apprehendere aliquid vt nociuum, ſcilicet paſſionem ſuam, & mortem, peccatum etiam diſcipulorum & Iudæorũ, ideo potuit eſſe, & fuit in eo vera triſtitia, non tamen ea quæ rationem perturbaret, vel ei dominaretur. Vnde ait D. Hiero. Quod Dominus noſter vt veritatem aſſumpti hominis probaret, vere quidem contriſtatus eſt, ſed ne paſſio in animo eius dominaretur: Dicitur quod cœpit contriſtari: Quia contriſtari eſt quando paſſio rationi dominatur: At incipere contriſtari, eſt paſſio inchoata in appetitu ſenſitiuo, & vlterius non procedẽs: Sic ergo triſtitia remouetur à Chriſto ſecundum paſſionem perfectam, vnde Eſa. 42. *Non erit triſtis nec turbulentus*, fuit tamen in eo initiata ſecundum paſſionem. Secundum hoc intelligitur quod dictum eſt, *Quòd non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit*, quia ſcilicet ex nullo accidente, eius ratio conturbari poteſt: Et notantur in iſtis verbis duo de viro iuſto. Eſa. 42. 4.

Primum est eius æquanimitas. Secundum est eius magnanimitas. Quædam hic notanda est contristatio laudabilis, vt tristitia pœnitentiæ, salutifera, & secundum Deum. 2. Cor. 7. *Gaudete non quia contristati estis, sed quia*
2. Cor. 7. 9. *contristati estis ad pœnitentiam.* Licet enim tristitia secundum se sit mala, saltem malitia pœnæ, tamen quatenus ordinatur ad bonum finem, hoc est, ad pœnitentiam, est laudabilis, ratione finis, vt amara potius, quatenus ad sanitatem refertur, tunc enim habet rationem boni, qua ratio eorum quæ referuntur ad finem, petitur ex fine. Ideoque talis tristitia est secundum Deum, & laudanda. Apostolus ibidem, *Contristati enim estis secundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis: Quæ enim secundum tristitia est pœnitē-*
2. Cor. 7. 9. *tiam*, id est, salutem stabilem, operatur. Verum eiusmodi tristitia propriè non est in iusto, in quantum iustus est, nam vt talis non
Eccl. 14. 2. peccat, neque facit vnde pœniteat. Eccl. 14. *Fœlix qui non habuit animi sui tristitiam*, nec obstat quod dicitur. Eccl. 1. *Non est enim homo iustus in terra, qui facit bonum & non peccet:* Vbi quitur de peccato veniali, à quo nullus est immunis, quantumcunque iustus, excepto Christo, & matre eius virgine Maria.

Item est aliqua contristatio, quæ est tolerabilis, putà quando est solum in sensualitate, & rationem è loco suo non dimouet, hæc inuenitur in iustis, nec est contra
1. Pet. 1. 6. Deum, de qua. 1. Pet. 1. *Modicum nunc si*

oportet contristari in varijs tentationibus: Dicit modicum, quia eo vsque non progreditur, vt rationem perturbet.

Sed est alia contristatio detestabilis & mala, qui est contra Deum, putà, si quis tristetur de bono animæ, diuino & spirituali, vt est desidiosus & piger: Vel de bono proximi, vt inuidus: Vel potest esse contra Deum, ratione modi, quia excedit modum rationis, ipsam rationem perturbans, sicut est impatientia & ira. Et ista non sunt in homine iusto. Tob. 2. *Non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis aduenerit, sed immobilis in Dei timore permansit, gratiā agens omnibus diebus vitæ suæ.* Tob. 2. 13.

Prou. 12. 21

Secundò notatur iusti magnanimitas, cū dicitur, quicquid ei acciderit, sup. aduersi, quia præ magnitudine animi, quasi nihil facit ea omnia: Et ideo aduersa non metuit, ad meliora semper intendens. Prou. 28. *Iustus quasi Leo confidens, absque terrore erit.* De Leone enim dicitur, Prouerb. 30. Quod Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum. Ita iustus ab officio & obedientia erga Deum nulla re aduersa potest dimoueri. Hinc Actorum. 20. ait Paulus. *Vos scitis qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate & lachrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum, quomodo nihil subtraxerim vobis vtilium, quominus annunciarem vobis &* Prou. 28. 1. Actor. 20. 18

docerem vos publicè & per domos, testificans Iudæis, atque gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum: Et nunc ecce ego alligatus spiritu vado in Hierusalem, quæ in ea mihi ventura sunt ignorans, nisi quod spiritus sanctus per omnes ciuitates prætestatur mihi, dicens, quod vincula & tribulationes Hierosolymis me manent, sed nihil horum vereor.

Tertiò ponitur in themate, superatio spiritualis pugnæ, cum dicitur, quod non est coram inimicis confusus, sup. in morte, vel ante tribunal Christi. Licet enim diabolus acriter impugnet hominem in vita, tamen acriùs in morte, verùm qui tunc non vinci-
Psal. 126.6. tur, non confundetur, Psal. 126. *Beatus qui impleuit desiderium ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* Quibus verbis de viro iusto moriente, describuntur tria.

1. Primum est fœlicitatis assecutio.
Secundum est damnationis euasio.
Tertium est impugnationis superatio.

Dicitur Prouerb. 11. Desiderium iustorum est esse bonum, quod quidem adimpletur, quando assequitur illud, quod est esse beatum: Quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, vt ait Boetius, Psal. 102. Replet in bonis desiderium tuum.

Secundo ponitur damnationis euasio

cùm dicitur, *ex ipsis non confundetur*, sine quibus ad beatitudinem peruenitur, sup. fugiendo peccatum, & operando bonum non confundetur, sup. confusione damnationis, Psal. 36. *Non confundetur in tempore malo*, hoc est mortis & iudicij, quia est malum his, qui confunduntur. *Psal. 36. 20.*

Tertiò, ponitur impugnationis superatio, cum subditur, cum loquitur inimicis suis, id est, dæmonibus, non consentiendo, sed contradicendo, in porta, hoc est, in morte, eo modo quo dixit Beatus Martinus Diabolo. Quid astas cruenta bestia? &c. Hæc est porta scilicet mors, per quam iusti intrant in vitam æternam. Secundum illud, Psal. 117. *Hæc porta Domini: iusti intrabunt in eam.* Ad quam Dei beneficio perducamur, Amen. *Psal. 117. 18.*

IN FVNERE ALICVIVS VEHEMENTER mortem expetentis.

THEMA.

Desiderium habens dissolui, & esse cũ Christo.
Ad Philip. 1.

Ad Philip. 1.23.

NOn taro contingit, vt quod secundum se est malum nec expetendum, ratione alicuius circunstantiæ, vt finis, bonum & voluntarium efficiatur: vt adustio vel incisio alicuius membri, facta à chyrurgo, secundũ se non expetitur, nisi prout ad sanitatem totius corporis refertur: Sic mors Christi, in quantum ordinata fuit ad nostram redemptionem, & nostræ salutis pretium, bona & gratissima fuit: Vnde quidam dixit, Actio displicuit, passio grata fuit.

Malum secundum se aliquando fit bonum.

Hac etiam ratione nonnulli dicunt dãnatos expetere non esse: Quia licet non esse secundum se, non sit appetibile, quatenus tamen est summæ miseriæ liberatio, habet rationem boni & appetibilis: Hoc etiam modo, mors corporea non est appetibilis, imo odibilis omnibus animalibus: Quatenus tamen non possumus esse cum Christo, nisi per mortẽ, neque cũ eo coniungi in visione beatifica, & fruitione suæ deitatis Sancti mori magis, quã viuere desiderant, vt Ionas

Ion. 4.

Quæso Domine tolle animam meam, quia melior est mihi mors, quàm vita. Hac ergo ratione dicit Apostolus verba proposita in themate, *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* In quibus verbis tria insinuuntur.

Primum est affectio finalis gloriæ.

Secundum, est, corruptio vitæ corporalis.

Tertium est, adeptio præsentiæ salutaris.

Duabus de causis, aliquando Sancti mortem expetunt: Prima propter calamitates vitæ præsentis. Secunda ex dulcedine diuinæ bonitatis, qua vita futua donandi sunt. Ex hac igitur vita misertima, migrare ad aliam, fieri non potest, nisi mortis beneficio sicut ab obscuritate noctis, ad claritatem diei non itur, nisi per auroram, quę habet aliquid vmbræ, hoc est, habet mortis similitudinẽ, Iob. 24. *Si subito apparuerit aurora arbitrantur vmbrã mortis;* Ergo desiderant mortem iusti ad claritatẽ diuinæ visionis transeuntes Esa. 26. *Anima mea desiderauit te in nocte.* Id est, in obscuritate aduersitatis & calamitatis præsentis vitę, anima mea desiderauit, vt exuta à corpore, haberet te Deum & dulcissimam lucem. In quibus quidem verbis triplex ratio tangitur, quare animæ humanæ inest desiderium perueniendi ad Deum.

Sancti aliquando mortem expetunt.

Iob. 24. 3.

Esa. 26. 6.

Prima est ex proprietate spiritualis naturæ. Secunda est suauitas dulcedinis diuinæ.

Tertia ex obſcuritate huius temporalis vitæ.

Ceruus à venatoribus perſecutus, ſaluti conſulens fuga velociſſima, eorum manibus liberatus, laſſus & ſitibundus remanet. Laſſus, propter motum & curſum: ſitibundus, quia deſiccatur calefactione motus, & timore. Vnde tunc maximè deſiderat fontes aquarum, refrigerium & quietem; ita anima viri iuſti ac fidelis perſecuta à venatoribus, hoc eſt à dęmonum tentationibus. Gen. 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi*: Et à canibus, hoc eſt prauorum hominum latrantiũ detractionibus, contumeliis & iniuriis Ad Philip. 3. 2. *Videte canes, videte malos operarios*: Vel etiam adulatoribus, canes enim ſunt aliqui, qui blandiuntur cauda & linguunt, ita multi ſunt adulatores & ſeductores, qui verbis blandis decipiunt & corrumpunt: Ideo fugæ conſulendum eſt. Hinc Arſenius, fuge homines & ſaluaberis. Videmus elementa ſeſe contingentia alterari & corrumpi ſuis proprietatibus, vt terra ab aqua humectatur, vt aer frigidus efficitur, & ab igne inflammatur. Ita homo à prauo cõſortio inficitur, vnde etiã ſæpe euenit, vt ſocietas vna ab vno ſolo corrumpatur, ſicut vna ouis totũ gregem, & vnus malus humor, totũ corpus deprauat, & inficit. 1. Cor. 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. Propter quod iubet D. Auguſt. tales ab ordine dici ne contagione peſtifera plurimos perdant. Eſt etiam

Malorum conſortia fugienda.

Gen. 14. 21.

Societas malorum fugienda.

1. Cor. 9. 6.

iustus in continuo decursu & mutabilitate rerum temporalium, quia omnia quæ sunt in hoc mundo, in perpetua sunt mutatione, nō solum quantum ad naturalia, vt videmus in elementis, & vicissitudine tempořū, sed etiā quantū ad ea, quæ subiiciuntur fortunæ, modò enim prosperis rebus, modò aduersis vtimur: qui nūc diues est, modò pauper erit, qui sanus, modo æger. Ex tali mutabilitate nihil nisi labor & dolor prouenire potest.

Est etiā in hoc iusto vehemens timor peccandi, quia quandiu est in corpore, in omnibus Deo placere studet, & à peccato liberari, quod fieri nō potest, sine speciali gratia: Ratio est, quia licet volūtas feratur ad bonum, tamen propter vehemētes passiones ad malū impellitur, propter quod, ait D. Ad Rom. 7. *Infœlix ego, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum.* Hinc timor iusti, ne depellatur ad peccādum. Ex his oritur sitis seu moriendi desiderium: quia per mortem liberatur à venatoribus, id est, dæmonibus, & à canibus, hoc est, prauis hominibus, & ab omni timore, & ad Deum peruenit, vbi quies pro labore, & omnis sitis satiatur: Ideoque. Psalm. 44. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Desiderant te videre visione beatifica, perfruitur anima dulcedine bonitatis diuinæ. Motus naturalis tantò magis intenditur, quantò magis ad finem

Gratia.

Ad Rom. 7. 24.

Psal. 41. 1.

corruptio corporalis vitæ, eo quod dicitur, *dissolui.* Hæc enim dissolutio fit, quando diuiditur vnio animæ & corporis, per ipsius animæ separationem: vnde Dominus ait, *Soluite templum hoc, & tribus diebus readificabo illud,* Hoc autem dicebat, de templo corporis sui: Paulatim mane nebula consurgit è terra, sed apparente sole citò dissoluitur, Sap. 2. *Transibit vita nostra, tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata à est radiis solis, & à calore illius aggrauata.* Quibus quidem verbis, humana vita tripliciter describitur. *Sap. 2.3.* *Vita nostra mutabilis.*

Primò, ostendit eius labilitatem. Secundò ipsius breuitatem. Tertiò eius corruptibilitatem.

Vita humana eo modo mutatur, quo tempus: Idque continuò iuxta ætates diuersas. Et quia est breuis & finita, quantùm tẽporis elabitur, tantò fit breuior. Nam vt ait D. Gregor. homo à principio ita fuerat conditus, quòd transeunte tempore, ipse stabat, sed postea propter peccatum factus est instabilis & mutabilis: Ita quod transeunte tempore, vita eius cum tempore transit. Sap. 2.5. *Vmbra transitus est tempus nostrum.* Psal. 143. *Dies eius sicut vmbra præcereunt.*

Secundo ostendit sapiens in auctor. allata, vitæ humanæ breuitatem, quando dicit, *sicut vestigium nubis.* Parum enim durat nubes in aere, quia citò resoluitur in aquam vel aerẽ: Ita homo breui tempore viuit in mundo, & *Sap. 2.3.*

3.Reg.18. 14. cito resoluitur in elementa. 3. Reg. 18. *Ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis*. Porro

Breuitas vitæ. vita peccatoris vestigium tenet, & similitudinem nubis: quia nubes ad modum spongiæ est tota cauernosa, vana & vacua, nulla stabilitate suffulta, sed à ventis hinc, & inde deducta. Sic homo peccatis infecto, est omni virtute vacuus, cauernis & foraminibus latentium vitiorum plenus, bonis operibus destitutus, in nullo bono proposito firmus: Sed potius à vento, id est, diaboli tentatione, vel mundi vanitate, ad omnia mala deductus. Vnde dicitur in epistola Iudæ. Ver. 12. *Hi sunt nubes sine aqua*, Sup. gratiæ, *quæ à ventis circumferuntur*.

Sap.2.3. Tertio ostendit humanæ vitæ corruptibilitatem, cum subditur; *& sicut nebula dissoluetur*. Nam sicut post breue tempus dissoluitur nebula: Ita & vita humana, per mortem citò corrumpitur: siue quia fugatur à radio solis, hoc est, per illationem violentæ mortis: Vel per naturalem deficit, aut ex febre, aut alia

Psal.147. corporis infirmitate, Psalm. 147. *Nebulam sicut cinerem spargit*, quia humani corporis vitam & substantiam in cinerem & puluerem resoluit Eccl. 10. 10. *Quid superbis terra & cinis?*

Item assimilatur vita humana nebulæ ratione

Iob.7.1. tentationis Iob. 7. *Tentatio est vita hominis super terram*, iuxta quorundam interpretationem: Quæ tentatio repręsentatur in nebula, quia nebula initio noctis & diei, solet aerem aggregari, turbulentum reddens & ob-

ſcurum. Sic initio conuerſionis quando nox peccati & obſcuritas terminatur, & inchoatur dies gratiæ, tentationes animum turbulentũ reddẽtes, aggregãtur. Sed ſicut nebula radio ſolis exorti diſſoluitur, ita tentatio illuſtrantibus radiis, conſolatione diſſoluitur, & calore Solis, id eſt feruore ſpiritus fugatur. Eccl. 43. *Aperti ſunt theſauri*, id eſt, diuinæ conſolationes, quæ ad modum auium, alis cogitationum & deſideriorum euolantes receſſerunt. *Eccl. 43. 15.*

Tertiò in themate notatur adeptio præſentiæ ſalutaris, quæ eſt eſſe cum Chriſto, id eſt, in præſentia & ſocietate Chriſti paradiſi, vbi eſt perfectiſſima quies. *Ad Phil. 1. 23.*

Porro antequam glorificaretur Chriſtus mortem paſſus eſt, propter peccata noſtra, vt nos viuificaret: Ita nos oportet primò mortificatos peccatis, & iuſtificatos eſſe, vt glorificemur cum Chriſto, ad Coll. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto, in Deo: Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* In quibus verbis de duobus agitur. Primo quidem de noſtra iuſtificatione. Secundo de noſtra glorificatione. Iuſtificatio fit, quando morimur peccatis, & viuimus Deo, & ideo dicit primò, *mortui enim eſtis*, ſup. peccatis, & vita veſtra, ſcilicet qua viuitis per gratiam, abſcondita eſt, ſup. in anima, cum Chriſto, qui per gratiam & fidem habitat in nobis. *Ad Coll. 3. 3.* *Iuſtificatio.*

Nota in hyeme herbas videri sæpe mortuas, tamen in æstate reuiuescere: Sic qui pœnitentiam agunt, videntur quasi mortui; sed adueniente æstate gloriæ, tunc apparet vita non priuatos fuisse, quam absconditam seruabant in gratia, sicut herbæ & arbores in
Rom. 6. 8. radice. Rom. 6. *Si autem mortui sumus cũ Christo, credimus quòd simul viuemus cum ipso*: Vnde etiam granum seminatum in terra, nisi prius mortificetur in terra, nihil fructificat. Iohan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram, mor-*
Ioan. 12. 24. *tuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuũ fuerit, multum fructum affert.* Sic homo nisi per pœnitẽtiã mortificetur, nihil efficiet. Rom.
Rom. 8. 13. 8. *Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis* 2. ad Timoth. 2. 11. *Si commortui sumus, & conuiuemus: Si sustinebimus & conregnabimus.*

Secundò, agitur in auctor. allata, de nostra glorificatione; *quia cũ Christus apparuerit,*
Ad Col. 3. 3. &c. Quandiu durat bellum inter principes non apparet quis sit victor, nullusque eorũ de victoria gloriari potest: eo vero finito, gloriatur Princeps, cum suis militibus: Victus vero tristatur. Sic quia bellum modo geritur inter Deum & diabolum, eorum milites de victoria plena & absoluta, efferri nõ possunt. At finito bello post hanc vitam, militibus diaboli remanebit confusio: Christus vero victor apparebit, seseque militibus suis gloriosum & triumphantem ostendet. 2. Reg. 6. Dicitur de Dauide, Gloriosior appa-
2. Reg. 6. 22. rebo, hinc Psalm. 16. 17. *Ego autem in iustitia*

apparebo

apparebo, conspectu tuo satiabor cum apparuerit gloria tua. Leuit. 9. *Apparuit gloria Domini omni multitudini.* Ad quam nos perducat, qui sine fine viuit & regnat. Leuit. 9. 23.

IN FVNERE PECCATORIS ALICVIVS malè morientis.

THEMA.

Mors peccatorum pessima. Psal. 33. Psal. 33. 22.

EXITVS bonus ad bene operandum prouocat, sicut exitus malus reuocat. De hoc habetur figura 2. Reg. 6. Vbi legitur, 2. Reg. 6. 6. quod Dauid surrexit, & omnis populus vt adduceret arcam Dei: postquam vero venerunt ad arcam Nachor extendit Oza manū ad Arcam Dei, & percussit eum Dominus super temeritate, qui mortuus est. Et extimuit Dauid Dominum in illa die, dicens, *Quomodo ingrediens in die Arca Domini?* Et noluit diuertere ad se arcam Domini, sed diuertit eam in domum Obededon Gethei: Et habitauit Arca Domini in domo Obededon tribus mensibus: Et benedixit Dominus Obededon, & omnem domum eius. Nuntiatū est Dauid quod benedixit Obededon,

& omnia eius, propter Arcam Domini. Dixitque Dauid: Ibo & reducam Arcam cum benedictione in domum meam. Vnde patet Dauidem propter malũ exitum, hoc est propter occasionẽ Ozæ reuocatũ fuisse ne Arcam Dei in domum suam duceret: Et è contrario propter benedictionem Obededon prouocatum. Vt in domum suam reduceret. Sic dum videmus Sanctorum mortem pretiosam & laudabilem, debemus prouocari ad eorum imitationem, vt dicere possimus, il-
Numer. 23. 10. lud Numer. 23. *Fiant nouissima mea horum similia.* E' contrario ante oculos nobis proponendo hominum improborum exitũ malum, deterreamur ab eorum imitatione. Et ideo de ista mala morte, dicitur in verbis propositis. Mors peccatorum pessima. Quibus verbis tria describuntur.

Primò, illud est omnibus cõmunicabile.

Secundò, illud quod debet esse omnibus detestabile.

Tertiò, illud quod debet esse omnibus formidabile.

Mors communis. Mors illud est quod omnibus cõmunicatur, sicut enim fluuij omnes ad mare decurrũt, ita
2. *Reg.* 14. 14. omnes homines ad mortẽ. 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terrã.* Verũ magna est differẽtia inter mortem iustorũ & impiorũ. Quia quicũque morte iustus cecedat, bene sẽper moritur, iustus enim semper vigilat & paratus est ad mortem excipiendã:
Sap. 4. 7. idcirco dicitur. Sap. 4. *Iustus si mortè præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Peccator vero,

quia semper male viuit, nec de emẽdatione vitæ cogitat, nusquã est paratus: Quomodocũque igitur moriatur pessima eius mors dicenda est, atque nequissima: vnde Ecclesi. 28. *Iugũ illius iugũ ferreũ est, & vinculũ illius, vinculũ est æreum, & mors illius, mors nequissima.* Eccl. 28. 24. Quibus verbis innuuntur quinque mala, quæ in peccatore peccatum operantur.

Primũ est, quia mentem grauat: Secundũ est, quia cor indurat. Tertiũ est, quia ligat. *Peccati effectus.* Quartum est, quia fructum linguæ euacuat. Quintum est, quia finaliter damnat.

Iugũ hominis peccatoris, dicitur ipsummet peccatũ: Sicut enim iugum grauat & premit ceruicem bouis, ita peccatũ grauat & deprimit mentem hominis. Psal. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue, grauatæ sunt*, &c. Psal. 37. 5. Vnde sicut qui graue aliquod fert onus, illud statim deponit & abiicit: Ita peccator festinare ad pœnitentiã debet, vt onus peccati deponat. Heb. 12. deponentes omne onus, & circunstans nos peccatum, per patientiã curramus. Qui volũt maris periculum & tempestatem euadere, omnia in mare proiiciunt, vt nauẽ alleuient. Sic qui periculum mortis vitæ student, onus peccatorũ lõgiùs debẽt proiicere. Peccatum quod per pœnitentiã nõ diluitur suo põdere ad aliud trahit: Sicut boues cũ iugo post se aliud onus trahunt. Eccl. 28. *Beatus qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus.* Eccl. 28. 23. Istud iugum maxime soluitur

operibus misericordiæ & pietatis. Esayæ. 10. *Computrescet iugum à facie olei.*

Peccatoris cor durum. Secundum malum, quod facit peccatũ est, quia cor indurat. Propterea dicitur in auctor. allata, non solum iugum, sed etiam ferreum: Quia ferrum durius est cæteris metallis, sicut incus ferrea ex assidua percussione magis induratur: Ita cor peccatoris ex peccandi consuetudine obdurescit Iob. 41. *Cor eius indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus*: Lapis quantuncunque durus calore ignis aliquando soluitur, vt calx: Item ferrum mollescit igne. Sic duritia peccati igne tribulationis, & contritionis soluitur. Sin minus ad maius iudicium Rom. 2. *Secundum duritiam tuam & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram, in die iræ, & reuelatione iusti iudicij Dei.* Illud cor durum potissimum gestant pagani & gentiles, vnde Hierem. 28. *Iugum ferreum posui super collum gentium.*

Eccl. 28. 24. Iob. 41. 15. Rom 2. 5. Hier. 28. 14.

Eccl. 28. 24. Tertiò, ostenditur in auctor. adducta, peccatum animum ligare, ideoque vinculũ vocatur, ligat enim voluntatem detinẽdo per obstinationem. D. August. Ligatus eram nõ cathena ferrea, sed mea ferrea voluntate. Ferunt de Castore animali facere domunculas ex lignis, super aquis fluuialibus, eo quod caudã habeat semper in aqua: Atque præcisis iisdem lignis imponere alteri Castori, vt eũ ad se trahat & capiat. Sic diabolus vt animã capiat eã onerat peccatis, & per obstinationem ligat, & ad infernum veluti plaustrum

oneratum trahit. Esa. *Vae qui trahitis iniquitatem, in funiculis vanitatis & quasi vinculi plaustri peccatum.* Esa 5,5.18.

Quartò, ostendit quomodo peccatum linguae euacuat, & ideo vocatur aereum: tollit enim charitatem, sine qua locutio nihil prodest ad meritum. Apostol. 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar aut Angelorum, charitatem autē non habuero, factus sum, velut aes sonans, aut cymbalum tinniens*, &c. August. Recte fari & male viuere, est se sua voce damnare. 1. Cor. 13.1.

Quintò ostenditur, quod peccatum finaliter damnat, hinc mors peccatoris dicitur nequissima, quia impoenitens moritur. Est igitur nequā ille ex conscientiae corrosione, nequior ex mētis desperatione, nequissimus ex aeterna dānatione. Verùm procedit ista mors nequissima, ex vita nequissima, quae fuit nequā in peccati perpetratione, nequior in cōtinuatione, nequissima in obstinatione. Hinc stultitia & amētia in morte peccatoris Eccl. 22. *Nequissimi nequissima vita, super mortē fatui.* Eccl. 22.32.

Secundò, in them. assumpto ponitur illud quod debet esse omnibus detestabile, scilicet, praeceptorum Dei transgressio, cum dicitur, *peccatorum.* Id omnibus seruis debet esse detestabile, quo odium Domini incurrūt, & tantò magis, quantò Dominus est dignior, nobilior, & illustrior. Illud est peccatū. Eccl. 12. *Altissimus odio habet peccatores, & misertus est poenitentibus.* Quibus verbis de Deo tria notantur. Psal. 33.21. Eccl. 12.3.

Primum est immensitas potentiæ. Secundum est seueritas iustitiæ. Tertium est liberalitas gratiæ.

Circa primum notandũ est, quod sicut ille est maioris potentiæ, qui est in altiori dignitate. Vt maior est potestas Episcopi quàm sacerdotis: Archiepiscopi, quã simplicis Episcopi: Papæ, quàm inferiorũ Prælatorũ: Sic in secularibus: At Deus est summè potens, ergo illi maxime obediendum est. Eccl. 4. *Eris tu velut filius altißimi obediens*: Aliàs vindicta sequetur, & tantò grauior, quantò lentior. Valerius maximus dicebat, quod lento gradu ad vindictam diuina procedit ira, tarditatéque supplicij grauitate compensat. Ideoque dicitur Eccles. 5. *Ne dixeris, & quid accidit mihi triste, altissimus enim est patiens redditur.*

Obedientia. *Eccl. 4. 11.* *Eccl. 5. 4.*

Secũdò, ostẽditur in auctor. adducta seueritas iustitiæ, quia odio habet peccatores. Porro odiũ apud homines dupliciter manifestatur: Vno modo subtrahẽdo bonũ, & hoc modo dicitur odisse illos, quib⁹ nõ cõfert gratiã, sicut dicitur illos diligere quibus cõfert gratiã. Malach. 1. *Iacob dilexit Esau autẽ odio habuit.* Alio modo inferendo malũ pœnæ, ad remouendũ vel puniendũ peccatũ. Eccl. 12. 6. *Altißimus odio habet peccatores, & impiis reddet vindictã.* Nota, quod dicit, odio habet peccatores, nõ homines, quia vt inquit Sap. 11. 25. *Nihil odisti eorũ quæ fecisti*: Homines autẽ fecit, non peccatores, ideo homines diligit, sed peccatores odi; Psal. 5. 6. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.*

Eccl. 12. 3. *Malach. 1. 3*

Tertio in auctor. allata, ponitur liberalitas gratiæ, qui misertus est pœnitẽtibus simpliciter. Primo remittendo culpã, per cõtritionẽ, cũ proposito cõfitẽdi. Psal. 31. Dixi cõfitebor aduersum me, iniustitiã meã Domino, & tu remisisti impietatẽ peccati mei. 2. Reg. 12. statimq́ vt Dauid confessus est suũ peccatũ, Dominus illud transtulit & remisit. Qui debitor est, si sciret post cõfessionẽ debiti, futurũ vt remitteretur, statim cõfiteretur, imo palã publicaret. Hoc figuratũ in seruo, qui procedit ad pedes Domini sui, de quo Matth. 18. *Dicitur quod misertus est Dominus serui illius, & debitum dimisit ei.* Secundo relaxãdo pœnã, sicut fecit Niniuitis, quãdo cõuersi sunt ad pœnitentiã. Ionæ, 3. 10. *Conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus, super malitia quã locutus fuerat, vt faceret eis, & nõ fecit.* Tertiò, conferẽdo gratiã, iustificantem & dirigentẽ. Eccl. 17. 18. *Pœnitentibus dedit viam iustitiæ.*

Eccl. 12. 3. 9 Reg. 12. Matth. 18. 27.

Tertiò in themate assũpto ostẽditur illud quod debet esse formidabile, sicut est mors pessima. Porro mors dicitur pessima, quãdo quis per eã tẽdit ad dãnationem, in qua grauissima mala & maximè horrenda incurrũt. Figura est. 2. Machab. 6. Vbi dicitur, *Pessima autem & vniuersis grauis erat malorum incursio.* Quibus quidem verbis ostenditur quàm maximam pœnam peccatores incurrant, qui malè moriuntur, quadrupliciter.

Psal. 33. 22. 2. Machab. 6. 3.

Primo ostẽditur magna excessiuè, quia pessima. Secundò magna intensiuè, quia grauis.

Tertio magna multiplicatiuè, quia malorum, &c.

Mors peccatorum cur mala. Mors peccatorum dicitur mala, propter bonorum præsentium priuationem. *Ne timueris, cum diues factus fuerit homo*, Psalm. 48.

Psal. 48. 17. Sed peior propter malorum seu tormentorum sequentium incursionem. De quibus Luc. 16. *Eleuans autem oculos cum esset in tormentis*. Sed pessima propter bonorum in æternũ manentium priuationem, quia priuati sunt æterna beatitudine, qui secundum Boetium, est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Mors igitur peccatorum est pessima & deploranda, propter illa quæ diximus mala.

Baruch 2. 25. Baruch. 2. *Mortui sunt in doloribus pessimis, in fame, & in gladio & in emissione*. Id est exclusione à regno cœlorum.

Secũdò, pœna peccatorum, erit magna intensiuè, quia grauis licet vnus grauiùs altero affligatur, iuxta mensurã delicti, tamẽ tã immensus erit ardor ignis, vt ferri vix poterit.

Esa. 30. 27. Esa. 30. *Ardens furor eius, & grauis ad portandũ.*

Tertiò, erit magna extensiuè. In hac vita neque omnia bona, neque omnia mala omnibus adueniunt. At in futura, beatis aderũt omnia bona, propter sanitatẽm diuinæ fruitionis Psal. 144. *Suauis Dominus vniuersis*. Sic

Ps. 144. 9. in inferno vniuersis aderit omnium malorũ afflictio. Vt enim vnico membro corrupto, omnia alia membra dolorem sentiunt. Sic in inferno omnes damnati omnium aliorũ pœnam sentient. Hier. 6. 28. *Vniuersi corrupti*

ſunt, non defecit ſufflatorium, in igne. Et malitiæ eorum non ſunt conſumptæ.

Quartò, oſtenditur peccatorum pœnam eſſe grauem multiplicatiuè, quia erit ibi non tantum vnius, ſed omnium malorum incurſio: Cum enim duplex ſit genus mali: Malum culpæ, & malum pœnæ: Vtrumque erit in eis: Malum culpæ in his, in quibus non fuit expiatum peccatum, vel per baptiſmũ, vel per pœnitentiam: Item erit ibi malum duplicis pœnæ, ſcilicet, damni, de amiſſione bonorum temporalium & æternorum & ſenſus, ſicut pœna gehennæ. Deuter. *Congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis*, Hier. 11. *Inducam ſuper eos mala, de quibus exire non poterunt*: Vnde quilibet eorum dicere poteſt. Gen. 42. 36. *In me mala omnia reciderunt.* Sed è contra dicitur cuilibet beato, qui bene mortuus eſt, illud, Pſal. 90. *Non accedet ad te malum, & flagellum non apparebit in tabernaculo tuo.* Et hoc erit in gloria cœleſti: Ad quam nos perducat Ieſus Chriſtus Dei Filius, Amen.

Gen. 42. 36

Pſal. 90. 10

DISTINCTIO SEXTA, IN QVA AGITVR DE MORTVIS ſecundum diuerſitatem cauſarum, modorum, locorum, quibus homines decedere cótingit,

Cuius ſunt nouem conciones.

Prima eſt, in funere alicuius in bello occiſi, maxime ex cauſa iuſta.

Secunda, in funere cuiuſdam in ipſo belli campo interfecti.

Tertia, in funere alicuius ex vulnere accepto, mortui.

Quarta, in funere alicuius in longiqua regione defuncti.

Quinta, in funere cuiuſdam nauigando aquis obruti.

Sexta, in funere alicuius morte ſubitanea defuncti.

Septima, in funere cuiuſdam in carcere mortui.

Octaua, in funere alicuius à iudice damnati, & occiſi.

Nona, in funere alicuius per inſidias interfecti.

IN FVNERE ALICVIVS IN BELLO IVSTO OCCISI.

THEMA.

Melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ & sanctorum. 1. Machab. 3. *1. Macha. 3.*

RES parua, iuxta maximam, minor apparet, vt stellæ, sole lucēte, minores videntur: Ita homo mediocris staturę, minoris videretur prope Gigātem: Vnde Numer. 13. Exploratores qui à Moyse missi fuerant, dixerunt: *Vidimus monstra quædam filiorum Enach, de genere Giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Sic maius malum, facit præeligere minus: Nam nullus est, qui non potius velit membro aliquo corporis priuari, quàm vita: Propterea Dauid eligens potius incidere in manus Dei, quam hostium suorum dixit, 2. Reg. 24. *Melius est vt incidam in manus Domini: Multæ enim misericordiæ eius sunt, quam in manus hominum.* Eadem de causa Iudas Machabeus, videns maius esse malum, prophanationem sanctorum locorum, quàm mortem propriam, dixit, *Melius est nos mori in bello*, &c. In quibus verbis de tribus mētionem facit.

Numer. 13. 34.

2. Reg. 24. 14.

Primò, de formidanda morte.
Secundò, de re periculosa.
Tertiò, de re angustiis plena.

Mors bona, melior, & optima. Mors aliquando dicitur bona, aliquando melior, quandoque vero optima. Bona quidem propter iustitiam: Melior propter miseriam: Optima propter gratiam. Propter primum dicitur, Eccl. 41. *O mors quam bonũ est iudicium tuum.* Porro iudicium mortis dicitur bonum, triplici ratione.

Eccl. 41. 3.

Mortis iudicium dicitur bonũ cur?

Primò, quia non est corruptum auaritia, & pecuniarum cupiditate. Narrat Valer. Maximus de Cambise, qui quendam iudicem muneribus corruptũ excoriari fecit, & de eius pelle, sedem iudicialem cooperiri iussit, in qua filium loco Patris ad iudicia exercenda, constituit. Verum mors nemini fauet, nec muneribus corrumpi potest, ideoque diuitem, vt pauperem occidit. Luc. 16. *Factum est vt moreretur mendicus*, &c. *Mortuus est etiam diues.*

Luc. 16.

Secundò, quia iudicium mortis nusquam est erroneum ex ignorantia iudicis seu aduocati, ideòque neque iudices ignorantes, neque sapientes, seu aduocati mortem effugere possunt, Eccl. 2. *Moritur doctus, simul & indoctus.*

Ecclesiast. 2. 16.

Tertiò, quia mors nullam habet personarum acceptionem, sed est omnibus æqua, ait enim Philosophus, lib. 1. Ethic. Iudex debet esse sicut regula recta, ad nullam de-

clinans partem, odio vel amore. 2.Reg.14. *Omnes morimur & quasi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* 2.Reg.14.14

Declinat etiam iudex à veritate iudicij, timore aliquis Principis & Magnatis. At mors nullius potentiam reformidat, imo deponit potentes de sede, & omnem humiliat superbiam. Referunt historici quendam lapillum ad Alexandrum missum fuisse, qui in altera lance positus, præponderabat omnibus ponderibus, coopertus vero cinere, nihil erat eo læuius. Hunc lapillum dixerunt significasse Alexandrum, qui viuens tantæ erat potentiæ, vt omnibus præualeret: At opertus cinere & sepultus, nihil illo impotentius & infirmius. Iob. 14. *Homo cum mortuus fuerit, nudatus atque consumptus, vbi quæso est?* sup. eius potentia & magnitudo? Iob.14. 10. Eccl.7.2.

Secundò, mors dicitur melior, quàm vita, Eccl. 7. *Melior est dies mortis, die natiuitatis:* Tamen in natiuitate gaudent homines, in morte lugēt. Thraces, vt refert Valerius Max. lugere solebant, homine nascente, eodem moriente gaudere & epulari. Quo significabant hominem nascendo ad miserias venire, & moriendo à miseriis exire, quod videtur docere Scriptura, Iob. 14. *Homo breui viuens tempore multis repletur miseriis*: A quibus per mortem liberatur, hunc mundum multis tempestatibus, veluti periculosissimum mare deserens. Habet enim mundus tempestatem ventorum, hoc est, tentationum: Adest

multitudo hominum lædentium & perse-quentium, sicut in mari multitudo pisciũ & piratarum. Vnde quemadmodum qui in mari tempestatibus iactatur, ardentissimo desiderio portum appetit, ita vir iustus mortem ipsam, vt ad Christi quietem perueniat. Hinc Apostolus ad Phil. 1. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.*

Ad Phil. 1. 23.

Item per mortem anima de equo deponitur furioso & periculoso, hoc est, de corpore, per quod sæpissimè in præcipitium ruit, & barathrum inferni. Rom. 8. *Infœlix ego quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Rom. 8. 24.

Item egreditur de carcere angustissimo, Psal. 141. 10. *Educ de carcere animam meam.* Alleuatur etiam à pondere oneroso, id est, ab ipsius corporis infirmitate, & corruptibilitate, Sap. 9. 15. *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.* Item exit de opere laborioso, quia homo ad laborem nascitur, Iob. 5. à quo quiescunt per mortem, Apoc. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Tertio mors dicitur optima propter gratiam, quam sperat homo iustus quam sperat se recepturum à Deo, non solum in glorificatione animæ, sed etiam corporis, de qua 2. Machab. 12. dicitur, quod Iudas Machabęus considerabit eos, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habere repositam gratiam.

Vbi nota Sanctos propter opera misericordiæ & pietatis repositam in morte habe-

re gratiam bonam, meliorem & optimam. Bonam quidem quatenus liberantur à præsenti malo, Psal. 40. *Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Meliorem in quantum à futuro supplicio. Tob. 4. 11. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Sed optimam, in æternæ vitæ premio, 1. ad Timo. 48. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Propter quæ, sancti magnum lucrum sibi mortem existimant, ad Philip. 1. 21. *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* *Psal. 40. 1.*

Secundò, agitur in them. de re periculosa, quia de bello. Est vero bellum periculosum ob incertum euentum. 2. Regum. 11. *Varius est euentus belli*: Et nunc hunc, nunc illum consumit gladius. Porro triplex est bellum, temporale, spirituale & finale. Temporale potest esse iustum & licitum. Ad quod requiruntur: Primò, vt sint personæ, quibus licitum sit, bellum gerere: & non clerici quibus non licitum est sanguinem fundere. Adsit etiam iusta causa. Hinc D. August. Iusta bella debent definiri, quæ vlciscuntur iniurias: Si gens vel ciuitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod suis improbe factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est. Deinde necessaria est intentio bona & recta eorum qui bellum gerũt, vt bonum promoueatur, & malum vitetur: Requiritur etiam auctoritas Principis: *1. Machab. 3. 59.* *Bellum triplex.*

Iudic.11.27. quia priuata persona ius suum in iudicio potest persequi. Si aliquid horum desit non potest dici iustum bellum: potissimum si nō sit iusta causa, sicut dixit Iepte Regi filiorum Amon. Iudic. 2. *Non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non iusta.* De his Psal. 67. *Dißipa gentes quæ bella volunt.*

Si quærat quis vnde bella proueniant: Respondent Astrologi ex impressione cœlesti, putà ex coniunctione Martis & Saturni. Verum hæc sunt nugamenta. Meliùs Theologi, ex Dei punitione, vt peccata hominũ Esa.42.24. puniantur, & per sanguinis effusionem purgentur. Hinc Esa. 42. *Ipse est, cui peccauerunt, & noluerunt in viis eius ambulare, & noluerunt audire legem Dei*. Et effudit super eos indignationem furoris sui, & forte bellum. Ex parte Iacob.4.1. igitur hominum bella contingunt. Primo ex praua hominum dispositione, ira videlicet vel rei alienæ inordinata cupiditate. Iacob. 4. *Vndè bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?*

Secundum bellum est spirituale, pugnantium contra vitia & tentationes vitiorum. Prou.20.18 Seneca. Pacem cum hominibus habebis, bellum cum vitiis. Ista porro bella vincũtur cum orationibus, abstinentiis & occupationibus bonis, quæ sunt velut gubernacula quædam, quibus animæ defensantur & reguntur. Prouerb. 20. *Gubernaculis tractanda sunt bella.*

Tertium bellum est finale, in quo pugnat natura

natura contra morbum, & diabolus contra animam, & conscientia contra peccatum, quod fit in morte. Asinus est animal portans omnia, quæ illi imponuntur. Sic mors omnia bona hominis temporalia tollit: portat corpus ad tumulum: Animam peccatoris ad infernum, diuitias transfert ad cōsanguineos. Crura cerui habet propter velocitatem, pectus Leonis propter ferocitatem & audaciā: Neminem timet, & nemini parcit. Non Salomoni, propter suam sapientiam: Non Samsoni, propter suam fortitudinem: Non Alexandro propter suam magnificentiam. Equo assimilatur propter generositatem; Hier. 8. *Quasi equus vadens ad prælium.* Mors inducit hominem ad magnū prælium: Moriens enim pugnat cum mundo, qui eum spoliat: cum conscientia, quæ eum accusat: cum infirmitate, quæ eum cruciat: cum inferno, qui eum expectat. *Hierem. 8.6*

Ingens autem cornu habet propter magnam potestatem, qua omnia superat & prosternit humana: sicut patet in Hercule, Holopherne & aliis.

Os habet solidum propter tenacitatem, est varietas & multitudo dentium propter varios moriendi modos: Vocem hominis fingit, propter fallacitatem. Multos decipit, propter incertitudinem. Cum ergo tale animal hominem aggredietur, bellum periculosissimum ei offeretur: Quod si victor euadere cupiat, necesse est, vt se armis pœ-

Pro. 24. 6. nitentiæ muniat, vigilet, atque disponat. Prou. 24. *Cum dispositione initur bellum.*

Tertiò, in themate assumpto agitur de visione malorum, vnde dicit, quam videre mala gentis nostræ & sanctorum: Dicit hæc Iudas Machabæus, eo quod videbat mala tripliciter accidere. Primo videbat malos exaltari: Secundo, bonos opprimi: Tertio sancta prophanari.

Videbat ergo mala gentis suæ: primo quia cernebat malos euehi, vt boni affligerentur, Prou. 29. *Cum impij sumpserint Principatum, gemet populus.* Legimus de Democrito, quod

Prou. 29. 2. eruit sibi oculos ne videret prosperitatem malorum, & eorum exaltationem, Eccl. 10. Est & aliud malum, quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie Principis positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.

Secundum malũ erat, quia videbat bonos opprimi & conculcari. De quo quasi admi-

Abac. 1, 3. rans Abacuc propheta dicebat Deo. cap. 1. *Quare respicis contemptores te? Et taces conculcante impio, iustiorem se?* Deus tamen hoc permittit in bonum iustorum, vt in cœlis maiora gaudia consequantur. Psal. 118. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.

2. Machab. 5.16. Tertium malum erat, quia videbat Sancta prophanari. 2. Machab. 5. *Antiochus ausus est intrare templum, & scelestis manibus sumẽs sancta vasa, quæ ab alijs regibus & ciuitatibus,*

erant posita ad ornatum loci & gloriam, contrectabat indignè, & contaminabat: Vnde sequitur indigne tractantes res sanctas vt clerici vel Sacerdotes in peccato mortali existentes, grauiter & mortaliter peccare: E contrario eos qui digne & reuerenter ministrant sacramenta, recipere gratiam; qua gloriam consequũtur ęternam. Ad quam Deus Optimus Max. nos perducat, Amen.

IN FVNERE ALICVIVS, IN IPSO BELLI campo, occisi.

THEMA.

Facta super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini, & dimisit me, in medio campi, Ezechiel. 37.

QVemadmodum anima rationalis, virtute infinita à Deo creatur, & corpori infunditur, ita Dei permissione per mortem siue naturalem, siue violentam à corpore educitur, quia numerus mensium, apud ipsũ est: Et ipse constituit terminos eius qui præteriri non poterunt: Ideoque ista eductio à corpore eius qui in campo occiditur, manui Dei attribuitur. Vnde iste defunctus dicere potest. *Facta est super me manus Domini*, &c. In quibus verbis continentur tria, quæ circa mortem huius possunt considerari. *Ezech. 31. 1*

Primum est diuinæ dispositionis adimpletio.

Secundum est animæ separatio.

Tertium est corporis destitutio.

Sicut artifex quod apud se priùs cogitauit & mente sibi proposuit, adimplet opere: Sic Deus quod ab æterno de homine apud se constituit, operatur, & dicitur manus eius esse facta super hominem. Vnde quia iste sic mortuus est, vt Deus præuiderat, ex persona eius, dicitur. *Facta est super me manus Domini.* Si aliquis haberet manum, quæ ad omnes mundi partes pertingeret, eam nullus effugere posset. Manus Domini est eiusmodi, per quam eius omnipotentia intelligitur, quæ attingit à fine vsque ad finē fortiter, & disponit omnia suauiter: Ideòque eam nullus effugiet. Psal. 138. *Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades: Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me.*

Psal. 138. 7.

In quibus verbis tangūtur generalia loca, ad quæ manus Dei, id est, diuina virtus & operatio se extendit. Locus superior, inferior, & medius: Nota interim differentiam: Quia ad cœlum ascendimus, ad infernum descendimus, & in extremis maris habitamus. Ascendimus ergo primum in cœlum, si fuerimus à peccato liberati, non enim grauia, sed læuia ascendunt, Psal. 23. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto*

Psal. 23. 3.

eius? Et respondet, *Innocens manibus & mundo corde.* Item si fuerimus feruore animi inflammati, sicut ad calorem solis eleuantur vapores nubium, Psal. 103. 4. *Qui ponis nubē ascensum tuum.* Item si fuerimus mente humiliati. Nam auis volans in altum, primò se inclinat; hinc Dominus priùs descendit humiliando se, quàm ascenderit, se glorificando, Ephes. 4. *Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos.* Sed in auctoritate adducta, fit mentio de cœli loco, *tu illic es*, sup. cum beatis, supp. Qui in hoc mundo, fideliter ministrauerunt ei, in operibus actiuæ vel contemplatiuæ vitæ, sicut ipse promisit, Ioan. 12. dicens. *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Ephes. 4. 9. Ioan. 12. 26

Secundus locus est inferni, de quo dicit, si descendero in infernum ades: Vbi animaduertes, quod descendere, proprium est grauium, ideo lignum in aqua natat & lapis, qui est grauior, ad fundū descendit. Sic descendunt in infernum animæ peccato oneratę, & obstinatæ, Exo. 15. *Descenderunt in profundum, quasi lapis.* Huiusmodi sunt, quæ inueteratæ sunt in peccatis, & in dies nouis mortalibus coinquinantur. Baruch. 3. *Inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cū mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum.* Exo. 15. 6. Baruch. 3.

Dicitur porro de loco inferni, in auctoritate adducta, Psal. 23. 3. *Ades tu* Deus, scilicet, per iustitiam punientem: Nam ille qui modo hominibus salutem quærit, præci-

Esa. 52. 6 piendo mandata diuina, ibi aderit puniendo, Esa. 52. *Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Quasi dicat: Ego ipse, qui loquebar te admonendo, ecce adsum, te puniendo: Adest etiam diabolus, vt homines damnatos torqueat. Iob. 1. Affuit inter eos etiam Sathan, idest aduersarius.

Sed de mundo dicitur, si habitauero in extremis maris. Per mare vel intelligitur vita impiorum, quia ad modum maris intumescunt superbiam: Spumant per luxuriam: Absorbent per auaritiam, Esa. 57. 20. *Cor impij, quasi mare feruens*, quod quiescere non potest. Huius extrema sunt extremæ damnationis supplicia, ad quæ manu, i. virtute Dei, deducuntur impij. Istam manum nullus effugere potest, & hoc, quia est omnipotens. 2. Machab. 6. *Nam & si in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum omnipotentis, neque viuus neque defunctus, effugiam.* Et sicut homo animo & corpore Deum offendit. Ita in vtroque punietur: Offendit etiam committendo mala, quæ prohibuit, & omittendo bona, quæ præcipit, ideo duplici pœna punietur, scilicet, pœna sensus propter cōmissa mala, & pœna damni propter omissa bona, Esa. 40. *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Horrendum est ergo incidere in manus Dei viuentis, vt habetur, Hebr. 10. Ideoque dicebat, Iob. 13. 21. *Manum tuam longe fac à me.*

2. Machab. 6. 26.

Esa. 40. 2.

Secundò, tangitur animæ separatio, cū subditur, *Eduxit me*, scil. de mundo in spiritu

Domini. Dicitur spiritus Domini, quia à Domino creatus est ad imaginem & similitudinem suam, Psal. 145. 3. *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam.* Porro Sancti viri vehementer appetunt, vt spiritus à corporis carcere educatur, Psal. 141. *Educ de custodia animam meam.* Psal. 141. 10

In quibus verbis tangitur triplex ratio, quare anima Sancti viri desiderat à corpore separari. Primò, ratione claritatis, cum subditur, *Educ.* Nam quandiu anima est in corpore, in tenebris versatur, educta, claritatem lucis conspicit, vt is qui est in domo, cui aperiuntur fenestræ. Anima est veluti magna domus, quia ex Aristotele quodāmodo dicitur omnia, id est, omniū capax similitudinū, vt omnia cognoscat: Sed parua foramina, scilicet, quinque sensuum ministerio: Omnis enim nostra cognitio oritur à sensu: Ideoque sēper est in ignorantiæ tenebris, maximè circa ea, quæ sensum transcendunt, sicut sunt spirituales substantiæ, ad quas se habet intellectus noster, sicut oculus noctuæ ad lucem Solis, vt docet Philosophus in Metaph. Verùm quando anima educitur è corpore, tunc per seipsum illustratur à superioribus substantiis, & intelligit non per conuersionē ad phantasmata, sed ad ea, quæ sunt per se & simpliciter intelligibilia, sicut & aliæ separatæ substantiæ, quia sicut anima separata, habet alium modum essendi, quàm coniuncta, ita & alium habet modum *Mortis desiderium.*

intelligendi: Vnde secundum naturalem cognitionem, poterit quidem intelligere, per species intellectuales acquisitas; sed non eodem modo, quo nunc, sed secundum modum conuenientiæ animæ separatę.

Cognoscunt etiam animæ separatæ, per species ex influentia Domini luminis, quarũ anima fit particeps, sicut & aliæ animæ separatæ, quamuis inferiori modo: Vnde citò cessat conuersio ad corpus, quando ad superiora conuertitur. Intelligit etiam anima separata naturali cognitione seipsam, per seipsam: Et sicut perfectè cognoscit seipsam, ita etiam perfectè cognoscit alias substantias separatas. Angelos autem per species diuinitus infusas. Sed tamen, quia tales species recipiuntur in anima secundum modum naturæ suæ: & natura sua est inferior natura angelica: Ideo deficiunt huiusmodi species à perfecta repræsentatione Angelorum: Vnde cognitionem habet de Angelis deficientem & imperfectam, loquendo de cognitione naturali. Verùm etiã per huiusmodi species, quas habet anima separata ab influentia diuini luminis, habet cognitionem de omnibus naturalibus non perfectam, & distinctam, sicut Angeli, sed communem & confusam. Vnde Angeli per huiusmodi species non solum cognoscant naturas in vniuersum, sed etiam in singulari sub speciebus contentas.

Animæ autẽ separatæ non possunt cognoscere per huiusmodi species, nisi solũ singula-

ria ista, ad quæ quodãmodo determinantur, vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per naturalem, vel per diuinam ordinationem. Et sic patet, quod animæ separatio liberior est ad intelligendum, quàm esset in corpore existens: Et potissimum quantùm ad cognitionem gloriæ, quàm habent animæ separatæ iustorum, quæ est clarissima & perfectissima de omnibus rebus. Ideoque iustorum animæ eductæ ex corpore, transeunt ad lucem inaccessibilē Micheæ. 7. *Educet me in lucem.*

Cognitio beatorum clara.

Mich. 7.

Secundo anima viri iusti, appetit educi de corpore ratione libertatis, vt scilicet sit libera corporis custodia. Legitur de beato Marcello, quod in pœnam fuit deputatus ad custodiam animalium, in qua, vita functus est. Sic magna pœna est, & quoddam quasi martyrium custodire corpus suum, quod est animale & non spirituale, carnalia tantum appetens. Ideoque Beatus Andræas in cruce suffixus petebat à Deo, vt spiritum à tali custodia educeret.

Porro necesse est vt duplicem habeat anima custodiam de corpore, quæ est, ne vitio luxuriæ & gulæ inficiatur, à quibus liberabitur exitu animæ à corpore, per mortem, quæ est porta dura & ferrea, quæ tamen vltro aperitur. Hoc figuratũ est in B. Petro, quãdo eductus est de carcere Herodis Actor. 12. *Transeuntes autem*, sup. *Petrus & Angelus eius primam & secũdam custodiam*: Prima est à vitio

Corporis custodia.

Act. 12. 10.

gulæ, secunda à vitio luxuriæ: Vel prima custodia est innocentiæ post baptismum: Secūda gratiæ, post pœnitentiam. Et ita vtraque iuuat hominem. Angelus ei ad custodiā datur, & illi venerūt ad portam ferream, id est ad mortem corporis duram, quæ vltro apperta est, quia scilicet Beat. Petrus, Angelo auxiliante, voluntariè suscepit martyriū, & hæc porta ducit ad ciuitatem, id est, cœlestē Hierusalem. Tertio desiderat anima viri iusti educi à corpore, ratione fœlicitatis. Nam anima existens in corpore, beatitudine frui non potest: Sed egressa, videt faciem Dei, & fit beata: Quam quidem visionem, quò anima magis eam desiderat, eò ardentiùs eam expectat à corpore separata: Ideoque cum maiori luctu præsentis vitæ incolatum suffert, Psal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*, &c.

Psal. 41. 2.

Ezech. 31. 1.

Tertio, in themate ponitur corporis priuatio, cum dicitur, *diuisit me*. Sup. occisum, *in medio campi*. Qui proficiscuntur ad bellum, debent diligenter animaduertere, an sit iustum, nec ne: Quia si sit iustum, alacrius se conferunt ad pugnam auxilio diuino freti: Idque est in causa cur pauciores plærūque victores euadant. Habetur huius rei exemplum 2. Reg. 18. De populo Dauid, qui erat in numero paruo aduersum Absalonē, propter iniquā & iniustam illius causam, debellatus est. Et ideò ibi, *egressus est populus*, Sup. Dauid, *in campum contra Israel, & factum*

2. Reg. 18. 6.

est prælium in saltu Effraim, & cæsus est ibi populus Israel ab exercitu Dauid. Ex illis vero, quorum erat causa belli iusta, qui occisi sunt bene dispositi, salutem cōsecuti sunt æternam. Ad quam Iesus Christus Dei filius nos perducat. Amen.

IN FVNERE ALICVIVS VVLNERE OCCISI.

THEMA.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt. Psal. 87. *Psal.87.5.*

QVocunque modo homines, ex vita accedant, siue morbi infirmitate, siue vulneris violentia & grauitate, semper fortunæ fauore priuantur, quia de huius vitæ bonis nihil secum deferunt, Psal.48. *Cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* *Psal. 48.28.*

Qui tamen vulneribus moriuntur, & nece violenta, illis minus fauere videtur fortuna, quàm iis qui morte naturali. Quod de iis intelligi possunt verba thematis, si sumātur tanquam dicta fortunæ. In quibus tangitur triplex iactura talium mortuorum.

Prima, est, ex personæ læsione.
Secunda, ex sepulturæ quiete.
Tertia, ex fortunæ destitutione.

Tentationes sagittæ. Notandum est plures homines vulneribus mẽtis interfici, quam corporis. Sagittæ vero spirituales, sunt tentationes malæ, quibus animæ corruunt, quando eis consentiunt. *1. Paral. 5. 22.* 1. Paral. 5. *Vulnerati multi corruerunt, fuit enim bellum Domini.* Quibus verbis ostenditur tentatorum periculum ex tribus.

Primò, quidem ex interiori læsione. Secundo ex exteriori prostratione. Tertio ex superiori promissione.

Tentator primò conatur intellectum hominis corrumpere malas immittendo cogitationes, deinde suggerit prauas delectationes: Postremo ad consensum trahit, quo peccatum gignitur, sicque anima vulnere pessimo, videlicet peccati mortalis, vulneratur, & ornamentis gratiæ spoliatur. Hoc figuratũ *Act. 19. 16.* est, actor. 19. Vbi dicitur, *quod insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt vulnerati effugerent de domo illa.* Daniel. 13. *Erant ambo vulnerati,* sup. intellectus & affectus, vel spiritus & caro, *amore eius,* Sup. peccati.

Sed inter peccata plures vulnerat carnis *Prouerb. 7. 25.* libido. Hinc Prouerb. 7. *Ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis eius,* (Loquens de corporis voluptate) *multos enim deiecit vulneratos, & fortissimi interfecti sunt ab ea.*

Secundò ostenditur tentatorum periculum, ex exteriori prostratione, *quia corruerunt*, Sup. prauo consensu. Nam à dignitate gratiæ tantò profundiùs corruit, quantò ad peccati gradum vlteriorem & grauiorem procedit, Prouerb. 11. 5. *In impietate sua corruet impius.* 1. Paral. 5. 22.

Porro quatuor sunt causæ, quibus homo in peccatum corruit. Prima est ignorantia, Prouerb. 4. *Via impiorum tenebrosa, nesciũt vbi corruant.* Secunda est lubricitas concupiscentiæ. Hierem. 23. *Via eorum erit quasi lubricum in tenebris, impelluntur enim, & corruent in ea.* Tertia est pusillanimitas, animæ Prouerb. 29. *Qui timet hominem, cito corruet.* Quarta duritia impœnitentiæ Prou. 28. 14. *Qui mentis est duræ, corruet in malum.* Prou. 4. 19. Prou. 29. 25.

Tertio apparet tentatorum periculum, ex diuina permissione, qua dicit, *fuit bellum Domini.* Licet enim Deus neminem tentet, cum sit intentator malorum. Permittit tamen homines tentari & sanctos, vt humilientur coram Deo. Hinc D. Gregor. Vitia dum nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant, vel ad eorum eruditionem sicut eruditur miles ad bellum. Propterea Deus quasdã gentes dimisit nec exterminauit, vt Israël in eis erudiretur sicut habetur Iudic. 3. Gregor. interius bene custodimur, cum pro dispensatione Dei tolerabiliter tentamur. 1. Paral. 5. 22.

Dicitur ergò bellum Domini, quia à Dono permittitur, ad nostram vtilitatem.

Exo.17.16. Exod.17. *Bellum Dei erit contra Amalech à generatione in generationem.* Amalech interpretatur gens bruta, & signat dæmones, & ipsas tentationes. Quibus si quis resistat, & victor euadat, verè dicitur bellum Dei, quia eius auxilio parta est victoria, Psal.88. *Non es auxiliatus ei, in bello destruxisti eum*, id est permisisti labi in vitia, quia tu non es auxiliatus ei in bello. E' contra de his quibus adest auxilium diuinum, dicitur Zach. 10. *Erunt quasi fortes, & conculcantes lutum, in medio maris, & in prælio de bellabunt, quia Dominus cum eis.* Item dicitur bellum Domini, quia Dominus tentari valuit, vt nos ad pugnandum & vincendum instrueret. Psal.143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui doces manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

Psal.88.42. Zachar. 10.15. Psal.143.1.

Psal.87.5. Secundò in themate assumpto agitur de sepulturæ conclusione, cum dicitur, *dormientes in sepulchris.* Aristoteles lib. 1. de anima disputans aduersus eos, qui asserebant animam esse primum mouens seipsam, deducit eos ad impossibile, sequeretur (inquit) futuram mortuorum resurrectionē esse asserendam: Quia illud quod est primum mouens seipsum, mouet se secundum locum, sicque moueret seipsum mutatione locali, hoc est de loco ad locum, siue de corpore ad corpus, atque ita esset animæ transitus de corpore ad corpus, sicut de loco ad locum; Proinde sicut exit de corpore, posset

Resurrectio.

ad illud redire si vellet, & vnde sequeretur mortuorum resurrectio, quod est absurdum & impossibile. Ergo Aristoteles & alij nonnulli Philosophi impossibilem esse mortuorum resurrectionem crediderunt. Ideoque his dicitur. Psalm. 48. *Sepulchra domus eorum in æternum.* Verum hi Dei virtutem ignorarunt: Non autem Sancti viri fide illustrati omnipotentia verbis Dei futuram resurrectionem firmissimè tenent, vt non solum anima, sed etiam ipsum corpus præmio afficiatur. Iob. 19. *Scio enim quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die, de terra surrecturus sum,*&c. Non ignorauit hoc beata Martha. Ioa. 11. *Scio quia resurget frater meus in nouissimo die.* Hinc Apostol. 1. ad Thessal. 4. *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent, sup. futuræ resurrectionis.* Quibus quidem verbis tria facit.

Psal. 48. 10.

Iob. 19. 25.

1. Ad Thess. 4. 13.

Primò, documenti. Secundò, dat documenti emolumentum. Tertiò, ponit emolumenti defectum.

Ille ignorare dicitur, cui deest scientia, quàm scire potuit, & ad quam maxime aptus esse videtur. Sed tamen non tenetur scire: Hanc ignorare non est peccatum: Si vero teneatur quis scire, vt sunt præcepta fidei salutis, & officij, & tamen nesciat, ille peccat, ea enim ignorãtia nõ est inuincibilis,

Ignorantia.

ſed craſſa & affectata, ideoque non excuſat. Propterea cum carnis reſurrectio ſit de fide, nullo modo licet ignorare. 1. Cor. 14. *Qui ignorat, ignorabitur.* Cæterum mortui vocantur dormientes, quia ſicut facile eſt homini dormientem excitare, ita eſt facile Deo, hominem mortuum reſuſcitare. Ioan. 11. Dixit Chriſtus, Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, vt à ſomno excitem eum.

1. Cor. 14. 38.

Mortui dormientes dicuntur. cura.

Item mors aſſimilatur dormitioni, quia ſicut ille qui ad ſomnum cōfert habet ſpem euigilandi, ſic qui moritur, cum ſpe reſurgēdi moritur. Pſal. 40. *Nunquid qui dormit, non adiiciet vt reſurgat?*

Mors dormitio.

Pſal. 40. 9.

Secundò poſt doctrinam reſurrectionis ponitur emolumentum conſolationis. Cum dicitur, *vt non contriſtemini*, ſup. in morte charorum. Nam moderatè triſtari non prohibetur ob compaſſionem, vel charitatem, vel damnum aliquod, vel ſeparationem à parentibus & amicis. Hinc Dauid audita morte Abſalonis, contriſtatus aſcendit cœnaculum, & fleuit. 2. Reg. 18. Et Rex Antiochus audita morte Onæ flexus ad miſericordiam lachrymas fudit, recordatus defūcti ſobrietatem & modeſtiam. Debet tamen triſtitiā tēperare: Primò propter cōſenſum iuſtitiæ diuinæ. Vnde Eccl. 38. *Fili in mortuum produc lachrymas, & conſolare propter iuſtitiam*, alij, propter triſtitiam hoc eſt, vt non abſorbearis nimia triſtitia.

1. Ad Theſſ. 4. 13.

2. Reg. 18.

Eccl. 38. 16.

Secundò

Secundò tristitia est moderanda, ne tristitiis quis damnũ patiatur: nihil enim prodest defuncto, & sæpè multũ obest amico. Eccl. 38. 21. *Ne dederis in tristitia cor tuum*: sed repelle eam à te, & memento nouissimorum, *& noli obliuisci: neque enim est conuersio, & hinc proderis, & teipsum pessimabis.* D. Hiero. Moderandus est inquit dolor de morte amici: sicut fecit Dauid, qui audita morte filij, ait. Cum adhuc puer viueret, ieiunaui & fleui, dicebam enim: quia scit si forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans: Nunc autem quia mortuus est, quare ieiuno? Nunquid potero eum reuocare amplius? Ego vadã potius ad eum, ille vero non reuertetur ad me, & consolatus est Dauid.

Fletus temperandus.

2. Reg. 12.

Tertio refrœnanda est tristitia ob bonum defuncti. Quia si bene defunctus est, à miseriis huius vitæ, ad æternam requiem & fœlicitatem transiit. Eccl. 38. *In requie mortui requiescere fac memoriam eius.*

Eccl. 38. 24.

Tertiò in auctoritate citata ponit Apostolus emolumẽti defectum, cũ dicit, *sicut cæteri qui spem non habẽt.* Licet resurrectio nõ possit fieri nisi virtute diuina, natura tamen ad spẽ ipsius nos inducit. Vbi licet arbor prædicatur, si tamen adhuc radix remaneat, adhuc spes est, quod reuiuiscat. Radix autem vitæ humanæ est anima, quæ remanet: Licet igitur ab ea corpus præcedatur, tamen spes est futuræ resurrectionis. Hinc Iob.

1. ad Thess. 4. 3.

Iob. 14. 7. 14. *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, iterum virescit, & rami eius pullulant, si senuerit in terra radix eius*, &c, Psal. 15. *Caro mea requiescet in spe.*

Psal. 87. 5. Tertiò, erga defunctum ponitur fortunæ destitutio: Primo quantum ad eorum obliuionem, cum dicitur, *quorum*, Sup. tu fortuna, non es memor amplius: Item quoad fauorem, quia de manu tua repulsi sunt. Fortunæ eorum amplius non recordatur, quia post mortem mortuorum memoria apud homi-

Psal. 30. 15. nes cito perit, Psal. 30: *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Psal. 9. 7. *Periit memoria eorum cum sonitu.*

Vel hoc potest accipi de damnatis in inferno, quorum Deus non est memor amplius, non quod in eum cadat obliuio, sed quia eis nihil refrigerij aut misericordiæ impendit, ac si eos in perpetuum esset oblitus. Ideo dicitur *nec memor eorum per labia mea.*

Duo labia oris Dei per quæ loquitur, sunt duo testamenta, nec in aliquo inuenitur Deum damnatis recordaturum, vt aliquando eis misericordia erga eos vsurus sit: Ideo infernus vocatur obliuionis, vt manifestatur

Psal. 87. 13. Dei iustitia, sine spe misericordiæ. Psal. 87. *Iustitia tua in terra obliuionis.* Iob. 24. 20. *Obliuiscatur illius misericordia.*

Secundò ostenditur ratione mortui fauore fortunæ priuetur, repulit enim eos, vt non amplius apperiat eis manum, qua eis diuitias, honores voluptates & delicias largitur.

sine dicere possunt fortunæ, illud Psal. 88. *Tu vero repulisti & despexisti.* Ezech. 16. *Manum egeno & pauperi non porrigebat. Vel potius hoc potest referri ad Deum, de cuius manu repulsi sunt damnati in inferno existentes.* Psalm. 59.1. Deus repulisti & destruxisti nos. Iob. 8. *Non porrigit illam manum malignis*, de qua dicitur. Psal. 103. *Aperiēte te manū tuā, omnia implebūtur bonitate.* Et ista impletio præcipue erit in gloria beatitudinis æternæ. Ad quam Iesus Christus Dei filius perducat nos. Amen.

Psal. 88. 37.

Ps. 59. 1.

Psal. 103. 29.

IN FVNERE ALICVIVS IN LONGINQVA regione mortui.

THEMA.

Non est vir in domo sua; abiit via lōgissima; sacculum pecuniæ secum detulit, in die plenæ Lunæ reuertetur in domum suam. Prouerb. 7.

Prouerb. 7. 19.

DE hoc defuncto quatuor quæstiones moueri possunt. Prima est, vbi sit: Secunda quo iuit: Tertia quid secum portauit. Quarta quando redibit. Ad quas, Salomon in verbis propositis respondet.

Ad primam ait; non in domo sua: Ad Secūdā dicit iuisse in longinquā regionē: Ad Tertiam sacculum pecuniæ detulisse; Ad Quartā in die plenæ Lunæ reuersurum.

Triplex domus assignata est mortalitati

Domus triplex.

gulæ, secunda à vitio luxuriæ: Vel prima custodia est innocentiæ post baptismum: Secūda gratiæ, post pœnitentiam. Et ita vtraque iuuat hominem. Angelus ei ad custodiā datur, & illi venerūt ad portam ferream, id est ad mortem corporis duram, quæ vltro apperta est, quia scilicet Beat. Petrus, Angelo auxiliante, voluntariè suscepit martyriū, & hæc porta ducit ad ciuitatem, id est, cœlestē Hierusalem. Tertio desiderat anima viri iusti educi à corpore, ratione fœlicitatis. Nam anima existens in corpore, beatitudine frui non potest: Sed egressa, videt faciem Dei, & fit beata: Quam quidem visionem, quò anima magis eam desiderat, eò ardentiùs eam expectatā corpore separata: Ideoque cum maiori luctu præsentis vitæ incolatum suf-
Psal. 41. 2. fert, Psal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*, &c.

Ezech. 31. 1. Tertio, in themate ponitur corporis priuatio, cum dicitur, *diuisit me*. Sup. occisum, *in medio campi*. Qui proficiscuntur ad bellum, debent diligenter animaduertere, an sit iustum, nec ne: Quia si sit iustum, alacrius se conferunt ad pugnam auxilio diuino freti: Idque est in causa cur pauciores plærūque victores euadant. Habetur huius rei
2. Reg. 18. 6. exemplum 2. Reg. 18. De populo Dauid, qui erat in numero paruo aduersum Absalonē, propter iniquā & iniustam illius causam, debellatus est. Et ideò ibi, *egressus est populus*, Sup. Dauid, *in campum contra Israel, & factum*

eſt prælium in ſaltu Effraim, & cæſus eſt ibi populus Iſrael ab exercitu Dauid. Ex illis vero, quorum erat cauſa belli iuſta, qui occiſi ſunt bene diſpoſiti, ſalutem cõſecuti ſunt æternam. Ad quam Ieſus Chriſtus Dei filius nos perducat. Amen.

IN FVNERE ALICVIVS VVLNERE OCCISI.

THEMA.

Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt. Pſal. 87. *Pſal. 87. 5.*

QVocunque modo homines, ex vita accedant, ſine morbi infirmitate, ſine vulneris violentia & grauitate, ſemper fortunæ fauore priuantur, quia de huius vitæ bonis nihil ſecum deferunt, Pſal. 48. *Cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.* *Pſal. 48. 28.*

Qui tamen vulneribus moriuntur, & nece violenta, illis minus fauere videtur fortuna, quàm iis qui morte naturali. Quod de iis intelligi poſſunt verba thematis, ſi ſumãtur tanquam dicta fortunæ. In quibus tangitur triplex iactura talium mortuorum.

Prima, est, ex personæ læsione.
Secunda, ex sepulturæ quiete.
Tertia, ex fortunæ destitutione.

Tentationes sagittæ. Notandum est plures homines vulneribus mētis interfici, quam corporis. Sagittæ vero spirituales, sunt tentationes malæ, quibus animæ corruunt, quando eis consentiunt. 1. Paral. 5. *Vulnerati multi corruerunt, fuit enim bellum Domini.* Quibus verbis ostenditur tentatorum periculum ex tribus. *1. Paral. 5. 22.*

Primò, quidem ex interiori læsione. Secundo ex exteriori prostratione. Tertio ex superiori promissione.

Tentator primò conatur intellectum hominis corrumpere malas immittendo cogitationes, deinde suggerit prauas delectationes: Postremo ad consensum trahit, quo peccatum gignitur, sicque anima vulnere pessimo, videlicet peccati mortalis, vulneratur, & ornamentis gratiæ spoliatur. Hoc figuratū est, actor. 19. Vbi dicitur, *quod insiliens homo in eos, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt vulnerati effugerent de domo illa.* Daniel. 13. *Erant ambo vulnerati,* sup. intellectus & affectus, vel spiritus & caro, *amore eius,* Sup. peccati. *Act. 19. 16.*

Sed inter peccata plures vulnerat carnis libido. Hinc Prouerb. 7. *Ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis eius,* (Loquens de corporis voluptate) *multos enim deiecit vulneratos, & fortissimi interfecti sunt ab ea.* *Prouerb. 7. 25.*

Secundò ostenditur tentatorum periculum, ex exteriori prostratione, *quia corruerunt*, Sup. prauo consensu. Nam à dignitate gratiæ tantò profundiùs corruit, quantò ad peccati gradum vlteriorem & grauiorem procedit, Prouerb.11.5. *In impietate sua corruet impius.* 1.Paral.5. 22.

Porro quatuor sunt causæ, quibus homo in peccatum corruit. Prima est ignorantia, Prouerb.4. *Via impiorum tenebrosa, nesciũt vbi corruant.* Secunda est lubricitas concupiscentiæ. Hierem.23. *Via eorum erit quasi lubricum in tenebris, impelluntur enim, & corruent in ea.* Tertia est pusillanimitas, animæ Prouerb. 29. *Qui timet hominem, cito corruet.* Quarta duritia impœnitentiæ Prou.28.14. *Qui mentis est dura, corruet in malum.* Prou. 4. 19. Prou. 29. 25.

Tertio apparet tentatorum periculum, ex diuina permissione, qua dicit, *fuit bellum Domini.* Licet enim Deus neminem tentet, cum sit intentator malorum. Permittit tamen homines tentari & sanctos, vt humilientur coram Deo. Hinc D. Gregor. Vitia dum nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant, vel ad eorum eruditionem sicut eruditur miles ad bellum. Propterea Deus quasdã gentes dimisit nec exterminauit, vt Israël in eis erudiretur sicut habetur Iudic.3. Gregor. interius bene custodimur, cum pro dispensatione Dei tolerabiliter tentamur. 1.Para.5. 22.

Dicitur ergò bellum Domini, quia à Dono permittitur, ad nostram vtilitatem.

Exo.17.16. Exod. 17. *Bellum Dei erit contra Amalech à generatione in generationem.* Amalech interpretatur gens bruta, & signat dæmones, & ipsas tentationes. Quibus si quis resistat, & victor euadat, verè dicitur bellum Dei, quia eius Psal.88.42. auxilio parta est victoria, Psal. 88. *Non es auxiliatus ei, in bello destruxisti eum*, id est permisisti labi in vitia, quia tu non es auxiliatus ei in bello. E' contra de his quibus adest auxi-Zachar. 10.15. lium diuinum, dicitur Zach. 10. *Erunt quasi fortes, & conculcantes lutum, in medio maris, & in prælio de bellabunt, quia Dominus cum eis.* Item dicitur bellum Domini, quia Dominus tentari valuit, vt nos ad pugnandum & vin-Psal. 143. 1. cendum instrueret. Psal 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui doces manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

Psal. 87.5. Secundò in themate assumpto agitur de sepulturæ conclusione, cum dicitur, *dormientes in sepulchris.* Aristoteles lib. 1. de anima disputans aduersus eos, qui asserebant animam esse primum mouens seipsam, deducit Resurrectio. eos ad impossibile, sequeretur (inquit) futuram mortuorum resurrectionē esse asserendam: Quia illud quod est primum mouens seipsum, mouet se secundum locum, sicque moueret seipsum mutatione locali, hoc est de loco ad locum, siue de corpore ad corpus, atque ita esset animæ transitus de corpore ad corpus, sicut de loco ad locum: Proinde sicut exit de corpore, posset

ad illud redire si vellet, & vnde sequeretur mortuorum resurrectio, quod est absurdum & impossibile. Ergo Aristoteles & alij nonnulli Philosophi impossibilem esse mortuorum resurrectionem crediderunt. Ideoque his dicitur. Psalm. 48. *Sepulchra domus eorum in æternum.* Verum hi Dei virtutem ignorarunt: Non autem Sancti viri fide illustrati omnipotentia verbis Dei futuram resurrectionem firmissimè tenent, vt non solum anima, sed etiam ipsum corpus præmio afficiatur. Iob. 19. *Scio enim quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die, de terra surrecturus sum,*&c. Non ignorauit hoc beata Martha. Ioa. 11. *Scio quia resurget frater meus in nouissimo die.* Hinc Apostol. 1. ad Thessal. 4. *Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent, sup. futuræ resurrectionis.* Quibus quidem verbis tria facit.

Psal. 48. 10. *Iob. 19. 25.* *1. Ad Thess. 4. 13.*

Primò, documenti. Secundò, dat documenti emolumentum. Tertiò, ponit emolumenti defectum.

Ille ignorare dicitur, cui deest scientia, quàm scire potuit, & ad quam maxime aptus esse videtur. Sed tamen non tenetur scire: Hanc ignorare non est peccatum: Si vero teneatur quis scire, vt sunt præcepta fidei salutis, & officij, & tamen nesciat, ille peccat, ea enim ignorãtia nõ est inuincibilis,

Ignorantia.

ſed craſſa & affectata, ideoque non excuſat. Propterea cum carnis reſurrectio ſit de fide, nullo modo licet ignorare. 1. Cor. 14. *Qui ignorat, ignorabitur.* Cæterum mortui vocantur dormientes, quia ſicut facile eſt homini dormientem excitare, ita eſt facile Deo, hominem mortuum reſuſcitare. Ioan. 11. Dixit Chriſtus, Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, vt à ſomno excitem eum.

1. Cor. 14. 38.

Mortui dormientes dicuntur. cura.

Item mors aſſimilatur dormitioni, quia ſicut ille qui ad ſomnum cõfert habet ſpem euigilandi, ſic qui moritur, cum ſpe reſurgẽdi moritur. Pſal. 40. *Nunquid qui dormit, non adiiciet vt reſurgat?*

Mors dormitio.

Pſal. 40. 9.

Secundò poſt doctrinam reſurrectionis ponitur emolumentum conſolationis. Cum dicitur, *vt non contriſtemini*, ſup. in morte charorum. Nam moderatè triſtari non prohibetur ob compaſſionem, vel charitatem, vel damnum aliquod, vel ſeparationem à parentibus & amicis. Hinc Dauid audita morte Abſalonis, contriſtatus aſcendit cœnaculum, & fleuit. 2. Reg. 18. Et Rex Antiochus audita morte Onæ flexus ad miſericordiam lachrymas fudit, recordatus defũcti ſobrietatem & modeſtiam. Debet tamen triſtitiã tẽperare: Primò propter cõſenſum iuſtitiæ diuinæ. Vnde Eccl. 38. *Fili in mortuum produc lachrymas, & conſolare propter iuſtitiam*, alij, propter triſtitiam hoc eſt, vt non abſorbearis nimia triſtitia.

1. Ad Theſſ. 4. 13.

2. Reg. 18.

Eccl. 38. 16.

Secundò

I. Secundò tristitia est moderanda, ne tristatus quis damnū patiatur: nihil enim prodest defuncto, & sæpè multū obest amico. Eccl. 38. 21. *Ne dederis in tristitia cor tuum*: sed repelle eam à te, & memento nouissimorum, *& noli obliuisci: neque enim est conuersio, & hinc proderis, & teipsum pessimabis.* D. Hiero. Moderandus est inquit dolor de morte amici: sicut fecit Dauid, qui audita morte filij, ait. Cum adhuc puer viueret, ieiunaui & fleui, dicebam enim: quia scit si forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans: Nunc autem quia mortuus est, quare ieiuno? Nunquid potero eum reuocare amplius? Ego vadā potius ad eum, ille vero non reuertetur ad me, & consolatus est Dauid. *Fletus temperandus.* *2. Reg. 12.*

Tertio refrœnanda est tristitia ob bonum defuncti. quia si bene defunctus est, à miseriis huius vitæ, ad æternam requiem & fœlicitatem transiit. Eccl. 38. *In requie mortui requiescere fac memoriam eius.* *Eccl. 38. 24.*

Tertiò in auctoritate citata ponit Apostolus emolumēti defectum, cū dicit, *sicut cæteri qui spem non habēt.* Licet resurrectio nō possit fieri nisi virtute diuina, natura tamen ad spē ipsius nos inducit. Vbi licet arbor prædicatur, si tamen adhuc radix remaneat, adhuc spes est, quod reuiuiscat. Radix autem vitæ humanæ est anima, quæ remanet: Licet igitur ab ea corpus præcedatur, tamen spes est futuræ resurrectionis. Hinc Iob. *1. ad Thess. 4. 3.*

Iob. 14.7. 14. *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, iterum virescit, & rami eius pullulant, si senuerit in terra radix eius*, &c, Psal. 15. *Caro mea requiescet in spe.*

Psal. 87.5. Tertiò, erga defunctum ponitur fortunæ destitutio: Primo quantum ad eorum obliuionem, cum dicitur, *quorum*, Sup. tu fortuna, non es memor amplius: Item quoad fauorem, quia de manu tua repulsi sunt. Fortunæ eorum amplius non recordatur, quia post mortem mortuorum memoria apud homi-
Psal. 30.15. nes cito perit, Psal. 30. *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde*. Psal. 9. 7. *Periit memoria eorum cum sonitu.*

Vel hoc potest accipi de damnatis in inferno, quorum Deus non est memor amplius, non quod in eum cadat obliuio, sed quia eis nihil refrigerij aut misericordiæ impendit, ac si eos in perpetuum esset oblitus. Ideo dicitur *nec memor eorum per labia mea.*

Duo labia oris Dei per quæ loquitur, sunt duo testamenta, nec in aliquo inuenitur Deum damnatis recordaturum, vt aliquando eis misericordia erga eos vsurus sit: Ideo infernus vocatur obliuionis, vt manifestatur
Psal. 87. 13. Dei iustitia, sine spe misericordiæ. Psal. 87. *Iustitia tua in terra obliuionis*. Iob. 24. 20. *Obliuiscatur illius misericordia.*

Secundò ostenditur ratione mortui fauore fortunæ priuetur, repulit enim eos, vt non amplius apperiat eis manum, qua eis diuitias, honores voluptates & delicias largitur.

Hine dicere possunt fortunæ, illud Psal. 88. *Tu vero repulisti & despexisti.* Ezech. 16. *Manum egeno & pauperi non porrigebat. Vel potius hoc potest referri ad Deum, de cuius manu repulsi sunt damnati in inferno existentes.* Psalm. 59.1. Deus repulisti & destruxisti nos. Iob. 8. *Non porrigit illam manum malignis*, de qua dicitur. Psal. 103. *Aperiête te manū tuā, omnia implebūtur bonitate.* Et ista impletio præcipuè erit in gloria beatitudinis æternæ. Ad quam Iesus Christus Dei filius perducat nos. Amen.

Psal. 88. 37. Ps. 59. 1. Psal. 103. 29.

IN FVNERE ALICVIVS IN LONGINQVA regione mortui.

THEMA.

Non est vir in domo sua, abiit via lōgissima; sacculum pecuniæ secum detulit, in die plenæ Lunæ reuertetur in domum suam. Prouerb. 7.

Prouerb. 7. 19.

De hoc defuncto quatuor quæstiones moueri possunt. Prima est, vbi sit: Secunda quo iuit: Tertia quid secum portauit. Quarta quando redibit. Ad quas, Salomon in verbis propositis respondet.

Ad primam ait, non in domo sua: Ad Secūdā dicit iuisse in longinquā regionē: Ad Tertiam sacculum pecuniæ detulisse; Ad Quartā in die plenæ Lunæ reuersurum.

Triplex domus assignata est mortalitati

Domus triplex.

hominis. Prima est hic mundus visibilis, cuius tanquam fundamentum est terra: parietes tria alia elementa: Tanquam tectum est cœlum: Propter hominem facta est hæc magna domus: Ideoque cessante humano genere, omnia cessabunt. Licet autem sit positus in domo ista tam magna, minimam tamen partem occupat: Quia terra minima est respectu cœli, cuius parua pars à singulis habitatur. Si ergo istum hominem quæras in domo ista, non inuenietur, quia non est vir in domo sua.

Secunda domus hominis est specialis, quam cum familia sua inhabitat: Est ad cõmoditatem personarum, & rerum custodiam & conseruationem. Si quæsieris istum hominem, in domo sua inuenies. Propterea dixit: *non est vir in domo sua.*

Tertia domus est propria & particularis, scilicet corpus proprium, de quo Apostolus 2. Cor. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, domũ nõ manufactã habemus in cœlis:* Hæc domus habet diuersas partes, in quibus dixerunt animã habitare: Quidam enim dicunt animam sedem habere in capite principaliter. Gen. 2. *Deus inspirauit in faciem eius spiraculũ vitæ.* Alij dixerunt potius esse in corde, vnde Salomon Prouerb. 4. 25. *Omni custodia serua cor tuum:* Quia ex ipso procedit vita, vita autẽ est anima, ergo anima est in corde, Matth. 15. 18.

2. Cor. 5. 1.

Genes. 2. 7.

Dominus dixit, *de corde exeunt cogitationes*, cũ ergo cogitationes ſint ab anima, videtur etiã per hoc, quod anima ſit in corde. Alij putauerunt animam eſſe in ſanguine, propter illud Leuit. 17. *Anima omnis carnis in ſanguine eſt.* Alij ſicut Ariſtoteles, aſſeruerunt eã eſſe in toto corpore, & totam in qualibet parte: Quæ ſententia eſt veriſſima, licet diuerſæ potentiæ ſenſuum diuerſis partibus corporis ſint affixæ, non autem intellectus & volũtas, quæ virtutes à materia non pendent. Si igitur quærat quis vbinã ſit anima à corpore ſeparata: Reſpõderi poteſt, à corpore exiiſſe & à qualibet eius parte. Potentiæ vero quia inhærent organis, his deſtructis, etiam illæ deſtruuntur: Licet remaneãt in anima ſeparatæ ſicut in radice, ex qua reuiuiſcent in reſurrectione eorumdem corporum. Nũc autẽ moriente homine anima totaliter recedit è domo ſua: Sed aliter anima iuſti, aliter anima impij. Illa enim diſcedens tranſit ad domum cœleſtem, in perpetuum habitandã. 2. Cor. 5. *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, domum non manufactam habemus in cœlis:* Et hæc domus omnibus abundat diuitiis & gaudiis Pſal. 11. *Gloria & diuitiæ in domo eius.*

Leuit. 17. 11.

2. Cor. 5. 1.

Anima vero impij inuita cogitur relinquere domum corporis, omniaque huius vitæ præſentis bona, vt tradatur crudeliſſimis in inferno tormentis. Hier. 12. Reliqui domum meam, ſup. corporis, diuiſi

Hier. 12. 7.

hæreditatem meam: Dedi dilectam animam meam, in manum inimicorum meorum.

Prou. 7. 19. Secundò in assumpto themate, respondetur ad secundam quæstionem, qua quæritur de isto, quo iuit? Et respondetur, via longissima: Nam si anima defertur in infernum, vel ad purgatorium, via longa est, dicitur enim infernus esse in centro terræ, & prope illum purgatorium: Vnde illic eunti dici potest illud 3. Reg. 19. *Grandis tibi restat via.* Sed mirabile illud quod peccatum sit tanti ponderis, vt animas ad locum tam distantem & longinquum trahat. Iob. 21. *Et in puncto ad inferna descendunt.*

3. Reg. 19. 7.

Iob. 21. 13.

Luc. 19. 12. Porro si anima cœlum ascendat, id est, in paradisum, tunc est longior distantia & longissima via. Ait enim Rabbi Moses, tanta est distantia inter cœlum & terram, quantum homo ambulare posset in plano, septem millibus septingentis annis, quotidie quadraginta milliaria conficiẽdo? Alphragonus vero tradit quod à terra, vsque ad stellatum sunt centum nonaginta nouem & triginta septem miliaria. Ad hanc viam longissimam, potest referri illud Luc. 19. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnũ.* Iste homo nobilis est anima iusti defuncti, quæ tanquam pars principalior hominis, per synecerchem, homo vocatur: Est nobilis, quia est intellectualis naturæ, & ad imaginem Dei creata. Regio vero longinqua ad quam abiit, est vita æterna, vt

Ibi accipiat regnum.

Tertiò respondetur ad tertiam quæstionem, qua quæri potest. Quid portauit? Respondetur, *Sacculum pecuniæ secum tulit*: Non quidem pecuniæ materialis de qua, Iob. 27. *Diues cum dormierit, nihil secum deferet, apperiet oculos suos, & nihil inueniet*: Sed iste sacculus, est meritum elemosynarum. Eccl. 17. & 29. *Elemosyna viri, quasi sacculus cum ipso*: Vel est cumulus meritorum: Verum eruendum est, ne sit moneta falsa, & tantùm apparens, sicut sunt opera hypocritarum ficta & duplicia. Deuter. 25. *Non habebis in sacculo tuo diuersa pondera*. Aliud videlicet in intentione, aliud in opere. Item ne sit moneta diminuta, per defectum pœnitentiæ. Apo. 3. *Non inuenio opera tua plena*. Daniel, 5. *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens*. Vnde dicitur tali illud act. 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem. Debet ergo bona esse & prætiosa moneta: aurea per charitatem: Argentea per puritatem: Vera per simplicitatem, integra per totalitatem: Talis pecunia bene recipietur Esa. 46. *Qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderatis*.

Prou. 7. 16.

Iob. 27. 17.

Eccl. 17. 17

Deuter. 25 15.

Daniel. 5. 27.

Esa. 46. 6.

Quartò, ad quæstionem, qua quæritur, quando redibit? Respondetur, in die plenæ Lunæ. Hic erit dies iudicij, postquam innouabitur mundus. Ad literam Luna semper est plena ex opposito solis, Psal. 88. *Psal. 88. 36.*

Luna perfecta in æternum. Vel Luna erit plena, completo electorum numero, tuncque anima huius defũcti reuertetur in domũ suam, id est, in corpus proprium, diceîque illud, Matth. *Reuertar in domum meam, vnde exiui, & erit lux Lunæ, sicut lux Solis*, id est, claritas Ecclesiæ iustorum & Sanctorum cõsimilis claritati Christi. Vnde Apostolus ad Phil. 3. *Saluatorem expectamus Dominũ nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, cõfiguratũ corpori claritatis suæ*: Et hoc fiet in gloriosa resurrectione. Ad quam nos perducat, qui sine fine viuit & regnat. Amen.

Matth. 12. 44.

Ad Phil. 3. 20.

IN FVNERE ALICVIVS AQVIS OBRVTI.

THEMA.

Qui nauigant mare enarrant pericula eius. Eccl. 43.

Eccl. 43. 26.

Mors cur timenda.

QVemadmodũ periculosa est nauigatio, maris excitati fluctib⁹ & procellis, sic instātia & experiētia mortis, est maxime reformidanda: In ea naufragiũ timendũ est: In hac non solũ naturæ dissolutio, sed etiã diuini iudicij destructio, propter æternam damnationem, est valde formidabilis, Hinc Aristot.

In Ethicis. Omnium terribilium terribilissima est mors, quia finis est totius. Et sicut pericula maris diuersa sunt, ita varij sunt modi, & diuersæ causæ moriendi. Nam alios videmus ferro interire, alios suspendio terminari, alios aquis obrui, alios fame confici, alios in carcere mori, alios in lecto, naturali morte ex hac vita migrare. Sicut ergo ille non potest pericula maris recensere, nisi ea expertus fuerit nauigando: Sic nec pericula mortis, nisi ea per experientiam gustauerit. Ideo in themate dicitur, *Qui nauigant mare*, &c. Id est, qui mortem experiuntur, nobis pericula mortis narrare possunt. In qua quidem metaphora mortis, tria de ea principaliter innuuntur.

Primum est, eius experientia.

Secundum est, eius euidentia.

Tertium est, eius sæuitia.

Nauigatio igitur maris hoc loco significat mortis experientiam: Nam sicut ille periculum maris euasit, qui naue integra illud pertransijt: Ita periculo mortis liberatur, qui pœnitentia perfecta in aliam migrat vitam. Vnde Sap. 14. *Transeuntes mare, per ratem liberati sunt.* Quibus verbis agitur de duobus. *Sap. 14. 5.*

Primò, de mortis exitu.

Secundò, de pœnitentiæ fructu.

Dicitur exitus mortis, transitus maris. Quia mare mortem repræsentat triplici proprietate. Primò, quia mare est amarum, quia aqua eleuatur in vapores, qui sunt frigidi & *Mors significatur per mare.*

humidi ad superficiem aquæ. Alius vapor est frigidus & siccus, qui eleuatur de profundo maris, per motum Solis & stellarum. Estque terrestris & comburitur, ideoque fit salsum mare. Sic etiam in corpore humano, subtile cibi eleuatur ad nutrimentum illius, crassius verò remanet indigestum, quod vel est, salsum, vt vrina, vel amarum, vt cholera. Amaritudo ergo maris repræsentat amaritudinem mortis. Eccl. 41. *O mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantijs suis.* Si amara est memoria multo magis experientia, quæ priuat hominem omnibus diuitiis & delectationibus huius vitæ. Vnde Agag. 1. Reg. 15. *Siccine separat amara mors?*

Eccl. 41. 1.

1. Reg. 15. 32.

Secundò, mare representat mortem, quia imperscrutabile est, altum & profundum: Profunditas mortis in eo est, quod non possit præsciri nec tempus, nec locus. Ideoque est omnibus horis suspecta. Itē mare repræsentat mortem, quia per mare pertransitum est ad portum, & ad ciuitates remotissimas: Sic mors viris bonis est vtilis, quia per eam ad portum gloriæ perueniunt. Peccatores vero sine pœnitentia & Dei gratia decidentes, in inferno submerguntur. Hoc figuratum, Exo. 15. *Quia filii Israel transierunt per mare ad terram promissionis: Ægyptii vero in mari submersi sunt.* Propterea dicitur, ingressus est eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & adduxit Dominus super eos aquas maris, filii autem Israel am-

Exo. 15.

bulauerunt per siccum in medio mari. De iusto itaque dicitur, in iudicium non veniet, sed transibit à morte in vitam.

Secundò in auctoritate adducta, agitur de pœnitentiæ fructu, cum dicitur. *Per ratem liberati sunt*. id est, per cordis contritionem cum proposito confessionis & satisfactionis. Vnde in figura dicitur, Esa. 51. *Posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati*. Profundum maris, est intima contritio cordis de qua Thren. 2. *Magna est velut mare contritio tua*. Sicut mare eiicit sordes, & prouocat ad vomitum: Ita contritio ad confessionem, vomenda peccata, & ad purgandas animæ maculas. Sicque transeunt morientes liberati à pœnis æternis, per ratem, hoc est, per pœnitentiam, quæ si perfecta sit, migrant in cœlum, Sin minùs, in purgatorium. *Esa. 51. 10.* *Thren. 2. 13*

Secundo in themate assumpto notatur euidentia periculorum mortis, per enarrationem. Aduerte mortem non esse periculosam ijs qui bonam vitam duxerunt, quia sicut ait D. August. Mala mors putanda non est, quám bona vita præcessit. Sed est formidabilis peccatoribus & iniquis: Hi experientia mortis possūt enarrare pericula eius. Hoc figuratè exprimitur, Iob. 12. *Interroga iumenta & docebunt te, & volatilia cœli & indicabunt tibi, loquere terræ, & respondebit tibi, & enarrabunt pisces maris*. Per iumenta luxuriosi intelliguntur de quibus Ioel. 1. *Eccl. 43. 26.* *Iob. 12. 7.*

Computruerunt iumenta in stercore suo. Vbi Greg. Iumenta in stercore suo computrescere, est carnales homines in peccato luxuriæ vitã finire. Per volatilia autem cœli intelliguntur superbi, qui imitantur illum superbum Luciferum, qui dixit Esa. 14. *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum.*
*Esa.*14.13. Per terram vero intelligendi sunt auari, terrenorum cupidi, & qui oculos suos statuerunt declinare in terram. Pisces vero maris significant voluptuosos in aquis delitiarum viuentes. Illi igitur omnes interrogati de periculis maris, respondebunt illud, Sap. 5. Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non illuxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarũ iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius percurrens, & tanquam nauis quæ pertransijt fluctuantem aquam: Cuius cum præterierit nõ est vestigium inuenire, neque semitam carinæ in fluctibus: Aut auis quæ transuolat in aere, cuius nunquam inuenitur argumentum itineris illius, & post. Virtutis quidem nullum signum valuimus ostẽdere: in malignitate nostra consumpti sumus. Sed è contrario cœli, hoc est, probi &
Eccles. 43. cœlestes viri & iusti gloriam Dei enarrant.
26. Tertio in themate assumpto, ostenditur

mortis sæuitia & crudelitas : Vbi animaduerte pericula mortis assimilari periculis maris : Quia pericula maris nascuntur ex ventis , & belluis marinis. Sic in morte adsunt venti , id est , spiritus mali : Vnde Iob. 27. *Tollet eos ventus vrens*, id est, diabolus qui animam peccatoris in ignem inferni ducit. Item adsunt belluæ marinæ ad deuorandum, id est, homines mundi , præcipue consanguinei, qui non expectant nisi vt rapiant & habeant bona temporalia. 2. Corinth. 11. *Periculis in mari*, per quæ intelliguntur tentationes mortis : Post quæ pericula anima improbi multo maiora in inferno reperit de quibus, Psal. 114. *Pericula inferni inuenerunt me.* Contra animæ iustorum à periculis mortis liberatæ dicunt illud, 2. Machab. 1. *De magnis periculis à Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi*, sup. in gloria cœlesti.

Iob. 27. 21.

2. *Cor.* 11.

Psal. 114. 3.

2. *Machab.* 1. 11.

AMEN.

IN FVNERE ALICVIVS SVBITANEA MORTE vita functi.

THEMA.

Iob. 21. 23. *Iste moritur robustus & sanus*, Iob. 21.

CAusa mortis aliquando est euidens & manifesta, siue sit violenta, siue naturalis: Aliquando est intrinseca & occulta, quod præcipuè accidit in morte subitanea, quando homo qui sanus videbatur, subitò moritur, causa mortis non perspecta, sicut accidit pomo pendenti in arbore, & cadenti propter aliquam interiorem corruptionē non cognitam. De tali ergo homine sic moriente, dicitur in propositis verbis, iste moritur robustus & sanus. Quibus quidem tria de casu mortis talis defuncti, describuntur.

Primò, ostenditur talis casus fuisse irremediabilis.

Secundò, insuperabilis.

Tertio incognoscibilis.

Mors certa & incerta. Circa primum notandum est mortē partim certam esse, partim incertam: Certissimus est mortis euentus, quia necessarium est hominem mori, sed tamen tempus incertum

est: Vnde nihil certius morte, nihil vero hora mortis incertius: Rationem reddit D. Gregorius, vt videlicet ea esset nobis suspecta, ad eãque nos perpetuò disponeret, Esa. 38. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Quibus quidem, verbis tria præstat Esaias: Primò, tribuit salubre consilium. Secundò, prædicit ineuitabile malum. Tertiò, ostendit impossibile remedium. *Esa. 38. 1.*

Duplex est domus, cuius dispositioni debet homo perpetuò intendere, antequam moriatur. Vna est exterior, scilicet, domus familiæ: Cuius dispositio, fit per testamẽtum, quando bene & sapienter per testamẽtum, de omnibus rebus suis bene ordinat, quantum ad sepulturam, restitutiones, eleemosynas, iura hæreditaria, &c. Alia est domus interior, scilicet animæ, seu conscientiæ propriȩ, quam Deus debet inhabitare per gratiam, ideoque purgari debet & sanctificari, Psal. 88. *Domum tuam decet sanctitudo Domine.* Hæc domus ad instar materialis debet præparari. Quȩ primo scopari solet: Secundo collecta immundicia foras proijci: Tertio si quid sit fractum, aut destructum reparari. Primum pertinet ad contritionem cordis, quia sicut domus purgatur cum scopa aspera: Ita domus animæ, cum contritione dolorosa, quia sicut dicit Beatus Chrysost. Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur, sup. contrario modo. *Domus duplex.* *Psal. 88.*

Sicut discordia nascitur per voluntatis displicentiam, ita concordia per voluntatis complacentiam. Aqua congelatur per caloris absentiam, & resoluitur per eius præsentiam. Ita peccatum causatur in anima ex cõplacentia voluntatis, quia peccatum omne est voluntarium. Ideoque è contrario remoueatur necesse est ab anima voluntatis displicentia: quæ quidem, nihil est aliud, quàm contritio: quæ tantò est perfectior, quantò est cum maiori dolore, quo maior alius esse non debet, quia peccatum infinito bono, hoc est, Deo nos priuat: Ideòque maxime de eo dolendum est.

Contritionis gradus. Verùm hæc contritio quosdam admittit gradus, Primus est in peccati recordatione, nullum (inquit D. Chrys.) tale est remediũ, sicut continua peccatorum memoria, Recordare ergo peccati, in conspectu Dei tui. Secundus est in peccati detestationis aggrauatione, quæ fit distinctè considerando circunstantias peccatorum & eorum grauitatem, vel ratione status & conditionis personæ, vel comparatione loci & temporis, siue ex parte causæ peccandi.

Quartus gradus est in deploratione, Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* De his gradibus, Psal. 83. 6. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum.* Isidorus in lib. soliloquorum, compunctio cordis, est humilitas mentis, cum lachrymis proueniens ex

Psal 6. 6.

recordatione

recordatione peccati.

Secundò ad præparationem domus materialis, requiritur vt immundicia collecta foras proijciatur: Hoc fit in domo conscientiæ per peccatorum confessionē ne putrefiat & fœtidam reddat. Cuius triplex est ratio, Prima quia sicut morbus corporalis non potest curari, nisi manifestetur medico. Ita nec peccatum nisi per confessionem aperiatur Sacerdoti Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Secunda est propter irrigationem. Est enim Ecclesia velut quidam hortus diuersis arboribus consitus, quem aqua cœlestis gratiæ irrigare non potest, nisi per quosdam canales siue aquæ ductus, qui sunt Ecclesiæ sacramenta, Prouerb. 8. *Qui abscondit scelera sua non dirigetur*: Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Tertia est, propter reductionem quia peccator à Deo longe auersus, non reducitur ad Deum, nisi per mediatorem: Is autem est Sacerdos, qui culpam cognoscere debet: Ergo ei est per confessionem detegenda: Propterea Dominus iussit leprosis, vt se ostenderent Sacerdotibus. Luc. 17. Debet autem confessio esse integra & humilis. De ista dispositione conscientię dicitur, Psal. 111. *Disponit sermones suos in iudicio.*

Confessio.

Iac. 5. 16.

Pro. 28. 13.

Tertio requiritur ad dispositionem domus materialis, vt si quid sit confractum aut destructum, reparetur: Quod fit in conscientia per satisfactionem integram omnium

Ps. 111. 5.

peccatorum. Idque tripliciter. Primò ex parte amicitiæ, quia non potest homo Deo satisfacere, nisi in amicitiam redeat, quod fieri non potest quandiu offensa, non est remissa. Item patet ex parte gratiæ, quia quodlibet peccatum gratiæ aduersatur, ideoque simul esse non possunt, sicut frigus & calor, lux & tenebræ: Ergo qui vult gratiam consequi, peccatum expellat necesse est per satisfactionem. Item ex parte animę, quia anima simul & semel, ad plura non potest sese conuertere, nec igitur simul Deum & peccatum respiciet: sicut qui rixantur, auertunt suas ab inuicem facies. Hinc de peccatoribus ait, Hierem. 2. *Verterunt ad me tergum, & non faciem.* Quandiu quis est in peccato, semper auersam habet faciem à Deo. Est igitur Deo satisfaciendum. De qua dispositione dicitur. 2. Paral. 7. *Compleuit omnia, quæ disposuerat in corde suo.*

Psal. 141. 10

Hier. 2. 27.

Esa. 38. 1.

Secundo in auctoritate citata de iudicio ineuitabili, sup. mortis, cum dicitur, quia morieris. Nam ex D. Paulo Hebræ. 9. *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Ita vt qui non bene de domo conscientiæ disponunt, moriantur morte gehennæ necesse est. Quæ mors in tribus differt à morte naturali. Primo duratione, quia pœna mortis corporalis est instantanea: Pœna gehennæ est æterna. Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æter-*

Matth. 25.

num. Posset iniquum videri, quod pro finito peccato infinita pœna infligatur, quia secundum mensuram delicti debet esse plagarum modus. Verùm respondendum est offensam mensurari ex personæ dignitate, in quam peccatur. At Dei persona est infinita: Meritò igitur peccatum quod in Deum committitur infinitam meretur. Sed pœna non potest esse infinita intensiuè, cum huius homo non sit capax: Debet igitur esse infinita duratione. Quantum ad acerbitatem est finita & respondet finitati culpæ. Quantùm ad durationem, est infinita, & respondet infinitati personæ, videlicet, Dei.

Secundò, differt mors corporalis à morte gehennæ, quia illa corrumpit subiectum hoc est corpus: hæc verò licet summè affligat, numquam tamen subiectum dissoluit, scilicet animam, sed perpetuò eam cruciat. Psal. *Laborabit in æternum & viuet adhuc in finem*, Psal. 48. *Mors depascet eos.* Vnde etiam damnatorum corpora, post resurrectionem in igne inferni erunt indissolubilia. Sicut enim omnia membra & motus corporis ab anima pendent. Qua deficiente remanent immobilia: Ita omnia huius vniuersi corpora à motu cœli dependent, qui est veluti anima mundi: Et ideo cessante motu cœli, cessabit omnis alius motus, generatio, corruptio, & per consequens mors. Apocal. 21. *Mors vltra non erit.*

Psal. 48. 14.

Apoc. 21. 4

Differt tertio mors corporalis à morte gehennæ. Quia hæc sine comparatione est multo acerbior quacunque morte corporali. Patet, est enim acerbior quàm pœna purgatorii, quæ acerbitate omnes alias pœnas superat, quæ sufferri possunt in hac vita. Nam licet ignis purgatorij æternus non sit, miro tamen modo est grauis: nam licet crudelissimas pœnas martyres passi fuerint in hoc mundo, nequaquam tamen tanta sustinuerunt tormenta: Ergo mors gehennæ est acerbissima. Hinc fit vt damnati appetant mortẽ naturæ, vt careant morte gehennæ: quod tamen est eis impossibile. Apoc. 9. Desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.

Tertiò, in auctoritate adducta, ostenditur impossibile remedium, sup. salutis, post mortem: dicit enim, *non viues*, sup. tali vita, in qua possit reperiri remedium salutis. Quia si hoc neglexisti, non viues vita gloriæ, quod quidem est magis pœnale, quàm gehenna ipsa. Vnde super illis verbis Domini, Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, ait D. Chrysostomus, quod durius erit peccatoribus, audire discedite à me, quàm, ite in ignem æternum: Quia maior erit pœna damni, quam pœna sensus. Vnde peccatores
Act. 13. 46 miseri, eo ipso quod peccando vitam illam contemnũt beatã, indicant se esse tali pœna dignos. Et ideo dicetur eis illud act. 13. *Indignos vos iudicastis æternæ vitæ*: Cuius nullam amplius spem habent. Iob. 7. *Desperaui ne-*

 Iob.21. 23.
quaquam, iam vltra viuam.

Secundò, in themate assumpto ostenditur mors huius defuncti, insuperabilis, *quia robustus.* Duplex porro est robur hominis, animæ & corporis. Frequenter contingit, vt qui sunt robusti corpore sint debiles mente. Ita vt facile à tentationibus vincantur: Sicut patet de Sansone. De tali robusto dicitur Amos 2. *Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam.* Amos.2.14. Quasi dicat velocitas corporis non fugat vitia, nec corporis fortitudo tribuit menti virtutem, & robur corporis non facit animæ salutem.

Vel potest exponi, peribit fuga à veloce, id est, propter suam velocitatem homo non potest effugere mortẽ. Quod patet in Azoele, qui fuit cursor velocissimus, quasi vnus ex Capreis, & tamen occisus est ab Aner. 2. Reg. 2. *Et fortis non obtinuit virtutem suam,* 2.Reg. 18. sup. contra mortem. Quod est manifestum in Sansone, qui fuit pugil fortissimus, & tamen domo cadente, simul cum inimicis ex- Ecclesiast.9.11. tinctus est. Ecclef. 9. *Vidi neque velocium esse cursum, neque fortium bellum*: Sequitur: Et robustus non saluabit animam suam, sup. vitã à morte. Manifestum in Nembroth, qui fuit robustus venator coram Domino, non bestiarum modò, sed etiam hominum: Vnde incœpit esse primus potens in terra. Gen. 10. Et tamen mortuus est. Et Iudic. 20. 25. *Interfecti sunt decem & octo millia virorum omnes* Gen.10.

Prou. 21. 5. *robustißimi pugnatores.*

Sed est aliud robur animæ, ex virtutibus prouenièns, & qui hoc sunt robusti robore bonis abundant cogitationibus, Prou. 21. *Cogitationes robusti semper in abundantia.* Item sunt diuites in bonis operibus, Prou. 11. 16. *Robusti habebunt diuitias.* 2. Reg. 22. 26. *Eris cum robusto perfectus.*

Eccl. 21. 4. Tertio ostenditur quod iste casus huius defūcti fuit incognitus quia sanus, sup. videbatur, Eccl. 21. *Plagæ illius*, sup. mortis, *non est sanitas.* Ideo non in ea est fidendum, sed

Eccl. 17. 26. tunc magis ad præparationem & pœnitentiam confugiendum, Eccl. 17. *Confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis*: Quibus ostendit pœnitentiam habere tria.

Primò, sit accusatoria. Secundo vtilis: Tertio libera, & voluntaria, non autem fiat necessitate, aut metu mortis. Et ideo dicit, *viuus & sanus*, sup. confiteberis, & tunc omnibus modis eris sanus, non solùm corpore, sed etiam anima. Sicque sanata à mortalibus, erit etiam purganda à venialibus. Vnde Leuit. 14. *Postquam lota est denuò purificabis eam.*

Leuit. 14. 18 sup. à venialibus. Vt sic purificata maneat sana per gratiam, & fiat tandem salua per gloriam. Ad quam nos ducat Deus Optimus.

AMEN.

IN FVNERE ALICVIVS IN CARCERE DEFVNCTI.

THEMA.

Educ de carcere Deus animam meam.
Psal. 141.

Psal. 141. 10

QVantò aliquod animal est agilioris & liberioris naturæ, tantò difficiliùs retinetur. Ideòque aues in suis caueis inclusas, semper quærendo videmus circumire latera, vt exeant, quantuncunque cibum habeant paratum. Ratio est, cur syluestres belluæ difficiliùs includātur. Homo est animal omnium liberrimum, donatum est enim à Deo arbitrij libertate: Vnde quamuis ratione corporis cogi possit, tamen ratione animæ liber semper manet. Vnde si durum illi sit subijci secundum corpus, multò erit durius detineri in carcere secundum animam. Idque est quod Dauid verbis Thematis à Deo precabatur. Dicens. *Educ de custodia animam meã.* Quibus tria efficit.

Primò, tangit carceris angustiam.
Secundò, petit liberationis gratiam.
Tertiò, ostendit propriam indigentiam.

Prudentia. Notanda est differentia inter hominem prudentem, & imprudentem. Prudens futura prospicit potiùs quàm præsentia: Ideoque in hac vita afflictiones præsentes libenter excipit, vt in futura gloria vita fruatur beata. At imprudens è contrario, tantùm id quod adest, quodque præsens est cogitat, ideoque ridet eos qui pro futura gloria, hic patiuntur. De quo Eccl. 4. *Nescit prouidere in posterum quod de carcere catenisque interdum quis ad regnum egrediatur.* In quibus verbis tria facit, Eccl.

Primò ponit peccatoris imprudentiam.
Secundò viuentis angustiam.
Tertiò morientis gloriam.

Qui ambulat in nocte, sine lumine, certũ est in tenebris versari: Transitus mortis, est veluti noctis iter: pœnitentia finalis, & bona vita præcedens, est quasi lumen, in illo transitu: Impœnitens igitur vel qui male vixit, nesciens sibi de lumine prouidere, cum moritur ambulat in tenebris. Figura huius habetur, Matth. 25. *In virginibus fatuis, quæ non habentes oleum in vasis suis, media nocte veniente sponso, exclusæ sunt à nuptiis, & in tenebris remanserunt*, Psal. 81. 5. *Nescierunt neque intellexerunt: in tenebris ambulant*, &c. *Ergo quæ in morte sunt necessaria prouidere debemus.* Eccles. 18. 19. *Ante iudicium para iustitiam.* *Matth. 25.*

Secundò, in auctoritate adducta, ostenditur angustia viuentis, quia est in carcere & catenis. Est enim anima in corpore velut in-

clusa in carcere. Catena autem quæ tenet animam ligatam cum corpore, est vnio naturæ & amor vitæ. Vnitur enim anima naturaliter corpori, sicut forma materiæ, & naturaliter vitam expetit. Seneca vna catena quæ nos ligatos tenet, amor vitæ.

Vel nota alium triplicem carcerem. Primus carcer mundi, estque locus confusionis in quo manet homo quandiu in angustiis & miseriis huius vitæ viuit. Qui per carcerem Babylonis figuratur, in quo positus est Sedechias Hier. 52. *Adduxit eum Rex Babylonis in Babylonem, & posuit eum, in domo carceris, vsque in diem mortis suæ.* Ab ipso carcere cupiebat eripi Ioseph, qui virum iustum significat. Gen. 40. *Suggeras Pharaoni vt educat me de isto carcere.* Alius est carcer peccati, in quo clauditur malitia sua obcœcatus. Hic figuratur per carcerem Sansonis Iudic. 16. vbi dicitur. *Quem cum apprehendissent Philistin statim oculos eius eruerunt, & vinctum catenis molere fecerunt,* De hoc carcere D. Chrysost. Homel. 14. Super Matth. ait quemadmodum hi qui sunt in carceribus, cum catenis adducuntur ad iudiciũ, ita diuersis peccatorum catenis animæ circumligatæ ad horrendum tribunal ducuntur in his vinculis (ait Chrysosto.) custos perniciosus est pecuniarum cupiditas, quod non dimittit carcerem, sed compedes struit, & non solum animam indebitis ligatam, sed etiam aridam & pediculorum plenam, id est, affectionum rodentium. Ab hoc carcere edu-

Carcer triplex mundus.

Hiere. 52. 11.

Mundus carcer.

Gen. 40. 14

Peccatum carcer.

Iudic. 16. 21

citur homo per pœnitētiam, contritionem, confessionem & satisfactionem, quæ resecat superfluitatem capillorum, id est, passionum, & mutat vestem sordidam vitiorum, in vestam pulchram virtutum. Quod figuratum
Gen. 41. 14. est Gen. 41. Vbi dicitur, *quod adductum de carcere Ioseph totonderunt, mutataque veste obtulerunt ei.* Sup. Regi. Deo.

Tertius carcer inferni est perennis, de quo
Matth. 5. 26. nullus soluitur aut liberatur Matth. 5. *Amen dico tibi non exies inde*: Nam in inferno nulla est redemptio.

Tertio in auctoritate adducta ponitur iusti morientis gloria, quia egreditur, sup. è carcere corporis vel mundi per mortem ad regnum cœlorum assumptus. Figura huius habetur in Ioseph, de quo dicitur in Psalmis, quod misit Rex & soluit eum, scilicet à vinculis carceris, & constituit eum Dominum
4 Reg. 25. domus suæ, &c. Iterum 4. Reg. 25. In Ioachim, de quo dicitur, quod Rex Babylonis subleuauit caput Ioachim de carcere, & posuit thronum eius super thronum regum, qui erant cum eo. Et cum iustus fuerit ad re-
144. 13. gnum Dei assumptus: *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.* 144. *Tunc egredietur & ingredietur, & pascua inueniet.* Ingredietur, Sup. ad videndum bonitatem diuinam, & egredietur ad contemplandam Christi Domini humanitatem: Et vtrobique pascua inueniet refectionis æternæ.

Secundò, in themate assumpto, ponitur

liberationis gratia, cum dicitur. *Educ Deus* Psal.141.
Quando aliquis alium extrahit è loco peri- 10.
culoso, & in loco securo & tuto constituit, magnum illi confert beneficium. Idipsum præstat Deus iustis & viris bonis morientibus, quos constituit in paradiso, vnde de his potest exponi illud Psalm.106. *Eduxit eos* Psal.106.
in viam rectam, vt irent in ciuitatem habitatio- 7.
nis. Quibus verbis tria considerari possunt in transitu iustorum, videlicet, terminus à quo, terminus ad quem, & motus eius.

Terminus à quo, est præsens vita, à qua eduxit eos. Medium est pœna purgatoria vel diuina sententia. Terminus ad quem, est cœlestis gloria.

Deus hominem de hoc mundo educens, de loco periculosissimo extrahit, sicut quãdo auis illæsa de laqueo euadit. Est enim mundus laqueis repletus diaboli, qui sunt deordinatæ appetitiones. 1. ad Timo. 6. *Qui volunt* 1. ad Timo.
diuites fieri incidunt in tentationes, & laqueos 6.
diaboli. Psalm. 30. *Educes me de laqueo, quem ob-*
sconderunt mihi. Item educit eum de loco Psal.30 5.
fœtido, quia mundus plenus est fœtore, & fæce luxuriæ: item de loco tenebroso educit eos, quia mundus locus est, cui deficit lux & claritas amoris & dilectionis. 1. Ioa. 2. *Qui diligit fratrem suum manet in lumine.* At vero lumen istud abest à mundo. 1 Ioan. 2. *Qui odit fratrem suum, est in tenebris*. Item de loco miseriis & doloribus refertissimo, propter inuidos, qui fœlicitati Sanctorũ inuidẽt. Psal. 29. Psal 29 3.

Eduxisti ab inferno animam meam, id est, à mundo.

Sed tangitur medium per quod transeunt multi iusti ad ciuitatẽ cœlestis Hierusalem, & hoc est purgatorium, ideo subditur, *in viã rectam.* Quia non possunt animæ beari, nisi fuerint omnino purgatæ: Dicitur recta propter iustitiam, quia pro satisfactione pœnitentiæ supplenda, infligitur purgatorij pœna Sap. 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas.*

Sap. 10. Tertiò tangitur terminus ad quem, cum dicitur auctoritate citata, ciuitatem habitationis, hæc ciuitas est in cœlo habitatio perpetua. Ad Hebræ. 13. *Non habemus hic ciuitatẽ permanentem.* Sed futuram inquirimus. Est etiam læta. Psal. 86. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Est denique quieta. Eccl. 24 *In ciuitate sanctificata similiter requieui.*

Ad Hebr. 13 Tertiò in themate tangit Propheta indigentiam propriam, cum dicit, *animam meam:* quasi dicat, anima mea indiget educi, vt perueniat ad optatam requiem paradisi, quæ in Deo erit, Psal. 41 2. *Sitiuit anima mea ad* Deũ *fontem viuum,* &c. Cibus salsus generat sitim. Hic cibus est contemplatio diuinæ sapientiæ, quæ generat in anima fideli sitim & appetitum summi boni. Vnde Psal. dixit Dauid, *Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Vbi tãgitur sub nomine sitis duplex hominis appetitus. Vnus de animæ tranquilitate. Alius de corporis reformatione.

Circa primum nota quod quando res per-

uenit ad terminum motus, quiescit. Cum ergo Deus sit vltimus finis hominis, cum ad eum peruenit, omnino quiescit. Vnde August. lib. confess. fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Ideoque dicebat Christus, *si quæ sitit veniat ad me, & bibat*. De qua siti & satietate ait Gregor. in Moral, cum peruenerimus ad te fontem vitæ, erit nobis ex visione tua impressa sitis simulque satietas, sicque sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.

Secundò, ponitur appetitus animæ de corporis reformatione, cum dicitur, *Quam multipliciter caro tibi.* Caro enim per mortem multipliciter dissipatur in omnibus mẽbris, *Psal. 15. 9.*
partibus, sensibus & delectationibus, Ideoque oportebit in multis reparari, quod fiet *ad Phelip. 3. 20.*
in resurrectione, quando totaliter reformabitur & glorificabitur in iustis Psal. 15. *Caro mea requiescet in spe.* Apostol. ad Philip. 3, *Saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ &c.* Et hoc erit in gloriosa resurrectione sanctorum, ad quã Deus nos perducat in sæcula sæculorum. Amen.

IN FVNERE ALICVIVS, A IVDICE CONDAMNA-ti & occisi.

THEMA.

Erue eos qui ducuntur ad mortem
Prouerb. 24.

Prouer. 24.11.

ALiquis potest condemnari ad mortem, vel iustè, vel iniustè: Si iniustè, licitè potest à morte liberari & erui: Sicut Daniel Susannam liberauit, & Beatus Nicolaus tres innocentes iniquè damnatos. De hoc ad literam intelliguntur verba thematis. Propterea subditur, *& eos qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* Si iustè quis condemnetur, talem liberare esset contra iustitiam, & in damnum reipublicæ, Exo. 22. *Maleficos non*

Exo. 22.18. *patieris viuere.* Eum vero à morte spirituali riuere valde meritorium esset. Est autem hæc mors duplex, culpæ & pœnæ. A prima quidem morte, potest quis erui voluntaria pœnitentia: A secunda, potest liberari, exhibitis suffragiis & bonis operibus. A gehenna vero nullus potest erui, quia in inferno nulla est redemptio. Ergo in themate illud verbum, *Erue*, potest de pœna culpæ & pœnæ, exponi. Et secundum hæc, tria facit Salomon verbis propositis.

Primò, inducit ad exhibitionem misericordiæ.

Secundò, ostendit coactionem iustitiæ.

Tertiò, afflictionem pœnæ purgatoriæ.

Qui degunt in purgatorio, licet multis modis iuuari possint, tamen præcipuè per orationes bonorum & sacrificium missæ. Cuius ratio est, quia taxatio illius pœnæ est ex diuina iustitia secũdum exigentiam culpæ venialis, vel satisfactionis, non adimpletæ in hac vita: Sed quod pœna taxata minuatur, hoc procedit ex diuina misericordia: quæ præcipuè impetratur per orationes iustorũ, Psal. 32. *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.* In quibus verbis includitur triplex laus iustorum. Prima est, ex protectione diuinæ iustitiæ. Secũda, ex moderatione prudentiæ: Tertia, in relaxatione pœnæ purgatoriæ. *Psal. 32. 18.*

Obserua quod dicitur Prouerb, *Oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Sed quemadmodum sol illuminando hęc inferiora diuersos, imo contrarios inducit effectus, indurat enim lutum, & ceram liquefacit: Sic & oculi Domini aliter respiciunt iustos, aliter peccatores impœnitentes. Iustos respicit vt seruet eos, & erudiat: sed impœnitentes vt exterminet. Sic oculi respiciunt pullos suos, ad custodiam, & lepores ad escam. Et ideo *Prou. 15. 3.*

Psal. 33. 14. dicitur psal. 33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat memoriam eorum.* Ergo Dei aures sunt paratæ, vt exaudiat præces iustorum, non solum pro viuis, sed etiam

2. Mach. 12. 46. pro defunctis, hoc est, pro existentibus in purgatorio propter quod dicitur 2. Machab. 12. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis soluantur.* Prou. 15. 31. *Longe*

Psal. 113. 11 *est Dominus ab impijs, & orationes, iustorum exaudiet.*

Secundò, commendatur iusti, ex moderatione prudentiæ, quia prudenter sciunt tēperare metum iustitiæ, cum spe misericordiæ: vt metu iustitiæ, à malis abstrahantur, & spe misericordię, ad bona impellantur. Quæ qui habet, Deū meretur habere adiutorem, secundum illud psal. 113. *Qui timent Dominum, sperauerunt in Domino, adiutor eorum & protector eorum est.*

Porro metus Diuinæ iustitiæ inducit bonos ad compatiendum defunctis & eorum pœnis qui sunt in purgatorio. Sed spes diuinę misericordię inducit ad rogandum pro illis, vnde tam pro se quam pro aliis Deū timens misericordiam Dei pro se & pro aliis expectare potest Eccl. *Metuentes Dominum, sustinete, & expectate misericordiam eius.*

Psal. 17. 6. Tertiò indicatur gratia, quæ nascitur defunctis ex precibus iustorum, quę est relaxatio poenæ sup. vt eruat à morte, ab illa pœna

quæ

quæ acerbiſſima vt mors. Pſal. 17. *Præoccupauerunt me laquei mortis*, id eſt, pœnæ purgatorij. Pſalm. 17. 6.

Sed notandum, quod licet mors naturalis non ſit meritoria, mors tamen violenta pro peccatis inflicta, ſi patienter ſufferatur, & cũ peccatorum contritione, poteſt eſſe patientia tanta, vt ſatisfaciat pro omni pœna purgatorij infligenda. Et ideo latroni confitenti qui dixerat. Nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus. *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum* Luc. 23. Cui Dominus dixit. Hodie mecum eris in paradiſo. Qui cum tali nigritur pœnitentia, dicere poteſt. Eruiſti animam meam, vt non periret, proieciſti Purgatoriũ. poſt tergum tuum omnia peccata mea.

Secunda oſtenditur in themate aſſumpto Pro. 14. 11. coactio iuſtitiæ: quia ducũtur animæ in purgatorium ex igene Dei iuſtitia, etiam inuiti: Nam hæc pœna non eſt voluntaria, ſicuti hic peracta pœnitentia: Ideo erit vehementior pœna, quia voluntaria pœna, plus purgat, quàm coacta. Ioa. 21. *Alius cinget te, & ducet te, quo tu non vis*. In quibus verbis tangun- Ioan. 21, 18. tur tria.

Primum eſt coactio iudicij. Secundum eſt executio miniſterij. Tertium eſt punitio purgatorij.

Dicit ergo illis verbis alius, ſcilicet Deus, te iudicans, cinget te, id eſt, coarctabit cingulo iuſtitiæ ſuæ. Olim qui debebat flagellari ne effugeret, cingebatur, id eſt, ligabatur ad

ignis in purgatorio finitus & in inferno æternus, sed tantum affligens & crucians, quia ex diuina iustitia moderatur eius cruciatus secundum gradus culparum. Mors inferni est sine respectu misericordiæ, Psal. 72. *Non est respectus morti eorum.* Sed mors purgatorij, habet terminum & remedium: Quia pœna illa est finita, & iuuari potest, & minui, viuorum suffragiis, vt eruantur citiùs. Iob. 5. *In fame eruet te de morte.* Nam in purgatorio existentes, sunt in fame, quatenus gloria & beatitudine satiari vehementissimè exoptant. De qua satietate, Ps. 16. *Satiabor cũ apparuerit gloria tua.* Qua in re grauiter affliguntur: Prout etiam igne torquentur, in morte esse dicuntur. A qua eruetur anima post completam satisfactionem & purgationem, & in cœlum euolabit, iuxta illud. 1. Ioan. 3. *Translati sumus de morte ad vitam.* Ad quam nos perducat, qui sine fine viuit & regnat. Amen.

Psal. 72. 4.

Iob. 5. 20.

Psal. 16. 17.

1. Ioan. 3. 14

IN FVNERE ALICVIVS PER INSIDIAS interfecti.

THEMA.

Psal. 9.10. *Insidiatur quasi Leo in spelunca sua.* Psal. 9.

VSu venit, vt res quæ naturalem proprietatem deserit, in aliam naturam mutetur, vt ignis perdito calore, non est amplius ignis, sed vel fit aer vel aqua. Sic in moralibus, qui probitatem naturalem amittit, particeps diuinæ naturæ effici non potest, vnde sequitur vt in belluam transeat homo. Itaque relicta mansuetudine, quæ est hominis naturalis proprietas ferus & crudelis efficitur, ita ad cædes & homicidia more bestiarũ se conferat. Proximum negat. *Insidiatur* (inquit) *quasi Leo in spelunca sua.* Sed quia tales sunt diaboli imitatores, qui homicida fuit, ab initio assimilantur insidiis leoninis. 1.
1.Pet.5.8. Petr. 5. *Aduersarius vester diabolus tanquã Leo rugiẽs*, &c. Ideo ea verba de insidis quas diabolus morienti struit, vt in gehẽnã detrudat. Quibus quidem verbis de nostro aduersario tria docentur.

Primum est eius calliditas.

Secundum est eius crudelitas.

Tertium eius malignitas.

Homo vafer & dolosus decipere cupiẽs multis modis struit insidias. Sic diabolus. Eccl. 11. *Multæ sunt insidiæ dolosi.* In quibus quidem verbis ostenditur, deceptiones & fallacias diaboli metuendas esse, duplici ratione. Primò, quia sũt diuersæ: Secũdò fraudulẽtæ. Eccl. 11. 31.

Qui vult ciuitatem inuadere non in vno loco tantum ponit insidias, sed in multis partibus. Sic diabolus expugnaturus animam, multas insidias constituit. Figuram habemus Iudic. 9. In Abimelech, qui significat diabolum, de quo dicitur quod posuit *insidias iuxta sychimam in quatuor locis.* Sic diabolus quadrupliciter hominẽ aggreditur insidiis. Primo in principio boni operis, ne fiant. Sicut Pharao conatus est impedire filios Israël ne crescerent paruulos occidendo. Quibus opponi debẽt virtutes contrariæ. Cuius figura habetur Numer. 32. vbi dicitur. Paruuli nostri erunt in vrbibus muratis propter habitatorum insidias. Vrbes muratæ sunt virtutes, quæ hominem constantem & fortem reddunt vt bene incipiant agere, omni contempta difficultate. *Insidia diaboli.* Iude. 9. 54. *Diabolus astutus.*

Secundo diabolus insidiatur homini ipso opere, vt ipsum corrumpat per inanem gloriam Eccl. 11. *Bona in malum conuertens insidiatur, & in electis ponit maculam.* Sup. inanis gloriæ. Tertio insidiatur homini potissimum Eccl. 9. 33.

Gen.3.15. in morte. Cuius figura habetur Gen.3. *Tu insidiaberis calcaneo eius.* Nam calcaneum cum sit extrema pars corporis, significat extrema huius vitæ, quibus maximè insidiatur diabolus. Quartò, insidiatur post mortem. In Dei iudicio, vt eum accuset. Vnde in iudicio Dei faciunt dæmones sicut Pharisæi

Luc.11.54. Christo, de quibus dicitur Luc. 11. *Quod cœperunt grauiter insistere de multis insidiantes ei, & quærentes aliquid inuenire, vt illum accusarent.*

Tentationes metuendæ. Secunda ratio, quare metuendæ sunt tentationes diaboli, est astutia & dolus. Est autem dolosus, quia habet dolosam linguam, dolosam stateram, & dolosum arcum. Dolosam linguam habet, quia pollicetur bonum pro malo, hoc est de malo opere, præmium. Vnde ait primæ mulieri de pomo prohibito.

Gen.3.3. Gen.3. *Quacunque die comederitis ex ea apperiētur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Idem præstat, tentando, nam ob homicidium vel vindictam, pollicetur magnum honorem. De furto lucrum, de fornicatione, magnam delectationem. Contra tales astutias mittēdæ sunt sagittæ Verbi diuini, quia ista mala prohibent.

1. Io.3.15. 1. Ioan.3. *Omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Et ita de aliis: Sic Christus vicit diabolum in deserto tentatus. Item diabolus dicitur dolosus, quia tenet in manu dolosam

Osea.12.7. stateram. Oseæ.12. *In manu eius statera dolosa*; Ea est, quæ quod est magni ponderis, facit

minoris, & quod est læuioris, apparet grauioris. Illud efficit diabolus, quando peccatum grauissimum, læuissimum persuadet, & bonum opus, facit apparere difficillimum, vt ab eo distrahamur, Prouerb. 20. *Statera dolosa non est bona.* Pro. 20. 23.

Item diabolus gestat arcum dolosum, quia dum ad vnam partem tendit, ferit aliam & hoc est, quando persuadet malum, sub specie veri. Vel quando persuadet malum, vt inde sequatur bonum, contra illud Roma. 3. *Non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona.* Et ideo dæmonibus competit quod dicitur Oseæ. 7. *Facti sunt quasi arcus dolosus.* Rom. 3. 8.

Secundò in themate assumpto ostenditur diaboli crudelitas & ferocitas sup. aduersus hominem, cum dicitur, *quasi Leo.* Hic autem habet vngues quibus rapit, & dentes, quibus interficit. Sic vngues diaboli sunt tentationes, dentes quibus interficit, sunt persecutiones. Eccl. 21. *Dens ss Leonis, dentes eius interficiẽtes animas.* Quibus verbis ostẽdit quales sint tentationes, quas diabolus immittit. Earum tres sunt conditiones. Psal. 9. 10. Eccl. 21. 3.

Prima est, quia sunt fortes. Secunda, quia sunt crudeles. Tertia quia sunt mortales.

Immittit ergo diabolus tentationes fortes, sicut ille qui expugnaturus est vrbem aliquam, vndique bellum infert fortissimũ. Sic diabolus circundans animã diuersis Tentatio.

Iob 41. 5. & validis tentationibus, eã expugnat Iob. 41. *Per gyrum dentium eius fortitudo.* Sed maxime tentat de tribus vitiis ad quæ homo magis propensus est, quæ sunt, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia

Daniel. 7. 5. vitæ. Daniel, *Tres ordines erant in ore eius & in dentibus eius.* Principes tres, id est, tres cõcupiscentiæ prædictæ, quæ ad principalia vitæ spectant. Tentationes diaboli ostenduntur esse crudeles, quia Leonis laniantes sunt ita persecutiones.

Porro diabolus assimilatur Leoni, quia Leo sit audax & fortis, tamen naturaliter timet cantum galli, ignem & sonitum rotæ. Sic diabolus timet prædicatorem & ignem,

Diabolus feri assimilatur. scilicet charitatem. Vnde Gregor. Si vigilemus hoc non timet diabolus, quia ipse nunquam dormit: Si ieiunemus, hoc non metuit, quia nunquam cibum capit: Si charitatem seruamus in terra, quâm ipse seruare noluit in cœlo. Item timet rotam, hoc est, pœnitentem qui vertitur in cõtritione, dat sonum in confessione, sed portat onus in satisfactione. Necessarium igitur est homo fortitudine præstet, sicque dẽtes seruus nihili faciat. Hoc figuratum est 1. Reg. 7. In Dauide, qui inter-

1. Reg. 17. 34. pretatur manus fortis, dicente. *Pascebat seruus tuus patris sui gregẽ, & veniebat leo vel vrsus & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos & percutiebam & eruebam de ore eorum: & illi insurgebant aduersum me: & apprehendebam mẽtum eorum, & suffocabam & interficiebam eos.*

Tertio tentationes dæmonum sunt mortiferæ, quia interficiunt animas hominum. Dentes enim Leonis interficiunt corpora, sed tentationes dæmonum impellunt ad alia peccata quæ interficiunt animas non bestiarum, sed hominum. Nam licet animæ sint immortales, tamen morte culpæ & gehēnæ interfici possunt, Ezech. 13. *Vt interficerent animas, quæ non moriuntur.* Ezech. 13.

Tertiò in themate assumpto, ostenditur diaboli malignitas, cum dicitur *in spelunca sua.* Psal. 9. 10. Spelunca enim diaboli est eius malitia occulta, quando se in lucis Angelum transfigurat. Nam spelunca est fouea subterranea, à speculando dicta: habet enim ex parte lucis introitum latum, sed terminum arctum: Vnde locus est lucidus in ingressu, obscurus in progressu, sed arctus & insidiosus in egressu. Sic etiam diabolus apparens in forma boni Angeli, in principio dat splendorem & stuporem, in progressu dat timorem, sed in exitu dimittit errorem. Et ita latitantes eiusmodi cauernis, speculantur qualiter animas ad se possunt trahere, Apoc. 6. *Absconderunt se in speluncis.* Apoc. 5. 15. Verum Dominus notas facit suis electis istius astutias, sicut 2. Cor. 2. 11. testatur. D. Paulus. 2. Cor. 2. *Non ignoramus* (inquit) *cogitationes eius.* Et habent hoc Sancti, qui sunt illuminati per gratiam vt non decipiantur nec impediantur venire ad cœlestem beatitudinem. Ad quam Deus nos perducat, Amen.

DISTINCTIO SEPTIMA, IN QVA AGITVR DE CONSOLAtione viuorum, in fletu mortuorum.

Cuius sunt conciones septem.

Prima est, de tristitia repellenda, & luctu, qui fit propter mortuum.
Secunda, de commendatione visitantis lugentes.
Tertia, de ploratu temperato.
Quarta, de fletu propter nostri consideratione͂.
Quinta, de patientia in hoc mundo habenda.
Sexta, de non flendo, super iustos.
Septima, de consolatione de morte tristantium.

Distinctionis septimę Concio Prima.

DE TRISTITIA REPELLENDA, ET FLETV, QVI FIT PROpter mortuum.

THEMA.

Consolare propter tristitiam, & fac luctum secundum meritum eius vno die, vel duobus.
Eccl. 38. Eccl. 38. 18.

OMnibus causis vehementissime agentibus, natura temperamentum apposuit, ne noceant passiuis. Exempla manifesta sunt tam in planetis, quã elementis: Cum enim quidam planetæ dicantur esse maleuoli, propter suæ virtutis actiuæ excessum, ne inferioribus corporibus noceant, sicut Mars nimium calefaciendo, & Saturnus nimium frigefaciendo: Ideo his Deus auctor & conseruator naturæ supposuit quosdam planetas alios, qui vocantur beneuoli, quia illos impediunt & temperant. Ne ignis propter excessum suæ caliditatis & siccitatis, aeris humiditatem destrueret, aqua est aeri supposita, quæ sua humiditate & frigiditate, igneam caliditatem & siccitatem contemperat. Et nimia etiam humiditas aquæ, suppositæ terræ siccitatem temperat. Sic ergo in anima est ratio, quæ affectiones appetitus sentientis insurgentes refrenat, & ad mediocritatem reducit atque tẽperamentum: In qua mediocritate & temperie ratio virtutis moralis consistit. Vnde Arist. in Ethicis definit moralem virtutem, habitum electiuum in mediocritatem consistentem, determinata ratione, prout vir

prudens iudicabit. Quia ergo inter huiusmodi passiones plurimum excedit tristitia, estque tam animo, quam corpori maxime nociua: Quia spiritus tristis exsiccat ossa. At quia ortum habet, vt plurimum ex morte parentum & amicorum, idcirco necessaria est consolatio rationis propriæ, vel hominis sapientis, ne scilicet tristitia absorbeatur animus, & virtus corporis luctu resoluatur. Is igitur verbis Thematis ad consolationem interiorem inducitur. Quibus quidem Ecclesiasticus tria præstat.

Primò, inducit ad dolorem mitigandum.

Secundò, ad ipsum vitandum.

Tertiò, ad ipsum minuendum.

Non prohibetur damnum amicorum & mortem lugere, quia fieri non potest, quin amicus amici obitum non defleat & ægrè ferat. Idcirco Dauid audita morte Ionathæ amici. 2. Reg. 1. *Doleo super te* (inquit) *frater mi Ionatha subdit causam, quia sicut mater vnicum amat filium suum, ita te diligebam.* Et Dominus noster super Lazarum amicum suum lachrymatus est, Ioan. 11. At verò exhortatur scriptura vt post luctum, aliquã consolationem quęramus & accipiamus, omnemque dolorem deponamus. Huius figura habetur in Iuda, de quo post mortem vxoris dicitur, Gen. 38. *Quod post luctum consolatione accepta ascendit.* In quibus quidem verbis tria breuiter innuuntur.

2. Reg. 1. 26

Gen. 38. 12.

Primum est, tristitiæ signum.

Secundum est, patientiæ remedium.

Tertium est gratiæ profectus.

Mors parentum & amicorum lugeri solet, vt quanta tristitia affecti simus, ostendatur, ob separationem ab eis: vel ob damnũ proprium, quod plerunque ex illius morte sequitur: Siue ob compassionem eorum qui debent. Idcirco de Iacob dicitur, Genes. 37. *Quod indutus fuerit cilicio, lugens filium suũ Ioseph multo tempore.* 2 Reg. 13. Dicitur etiam de Dauid luxit filium suum Absalon. Et 2. Paral. 35. *Vniuersus Iuda & Hierusalem luxit Iosiam*, Ezech. 34. Eccl. 7. *Ne desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.* Ecclesiast. 7. 3. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuii*: subdit rationem, *In illa enim finis cunctorum admonet hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.* Gen. 37. 34. 2. Paral. 35. Eccl. 7, 38.

Secundò, in auctoritate adducta, ponitur patientiæ remedium, scilicet, accepta consolatione. Duo sunt quæ nos inducere debent ad consolationem de morte alicuius. Primum est qualitas morientis, quia lachrymis nec dolore reuocari potest. Ita seipsum consolatus est Dauid, 2. Reg. 12. *Propter infantem cum adhuc viueret ieiunaui & fleui*: Dicebam enim, *quis scit, si forte donet eum mihi Dominus & viuat infans? Nunc autem quia mortuus est, quare ieiuno? Nunquid potero reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum, ille vero non reuertetur ad me. Et consolatus est Dauid Bersa-* 2. Reg. 12. 22.

bee vxorem suam. Secundum est vtilitas viuētis: Quia ex immoderata tristitia & luctu nullum fructum & damnum magnū incurrit, non tantùm animæ, sed etiam corporis. A tristitia enim festinat mors, Eccl. 38. *Ideoque tristitia multos occidit.* Ideoque misericordiæ opus est Deo gratissimum contristatis consolari. 1. Paral. dixit Dauid. *Faciam misericordiam cum Amon filio Nath. Præstitit enim mihi pater eius misericordiam, & misit Dauid nū-*
Gen. 38. 12. *tios ad consolandum eum, super morte Patris sui.*

Tertiò in auctoritate superius allata ostēditur notitiæ profectus, quia dixit quod ascendebat, hoc est, *proficiebat in notitia & con-*
Sapientia triplex gradus. *sideratione sapientiæ.* Cuius triplex est gradus; quia ex hoc potest, quis cognoscere humanæ vitæ calamitatem, quæ tali fine, scilicet putredinis, terminatur: Secundus est, male morientis infœlicitatem, quia in infernū detruditur. Tertius est considerando benè viuentis fœlicitatem & iocunditatem, quia euolat ad gaudia infinita. Et istæ sunt as-
Psal. 83. censiones, de quibus dicitur in Psal. 83. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum*, id est in humilitate mortis & luctus alicuius.

Secundò sapiens in proposito Themate, inducit ad dolorem fugiendum, cum dicit propter tristitiam, scilicet, effugiendam.

Porro tristitia est repellenda dupliciter. Primò, propter detrimētum spirituale, quod est triplex. Primum est, quia impedit scien-

tiam & considerationem: Quia cum omnes potentiæ animę, radicentur in vna essentia animæ, necesse est, vt vehemens intentio alicuius facultatis, alterius potentiæ actionem impediat: Vnius enim animæ, non potest esse nisi vna intentio. Manifestum est autem, quod ad discendum aliquid de nouo requiritur studium & conatus cum magna intentione. Prou. 2. *Si quæsieris sapientiam quasi pecuniam & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges disciplinam.* Secundum detrimentum tristitiæ est, quia aggrauat & angustiat animam, ex eo quod pondere corporis impeditur à proprio motu: Sic tristitia spiritualiter: Nam est ex aliquo pręsenti malo: Quod quidem, eo ipso quod repugnat motui voluntatis aggrauat animum, in quãtum impedit eum, ne fruatur eo quod vult: Tunc motus animi interior angustiatur, vt nec huc, nec illuc intendere possit. Dicitur de Antiocho. 1. Machab. 6. *Renouata est in eo tristitia, & arbitratus est se mori: Et vocauit omnes amicos suos & dixit illis. Recessit somnus ab oculis meis, & concidi & corrui corde, præ sollicitudine. Et dixit in corde meo: In quantã tribulationem deueni? Et in quos fluctus tristitiæ in qua nunc sum?*

Prou. 2. 4.

1. *Machab.* 16, 10.

Tertium detrimentum tristitiæ est, quia impedit actionem meritoriam. Acquiritur enim meritum actionibus virtutis, quibus plurimum tristitia aduersatur: Hinc in moralibus ait Philosophus: Si tristatur aliquis bona operari, coactus operatur.

Qui autem ex coactione agit, iam non ex virtute. Imo interdum tristitia omnem operationem impedit, eo quod aliquando animam ipsam absorbeat, sicque omnem eius motum interiorem excludat. Et ideo ait Philos. in 10. Ethic. lib. Sicut delectatio perficit operationem, ita tristitia impedit. 2. Cor. 9. *Non ex tristitia aut ex necessitate, hylarē*
2.Cor.9.7. *enim datorem diligit Deus.* Secundò repellenda est tristitia, propter nocumentum corporis, quia maxime corpori, & humanæ vitæ nocet. Ea enim consistit, in quadam motione, quæ à corde, in cætera membra diffunditur, cui talis tristitia repugnat. Ideoque dicitur, Prou. 25 21. *Quod sicut tinea vestimēto, & vermis ligno, ita tristitia viri, nocet cordi.*
Eccl.38.18. Et Eccles. 38. *A tristitia, festinat mors.*

Tertiò, in themate, inducit sapiens ad dolorem & luctum cito finiendum cum ait. *fac lutum*, scilicet, meritum: Meritum plangendi mortuum attenditur pœnes dignitatē defuncti: Vnde in veteri testamento, qui aliis dignitate præstabant magis plangebantur, vel etiam probitate alios superabant: sicut patet de Iacob. Gen. 50. de Aaron num. 20. de Moyse Deuter. 34. de Samuele, 1. Reg. 25. Sed sequitur in themate, *vno die vel duobus*, id est, modico tempore. Eccles. 22. *Módicum plora super mortuum, quoniam requieuit.*
Eccl. 22. 11. Eccles. 38. *Fac luctum illius, vno die.* Hoc fie-
Eccl. 38. 18. bat antiquitus de quolibet vili mortuo: Sed de nobilioribus saltem septem diebus. Vel

per septem illos dies, moraliter septem partes prosperitatis mundanæ intelliguntur, pro quibus lugendus est homo, qui propter talia sæpè iacet mortuus in peccatis. Iob. 21.13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto, ad inferna descendunt.* Verum qui pœnitentiam agũt, & lugent peccata sua, consolabuntur, Matth. 5. *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur : in præsenti de venia, & in futuro de gloria.* Ad quam Deus Optimus Maximus nos perducat, Amen. Matth. 5. 5.

DE COMMENDATIONE VISITANTIS LVGENTES.

THEMA.

Melius est ire in domum luctus, quam ad domum conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum. Eccl. 7. Eccl. 7. 3.

Vt plurimùm accidit, vt præsens oblectatio & prosperitas, in perpetuum luctum & aduersitatem conuertatur, Prou. 14. *Extrema gaudij luctus occupat.* Et Luc. 6.25. *Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis.* E contrario contingit sæpè præsentem luctum & dolorẽ, in perpetuas conuerti delectationes & gau- Prou. 14. 13.

dia æterna. Ioan. 16. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quæ duo manifeste apparent in diuite Epulone, & Lazaro paupere. Luc. 16. Si ergo cuius finis bonus est, & ipsum quoque bonum esse necesse est, sequitur, *quod melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuii.* In quibus verbis agitur de quatuor.

Primò, de præsenti afflictione.

Secundò, de mundi consolatione.

Tertiò, de vtriusque comparatione.

Quartò, de euidenti ratione.

Mundus. Mundus hic se habet his, qui affliguntur, & aduersa patiuntur, vt domus luctus. Est enim domus incensa, igne auaritiæ. 2. Reg. 25. *Omnem domum combussit ignis,* scil. auaritiæ: Est etiam domus immunda & infecta, luxuriæ immunditia, estque lepra perseuerans, quia corrumpit & non corrigit. Est etiam mundus domus fumo superbiæ repleta. 4. Reg. 10. *Repleta est domus à summo vsque ad summum.* Propter mala quæ ex illis vitiis oriuntur, domus luctus appellatur. Verum de isto

Hier. 31, 13. luctu dicitur, Hierem. 31. *Conuertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabor à dolore suo.* Quibus quidem verbis continetur triplex promissum, respondens triplicis virtutis merito.

Primum quidem, respondet merito pœnitentiæ.

Secundum, merito misericordiæ.

Tertium merito patientiæ.

Sicut pœnitens de commissa culpa dolore

afficitur, ita de eadem remissa plurimum lætatur. Vt ergo in vite humor aquæ in vinũ, virtute solis conuertitur: Sic in pœnitente, charitatis vi & efficacia luctus in gaudium conuertitur: Quia virtute dilectionis peccata remittuntur, sicut patet in Magdalena, post cuius lachrymas, dixit Christus. Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.

Notandum porro est, verè pœnitentibus Deum & remittere culpam & restituere gratiam. Remittit enim primum omnia peccata. Vnum enim sine altero remitti non potest: Dei enim perfecta sunt opera, Deuter. 32. Cuius miseretur, totaliter miseretur. Et licet remissa culpa per pœnitentiam, tollatur reatus pœnæ æternæ: potest tamen post remissionem, adhuc manere ligatus ad pœnam temporalem: Sed cum auxilio diuinæ misericordię patienter pœnas tolerando, absoluitur etiam à reatu pœnæ temporalis. *Deut. 32.* *Culpa remissa pœna temporalis non remittitur.*

Item verè pœnitenti restituitur gratia, & omnes virtutes, sicut videmus, quod redeũte tempore veris, arboribus redduntur frõdes, quas abstulerat asperitas hyemis. Ex his manifestum est, culpam pœnitentibus remitti, per gratiæ infusionem: Quam omnes virtutes gratuitæ consequuntur ex qua cõfluunt, sicut ex ipsa anima omnes facultates & potẽtię. Cuius rei habetur figura apud Luc. *Luc. 15.*

Vbi pater mandauit ac iussit, vt filius pœnitens, *stola prima indueretur.* Quæ secundum Ambrosium est amictus sapientię, quam omnes sequuntur virtutes, Sap. 8. *Sobrietatem enim & prudentiam & iustitiam & virtutem,*
Sap. 8. 7. quibus nihil vtilius est in vita hominibus: Quia ergo per pœnitentiam remittitur culpa & restituitur gratia, conuertitur luctus pœ-
Hester. 9. 22 nitentis in duplicem lætitiam: Idcirco dicitur, Hester. 9. *Luctus & tristitia in hilaritatem*
Hiere. 31. 13. *gaudiumque conuersi sunt.*

Secunda autem promissio, quæ ponitur in auctoritate adducta, correspondet merito misericordiæ, quia pij homines compatiuntur proximis, & lugent de aliorum miserijs, & quantum ad hoc subdit, *& consolabor eos.* Vbi considerando bonos & sanctos de bonorum afflictione dolere, dolent, & de perditione malorum, lugent sicut Samuel lugebat Saul à Deo reprobatum. Ideoque in alia vita à Deo consolabuntur, & gaudebunt de beatitudine bonorum, & de malorum punitione lætabuntur, quia lætabitur iustus, cũ viderit vindictam. Ideoque Esa. 51. *Gaudiũ*
Esa. 51. *& lætitiam obtinebunt: fugiet dolor & gemitus: Ecce ego consolabor vos.*

Tertia promissio correspondet merito patientiæ. Cum dicitur, *Et lætificabo eos à dolore suo.* De Nilo Ægypti fluuio narratur, multum Ægyptios lætificare, quando eorum inundat agros, quia signum est futuræ fertilitatis. Sic inundatio tribulationum, est si-

gnum & causa abundantiæ bonorum, in futura vita. Iacob. 1. *Omne gaudium existimate fratres mei cum in tentationes varias incideritis.* *Iacob. 1. 1.*
Propterea in Psal. 45. Dicitur, *quod fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*: quia aduersitas præsentis vitæ est causa lætitiæ & gloriæ: Tunc enim Sancti omni labore & dolore liberati gaudebunt: Sicut mulier postquam dolorem partus euasit & filium peperit, lætificatur, Psal. 94. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* *Psal. 94. 4.*

Secundò, in Themate assumpto agitur de mundi consolatione, quæ intelligitur per domum conuiuij. Cæterum mundus, dicitur domus conuiuii, propter affluentiam voluptatum: Et etiam domus luctus, propter abundantiam miseriarum, ex quibus luctus, & tristitia ortum habent. Videmus plantas arbores, herbas, & omnia quæ ex terra nascuntur, à nimio calore vel frigore lædi: Sic homines nimia prosperitate, vel aduersitate frangi. Quia prosperitas per voluptates corrumpit, inducentes ad gulam & luxuriam. Aduersitas per impatientiam deiicit, efficiēs homines vel crudeles vel immites, vel pusillanimes. Ideoque ab vtraque cauendum est. Hinc Hierem. 16. *Ne ingrediaris. Neque conuiuii, sicut faciebat D. Epulo*, vis non perire, *vadas ad plangendum.* Indulgeas, neque aduersitatibus pro[...] neque voluptatibus [...]aris aut deijciaris. *[...]6. 5.*

Prou.23.20. Ad literam etiam vitanda sunt conuiuia inhonesta & superflua, Prou. 23. *Noli esse in conuiuijs potatorum.* Vbi sicut ait Gregor. abũdant edacitas, loquacitas, & ludorum vanitas. Hinc Iob. 1. Dicitur de filiis Iob. *Quod faciebant conuiuia per domos, vnusquisque in die suo:* Cumque transijssent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat eos. Vbi dicit D. Greg. quòd vir sanctus nouerat conuiuia, vix sine culpa posse celebrari: Ideoque sacrificiorum purgatione indigebant.

Porro circa conuiuia malorum, quatuor vitia admitti solent. Nam præcedit cupiditas inanis gloriæ: Multi enim huiusmodi parant conuiuia, vt magnifici videantur, & vt apud homines gloriam & laudem assequãtur.

Luc.14.13. Luc. 14. Id vetat Christus. *Cum facis* (inquit) *conuiuia voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent, vnde possint tibi retribuere, retribuetur enim tibi, in resurrectione iustorum.* Item procedit inde prodigalitas impensæ quæ dari possent pauperibus & debitoribus, in eleemosynis & restitutionibus faciendis, sicut patet in diuite Epulone, qui quotidie habebat splendidas epulas, & di[illegible]eri Lazaro negabat micas. Item eiusmodi munditia [illegible]ia plerunque gula, ebrietas, & im-

2.Pet.12.13. Pet. 2. *Voluptat[illegible]iæ* comitantur. De quibus. 2. *quinationis & macula[illegible]stimantes Dei delitias coinuiuiis suis luxuriantes, vo[illegible]is affluentes, in con[illegible] plenos adulteriis.* Et Oseæ. 4. *Sep[illegible]oculos habentes vinum eorum, fornicatione fornicati s[illegible]nt est con-*

Tertio in themate assumpto agitur, de vtriusque comparatione, scilicet aduersitatis & prosperitatis, *quia melius est ire ad domum luctus*, &c. Id est, melius est pati aduersitatē, quàm sequi voluptatem. Quia in aduersitate, relucet patientia iusti, vita gratiæ conseruatur: Sed voluptatem sequens culpæ morte corruit. Propterea persecutus Dauid à Saule bonitatem seruauit. Prosperitate elatus in luxuriam & homicidium incidit. Vnde dicitur, Iudith. 7. *Melius est, vt captiui benedicamus Dominum viuentes*, sup. vita gratiæ, quàm moriamur, sup. morte peccati. Item quia ex aduersitate anima humiliatur, sed ex prosperitate in superbiam effertur. Prou. 16. Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis. In paupertate & aduersitate, homo magis timet Deum: In prosperitate diues contemnit eū. Prou. 15. Melius est parū cū timore Domini, quàm thesauri magni & insatiabiles. Per aduersitatem etiam homo plerumque, absque culpa in manus hominum incidit, cum culpa in manus Dei. Sed sicut dixit Susanna Daniel. 13. *Melius est absque opere, incidere in manus hominum, quàm peccare in conspectu Domini, quia horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Iudith. 7. 16. Daniel. 13.

Quartò, in themate ponitur euidens ratio, quare sit melius ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuii, quia in illa finis cunctorum admonetur: id est ad memoriam reducitur finis cunctorum viuentium.

Hæc rememoratio multum prodest, vt homo cautiùs & prudentiùs se gerat. Amicus, qui nouit finem periculosum, illius amicum suum admonet, vt caueat sibi: Mors autem est finis periculosissimus, ideo multũ valet ad nostri custodiam. 1. Pet. 3. *Finis omnium appropinquabit. Estote ergo prudentes, & vigilate in orationibus.* Quibus quidem verbis. B. Petrus tria facit.

1. Pet. 3.

Primò, nobis proponit mortis instantiã.
Secundo nos inducit ad futuri prouidentiã.
Tertiò, ad nostri custodiam.

Finis omnium dicitur appropinquasse, quia breues dies hominis sunt: Et quantò quis viuit diutius, tantò plus illius finis appropinquat. Si sit aliquod periculum, à quo multi euadant, non timetur, nec sibi homines prouident. Si vero pauci ab illo liberentur, tum ille habetur stultus & imprudens, qui non sibi prouidet. Sed finis noster, siue mors est eiusmodi, vt neminem excipiat, ideo sibi prouidendum est. Est enim omnibus æqua. Gen. 6. *Finis vniuersæ carnis venit coram me.* Et Ezechiel. 7. *Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ.*

Ezech. 7. 2.

Secundò inducit nos ad futuri prouidentiam, cum subdit, *Estote ergo prudentes*, ille esset imprudens, qui in aliqua terra vellet commorari, à qua posset expelli, imo exeũdũ esset: Imprudẽtior, si ibi thesaurũ cumularet:

E' contrario prudens diceretur, qui ibi necessaria pararet, vbi tuto manere posset. Qui domum locat ad certum quemdam terminum, eo appropinquante, locator aliam parat. Sic noster exitus est propinquus, horam nescimus, qua expellendi sumus ex hoc mũdo. Quidni ibi cumulare debemus diuitias, vbi futura est nostra mansio. Eccl. 10. *Ciuitates habitabuntur per sensum prudentium.* Sed heu, qui dicitur Luc. 16. Quod filij huius sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua. Eccl. 10. 3.

Tertiò, inducit nos ad nostri custodiam, cum additur, *vigilate in orationibus.* Vult sollicitі sumus primò ad custodiam, ideoque dicit, *vigilate.* Secundò, quod simus ornati ad pugnam, & ideo subdit, *in orationibus.* Homo aduersarium habens fortissimum & infensissimum, vndique illum explorans, & insidias struens, cauet ne dormientem illum aggrediatur. Habemus hostem crudelissimum diabolum videlicet, qui perpetuò nobis insidiatur: Caueamus igitur ne dormiẽtes in pecca tis nos reperiat, & occidat. 1. Pet. 5. *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tãquam Leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* 1. Petr. 5. 8.
Figuram habemus huius 2. Reg. 4. In Isboseth qui vir confusionis interpretatur. Is dormiebat super stratum suum meridie & *ostiaria domus* (id est ratio) *purgans triticum* separans granum à palæis, id est bonum à malo, *obdormiuit: Et ingressi sunt duo latrunculi, &* 2. Reg. 4. 7.

interfecerunt eum. Vigilet igitur homo ne auferãtur, ei bona spiritualia, si propter temporalia est maximè sollicitus. Vnde Apoca. *Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.*

Oratio. Secundò mouet, vt ad pugnam spiritualẽ simus armati, orationibus: Est enim oratio summũ remedium aduersus bellum carnis: nec mirum. Quia oratio impetrat auxilium diuinum. Caro semper aduersatur spiritui: Ideoque à parte animæ stare solent Sancti:
Matth. 26.11. Matth. 26. *Orate ne intretis in tentationem.* Aliquando homo velit, nollit, turpia cogitat, & tunc stat ad ostium tentationum: Intrat verò quando consentit. Oratio igitur auxi-
Matth. 17. 21. liatur nobis. Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorũ, non eiicitur nisi in ieiunio & oratione.* Vt ieiu-
Tunin. nio sanantur morbi corporis, sic oratione ægritudines mentis, qua gratiam & gloriam impetramus. Ad quam Iesus Christus filius Dei viui nos perducat qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DEPLORATV HABENDO SVPRA mortuum.

THEMA.

Modicum plora supra mortuum. Eccl.22. Eccl.22.11.

SToici tristitiam inesse posse sapienti negabant, nam iuxta Tullium & eorum opinionem, in Tusculanis quæstionibus, ita tristitia, dolor, omnisque alia passio est morbus animæ, vnde qui eo laborat dici sanus non potest, ergo insanus & insipiens. Cōtrarium opiniantur Aristotelici, qui acriter sustinent, omnem passionem posse cadere in sapientem, dum modò ratione moderetur & regatur: Non enim mentis affectio verè dicitur passio, nisi quatenus caret rationis moderamine. Hinc sacra scriptura moderatam tristitiam iubet, innumeratam prohibet, de illa quę rationem ipsam, à sua sede dimouet, dicitur Prou.12. *Non contristabit iustum quicquid ei acciderit.* Et Eccles. 30. *Tristitiam longe expelle à te.* Moderatam autem tristitiam cōcedit scriptura, & præcipuè de morte amicorum & parentum. Ideo dicitur, in themate modicū plora, super mortuum. Quibus quidem verbis tria facit Ecclesiasticus.

Passio.

Prouerb. 12.22.

Eccles. 30. 23.

Primò, inducit ad tristitiam ostendendam.

Secundò, ad tristitiam moderandam.

Tertiò, specificat tristitiæ materiam.

Fletus licitus. Circa primum, placare mortuos scriptura non prohibet, sed concedit. Ratio est, quia quando causa est licita, effectus est licitus, manans ab ipsa causa: Atqui plorare est effectus, quasi naturaliter consequens tristitiam & dolorem, qui est licitus, igitur & plorare amicos & propinquos est licitum. Ideo ait Eccles. In them. Supra mortuum plora, defecit enim lux eius. Quibus verbis primò inducit ad compassionis ostensionem. Secundò, ostendit compassionis rationem.

Triplici ratione inducit ad plorandum supra mortuum. Primo, hoc requirit naturalis dilectio, non enim cor hominis tangi potest, aut pungi, quin dolorem sentiat. Greg. Non est pondus virtutis, insensibilitas cordis. At tangitur & pungitur cor, morte amici aut parentis accedente. Igitur doleat & fleat necesse est. Hinc Beatus August. mirabatur, quomodo cum amico mortuo, non fuerit mortuus, quia non videbatur illa possibilis diuisio, vbi erat tanta vnio. Vnde bene Ec- *Eccle.38.16.* clesiasticus, *in mortuum plora.* Eccles. 38. *Et quasi dira passus incipe plorare.* Hæc est igitur naturalis affectio, quæ ad fletum induxit Iob propter mortem filiorum. qua audita surrexit & scidit vestimenta sua, & tunso capite *Iob.1.20.* in terram corruit. Iob. 1. Idem affectus Chri-

ſtum ad lachrymas mouit, de morte Lazari. Ioan. 11. *Vidit Mariam plorantem & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit ſpiritu & turbauit ſeipſum, & lachrymatus eſt.* Sic Hieremias populi interfectos plorabat. Hierem. 9. Dicens, *plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.* — *Ioan. 11, 33.* — *Hier. 9. 1.*

Secunda ratio plorandi mortuum, eſt hoc dilectionis probatio in amico, requirit, nam exteriores lachrymæ, interioris amoris ſunt ſigna. Ideoque Iudæi videntes Chriſtum flere in morte Lazari, dixerunt, *Ecce quomodo eum amabat.* Hæc ratio inſinuatur Threno. 1. *Idcirco ego plorans, & oculus meus deduces aquas, quia longe factus eſt à me.* — *Tren. 1. 16.*

Tertia ratio eſt, lugentium conſolatio. Nam, vt ait. D. Gregorius, Ordo conſolationis eſt, vt ſi volumus morientem à mœrore ſuſpendere, ſtudeamus etiam eius luctui nos conformare. Nam conſolari non poſſumus, cui non mœrendo concordamus. Ait. Ariſt. 10. lib. Ethicorum, quòd in triſtitiis amicus condolens conſolatur. Hinc Eccl. 7. *Ne deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula.* — *Eccl. 7. 38.*

Secundò, in auctoritate allata, redditur ratio compaſſionis, quia (inquit) defecit lux eius. Vita humana dicitur lux triplici ratione. Primò, quia ſicut lux non durat, niſi quamdiu ſol adeſt, illuſtrans aërem: ita vita non ſubſiſtit, niſi anima ſit in corpore præſente & ſubſiſtente. Ioan. 1. *Vita erat lux ho-* — *Eccl. 38. 16.* — *Vita noſtra, lux.*

minum. Secundo quia sicut lux oculos lætificat suo splendore, ita vita hominis esse talis debet, vt bonorum suorum claritate, alios

Matth. 5. 16. lætificet. Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent* Deum *Patrem vestrum, qui est in cœlis.* Ab hoc splendore longe absunt, qui in tenebris peccatorum ambulant. Ioan. 3. 9. *Dilexerunt magis tenebras, quam lucem, erant enim eorum mala opera.*

Eccl. 22. 11. Secundò, in themate assumpto inducitur homo ad tristitiam temperandam: cum dicitur, *modicum.* Quod lædit propter excessum, modico illius potius vtendum est, quàm multo: Vt si medicina sit fortis & multum euacuans, melius est (inquiunt medici) infra subsistere, quàm exquisitè euacuare. At vero tristitia ex suo excessu plurimum animã & corpus lædere potest. Igitur potius modicùm, quam multum plorandum est. Ideo. 1.

1. Pet. 1. 6. Pet. 1. *Modicum nunc sit oportet contristari.* Quibus verbis duo efficit D. Petrus.

Primò, ostendit tristitiam esse necessariam. Secundum debere esse temperatam.

Propter duo, in hac vita, hominem cõtristari necesse est. Primo propter necessitatem, quia impossibile est, quin in hac vita nonnulla eueniant, quæ animo tristitiam afferant. Nam (inquit Valer. Maximus) nemo est tantæ fœlicitatis, qui dentes maligni-

tatis, semper euadere possit. Et Boëtius, nemo (inquit) est, tam compositæ fœlicitatis, qui non ex parte aliqua, cum status sui conditione rixetur: Quia semper inuenit aliquid, quod appetitu, repugnat, & tristitiam affert. Tam bonis quàm malis permittit Deus multa euenire tristia. Malis quidem ad eorum correctionem: Prosperitas enim homini peccanti est signum damnationis æternæ. Ideoque dicitur Eccl. 5. *Ne dixeris peccaui? & quid accidit mihi triste, altissimus enim est patiens redditor.* Bonos vero tristari Deus permittit, ad probationem. 1. Pet. 2. *Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam, sustinet quis tristitias patiens iniustè.* Vnde qui est eiusmodi, à Deo se derelictum existimare non debet. Sed sperare potius de salutis certitudine. Hinc Dauid cum dixisset, quare oblitus est mei, &c. tandem concludit, & consolatur seipsum his verbis. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.* Eccl. 5. 4. 1. Pet. 2. 19.

Secundò, necesse est hominem aliquando tristitia affici, quia omnis tristitia de aliquo malo fugiendo, est vtilis & efficax ad aliquod bonum. Est autem malum aliquod fugiendum propter seipsum, vt peccatum: De quo tristitia vtilis est, vt vitetur. Ergo fugiendum est, & quia de

se malum est, & quia tristitiam affert. Quatenus igitur tristitia ad illud fugiendum monet est vtilis. 2. Cor. 7. *Gaudeo, quia non contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitētiam.* Aliquid etiam vitatur, non quia est secundū se malum, sed quia est occasio mali: vel quia ei, homo nimium inhæret per amorem: Vel quia per hoc, aliquis in malum præcipitatur, sicut patet in bonis temporalibus. Vnde de his tristitia aliquando potest esse vtilis. Eccl. 7.3. *Melius est ire in domum luctus, quàm in domum conuiuij.*

2. Cor. 7.

1. Pet. 1. 6. Secundò, ostenditur in auctoritate citata, tristitiam temperatam esse debere. Cum dicit, *modicum*, hoc est, modica tristitia, sup. quoad temporis breuitatem propterea dicit, *nunc*, quod significat breue tempus præsens: Et hoc vt sine lęsione tolerare eam possimus. quia sicut ait Cicero, omnia breuia tolerabilia esse debent, etiam si magna sint. Hinc breuia pati vult nos in hac vita, vt in futura vita nobis vitam æternam & ingētia bona conferat. 1. Petri. 5. *Vocauit nos in æternam gloriam suam in Christo Iesu modicùm passos*, vult enim hic vt sustinendo tristitiam laboremus modicùm, vt postea requiescamus multùm, secundum illud Eccles. 51.35. *Modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.* Apocal. 6. *Dictum est, vt sustinerent tempus adhuc modicū.* Ergo pro breui tristitia quàm nunc hic sustinemus, ineffabili lætitia gaudebimus in futuro sæculo. Ioan. 6. Vos quidem nunc tristitiam

Luctus tēperatus.

1. Pet. 5. 10.

Apoc. 6. 11.

ſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & & gaudebit cor veſtrum.

Tertiò in themate aſſumpto, ſpecificatur triſtitiæ materia, quia ſupra mortuum. Homo moritur vel corporaliter, ſupra quē mortuum plorandum eſt modicùm: Aliàs ſi ploratus ſit multus nihil prodeſt mortuo & obeſt ploranti. Eccl. 38. *Ne dederis in triſtitia cor tuum, ſed repelle eam à te.* Subditur: *Et huic nihil proderis, & teipſum peſsimabis.* Sup. ex nimia triſtitia & ploratu. Alij moriuntur ſpiritualiter, hoc eſt morte peccati. Iſtis eſt maxime compatiendum, quia dira peccatorum vulnera patiuntur, quibus nos compati debemus. Ideoque dicitur Eccl. 38. *Fili in mortuum produc lachrymas*, Sup. temperatas: Et de mortuo, Sup. In peccato, quaſi dira paſſus incipe plorare. Eiuſmodi fletus eſt compaſſionis & meritorius ploranti, propter charitatem: Eſt etiam vtilis mortuo, reſuſcitatur enim, illius opera, à peccato. Hinc matri Sancti Auguſtini ploranti eius perditionem, dictum eſt, impoſſibile eſt filium iſtarum lachrymarum perire. In cuius figuram Dominus lachrymando Lazarum mortuum ſuſcitauit. Ideoque fletu proprio & alieno, homo à morte peccati mortuo ad vitam gratiæ ſuſcitatur, per quam ad vitam gloriæ æternæ peruenitur. Ad quam Deus Optimus Maximus nos perducat. Amen.

Eccl. 22. 11.

Eccl. 38. 56.

DE FLETV, PROPTER NOSTRI CONSIDERATIONEM.

THEMA.

In mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare. Eccle. 30.

Eccl. 38. 16

Luctus est licitus.

TRiplici de causa, licet defunctum lugere. Primò ex compassione illius, putà si sit male vita functus, idque quoad animam, vt si appareat probabili aliquo signo, mortuū esse in peccato infidelitatis, impœnitentiæ, desperationis, vel alterius cuiusdam. Ea de causa forte Dauid mortem Saulis defleuit. Secundò ex compassione proximi, qui ex illa morte damnum aliquod accepit. Sicut legimus de D. Ambrosio, qui amarissimè flebat, audiens Sanctum sacerdotem aliquem ex hac vita migrare in aliam, quod difficile esset talem inuenire. Tertio ex commiseratione suipsius, & proprium incommodum: de hoc exponi debēt verba thematis, *in mortuum produc lachrymas.* quibus quidem, plorādi mortuum triplex ratio insinuatur.

Prima sumitur ex bonis, quę ex morte homo amittit.

Secunda, ex malis, quæ inde consequitur.

Licet cuique de damno proprio & alieno flere & dolere, vult enim Deus vt quiſque diligat proximum, ſicut ſeipſum, ideoque & dolere licitum eſt de damno ſuo, non ſolum amore naturali, putà ſi ſit damnũ corporale, vel inde ſequitur, vt de Tabita, quam pauperes flebant, propter elemoſynas quibus eos ſuſtentabat Act. 9. Sed multo magis poteſt etiam homo dolere de morte alicuius amore ſpirituali: Vt ſi mortuus ſit ille cuius doctrina & conſilio fouebatur in Dei ſeruitio. Treno. 1. Idcirco ego plorans & oculus meus deducens aquas, quia longe factus eſt à me cõſolator, conuertens animam meam. Eccl. 22. *Super mortuum plora, defecit enim lux eius*, id eſt, doctrina vel conſilium. Hier. 9. *Deducant oculi noſtri lachrymas, & palpebræ noſtræ defluãt aquis, quia vox lamentationis audita eſt.* Quibus quidem verbis triplex triſtitiæ effectus oſtenditur. *Act. 9. 39.* *Hierem. 9. 17.*

Primus eſt, ex dolore incipiente. Secundus ſequitur ex dolore creſcente. Tertius eſt, ex dolore vehementer affligente. *Triſtitiæ effectus.*

Lachrymarũ deductio aliquando prodeſt, ad dolorẽ mitigãdum. Ratio duplex eſt. Prima quia omne neceſſarium interius incluſum magis affligit, quia magis multiplicatur intentio animæ circà ipſum: At vero ſi ad exteriora diffunditur tunc intentio animæ, ad exteriora quodammodo diſgregatur: Et ſic dolor interior minuitur: Secunda quia operatio conueniens homini, *Lachrymæ vtiles.*

semper est ille delectabilis. Atqui fletus & gemitus sunt actiones quædam maximè dolenti conuenientes, ideo delectatur: Cum igitur delectatio, aliqua ratione mitiget tristitiam & dolorem, etiam fletus tristitiam mitigabit. Ideoque D. August. lib. 4, confess. dicebat in solo gemitu & fletu habuisse consolationem. Et Psal. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte.*

Psal. 41. 3.

Secũdus effectus, sequitur ex dolore crescente, scil. Cum effluit abundanter ab oculis aqua lachrymarum. Illud vnum non possum non mirari; quod multi affluant lachrymis, ob amissa bona temporalia & caduca: pro peccatis ne vnam quidem lachrymã emittere possint. Hos damnat D. Augustinus: Quod intelligendum est, quando defectus fletus exterioris, prouenit ex defectu interioris doloris, scil. quia plus dolent de morte amici, quàm de peccato suo. Porro defectus lachrymarum, aliquando ortum habet ex nimio dolore, qui propter colorẽ excitatum, desiccat: Aliquando, ex eo quod homo se continet intra se, vt postea coram Deo ampliùs doleat, & lugeat. Aliquando, ex duritia complexionis & temperamenti: Quia dolor de morte amici, est magis sensibilis, ideoque magis accedens ad resolutionem in lachrymas.

Ex his, quando dolor interior ita afficit, vt lachrymarum maximam copiã fluere faciat, sicut patet in D. Magdalena, tunc illæ lachry-

mæ plurimum valent, ad remissionem peccatorum. Dauid hunc habuit dolorem, quãdo dixit, Psal. 118. *Exitus aquarum deduxerũt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Sequitur, *Pax multa diligentibus legem tuam*, &c. *Psal. 118.*

Tertius effectus est, qui procedit ex dolore affligente, vt qui prorumpit in vocem lamentationis. Et ideo dicitur in auctoritate adducta, vox lamentationis audita est, nam vbi magni dolores, ibi magni clamores. Hierem. 31. *Vox in excelsis audita est lamentationis, luctus, & fletus.* Quod si homo eiusmodi lamentationes & clamores emittat, propter mortem amici, quos gemitus edet, propter amissam gratiam, omnia merita, omnes virtutes, & tandem ipsam gloriam æternam per peccatum? *Hier, 31. 15.*

Secundò in them. assumpto ponitur ratio flendi, de morte alicuius, propter damna, quæ inde accidunt homini. Ideo subditur, *quasi dira passus*, id est, maxima damna passus, ob mortem amici, incipit plorare. Prima igitur ratio flendi, est propter bonũ amissum. Secunda propter malum commissum. Verũ inter doctos controuertitur, sit ne magis causa tristitiæ bonum amissum, an malum commissum? Respondetur, quod sicut obiectum delectationis est bonum, ita obiectum tristitiæ est malum: Delectatio autem in motu appetitus sentientis se habet, per modum persecutionis, & accessus, tristitia vero per modum fugæ & recessus. Sicut *Eccc. 38. 16.* *Obiectio.* *Responsio.*

ergo delectatio per prius respicit bonum adeptum, quasi proprium obiectum: Ita tristitia respicit malú commissum: Vnde eo modo, quo obiectum est causa passionis: magis propriè est causa doloris & tristitiæ, malum commissum, quàm bonũ amissum, licet vtrũque sit causa tristitiæ: Et contingat quod bonum amissum sit maius, quàm malum commissum, erit maior tristitia de bono amisso, quàm de malo commisso. Ideoque ex D. Chrysostomo cum maiori tristitia damnati audient illam vocem, discedite à me maledicti, quod pertinet ad priuationem boni æterni, quam audire, ite in ignem æternũ, quod pertinet ad commissionem mali. In vtroque tamen, quasi dira passi incipient plorare ploratu æterno: Quia nulla illis affulgebit spes euadendi, nec audient illam suauissimam patris vocem. *Venite benedicti patris mei.* Quia tunc erit manifestata cognitio, siue discretio bonorum & malorum: Hi habebunt diram consummationem seu finem Sap. 3. *Non habebunt spem; nec in die agnitionis allocutionem. Nationes enim iniquæ, diræ sunt consummationis.* Vnde tunc incipient ploratu maximo propter miserias damnationis æternæ. Iacob. 5. *Plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ superuenient vobis.* In quibus verbis triplicem cõditionem pœnæ damnandorum, in die iudicij, innuit.

Sap. 3. 18.

Iacob. 5. 1.

Damnationis cõditio triplex.

Prima quidem, quia erit luctuosa, & ideo dicitur, *plorate*, Sup. corde & *vlulate*, sup. vo-

ce. Vox in rama audita est, id est, in excelso, ploratus & vlulatus multus. Secunda, quia erit calamitosa, propter priuationem omnis boni, & affluentiam omnis mali. Bono superno priuabuntur, id est, cœlesti beatitudine. Interno, hoc est, gratia Dei, & omnibus donis cœlestibus. Etiam exteriori, hoc est, bonis temporalibus à quibus nullum poterunt sperare refrigerium, aut auxilium. Item damnati cruciabuntur afflictione omnis mali: Quod triplex est, sensibile, imaginabile, & intellectuale. Corporaliter siue sensibiliter torquebuntur, quia quisque sensus corporis, suum habebit tormentum. Primò visus, quia in perpetuis versabitur tenebris, neque erit lumen solis, lunæ, aut stellarum: Nihilque videbunt damnati, nisi horrendas dęmonum formas. Auditus affligetur, nihil audiendo, nisi fletum, blasphemias & stridores dentium. Item odoratus quia de cadaueribus eorum ascendet fœtor. Item gustus, quia perpetua fame conficientur, vt manifestum est de diuite epulone. Luc. 16. *Qui guttam aquæ super linguam petiit.* Item tactus quia contrarietatem caloris & frigoris sentient: transibunt enim ab aquis niuium ad calorem nimium. Luc. 16.

Secundò, cruciabuntur, per imagines rerum præteritarũ, in memoriã reuocãdo voluptates & delectationes, quas dum viuerent perceperunt & quibus priuati sunt. Item, quoad sensum malorum præsentium, quibus

torquentur actualiter. Item, quantum ad recordationem futurorum malorum in quibus in æternum sunt mansuri.

Tertiò affligentur intellectualiter triplici ratione. Primò, ratione vermis. Tot enim erunt in mentibus eorum vermes, quot peccata mortalia Esa. 66. *Vermis eorum non moritur.* Secundò ratione criminis: sunt enim in damnatis potissimum tria vitia, odium inuidia & ira. Odium quidem in Deum, Sanctos, patres, & filios. Inuidebunt etiam beatis, videntes eos æterna beatitudine frui. Irascētur etiam in Deum & Sanctos quod iusto Dei iudicio, adiudicatos se vendant suppliciis æternis.

Esa. 66. 24.

Tertiò torquebuntur ratione intellectus, quia cognoscunt quanta bona amiserint, & mala in æternum passuri sint. Tantò enim maiores erunt pœnæ, quantò meliùs ab ipsis damnatis cognoscentur; Etenim non parum minuit pœnam ignorantia. Tunc cuilibet eorum illud Iob accidet cap. 10. *Non leuabo caput saturatus afflictionis & miseriæ.* Tertia conditio pœnæ eorum, quia erit improuisa. Esa. 47. *Veniet super te repentè miseria, quam nescis.* Sap. 19. *Impiis vsque in nouissimum, sine misericordia ira superuenit.* 1. Ad Thessal. 53. *Cum dixerunt pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.* Sed noui qui Deum tanquam patrem honorauerunt, super-

Iob. 10. 15.
Esa. 47. 11.
Sap. 19. 1.

ueniet illud quod promittitur, Eccles. 3. *Honora* (inquit) *Patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo*, scilicet illa, de qua Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete vobis paratum regnum*. Ad quod Christus Iesus Dei filius nos perducat, Amen. Eccl. 3. 10

DE PATIENTIA HABENDA IN HOC MVNDO.

THEMA.

Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem. Hebr. 10. Hebr. 10 36

NVsquam promissam sanitatem exhibebit medicus infirmo, nisi ea quæ agenda sunt, licet laboriosa, promittat & velit efficere. Sic Deus licet promittat salutem æternam hominibus (vult enim omnes homines saluos fieri) Vult tamen patienter feramus, ea quæ ad purgationem peccatorum nostrorum ferenda iubet, antequam salutem conferat, siue sint morbi, siue damna bonorum temporalium, aut aliquid simile. Si igitur volumus assequi repromissionem vitæ æternæ, quam nobis pollicitus est, de qua. 1. Ioan. 2. Huius mundi aduersa patienter ferre necesse

est. Id suadetur verbis Thematis. *Patientia vobis necessaria est*. Quibus tria efficit.

Primò inducit ad virtutis habitum.

Secundò, ad eius meritum.

Tertiò, ad ipsius præmium.

Patiẽtia. Sicut nauis indiget gubernaculo, & vita corporalis, cibo, & miles armis: ita qui nauigat in huius mundi periculosissimo mari, indiget patientiæ habitu. Est enim sicut gubernaculum nauis, sine quo ventis & turbinibus agitatur, & tandem tempestate ad scopulos compulsa, frangitur. Sic cor impatiẽtis ventis tribulationum & persecutionum, à firmitate & stabilitate sua euellitur, & ad iracundiam, odium, & desperationem deductũ, comminuitur. Econtrario de patiente dicitur Prou. 14. *Qui patiens est multa gubernatur sapiẽtia.* Is ad instar Asini, carduis pungentibus pascitur: Et vt piscis, in aquis amaris tribulationum viuit: Et admodum Ciconiæ deuorat serpentes venenósas, qui eis non nocent. Quia patientes venenosis verbis & contumeliis, detractionibus pascuntur, & sunt similes vrsis, qui verberibus impinguantur, & lapideæ increpationes in panem eis conuertuntur, & vt Salamandra, viuunt in igne tribulationum. Item homo patiens vincit & triumphat de hostibus, sine ictu aut repercussione. Vnde prouerbio fertur, vincit qui patitur, & si vis vincere disce pati: Seneca: facilius est, gentem vnam, quam vnum hominem vincere. Verum ista patientia roboratur,

Prou. 14.31.

ſpe vitę æternæ ex gratia ſpiritus ſancti, à quo iuuamur, Rom. 8. *Quod non videmus ſperamus, & per patientiam expectamus: Sed & ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* Quibus verbis deſcribuntur tria, quæ in hac vita, nos faciunt aduerſa patienter ferre. Rom. 8. 25.

Primum eſt meritum fidei.

Secundum eſt deſiderium præmij.

Tertium eſt auxilium Dei.

Fides eſt habitus, quo homo iis quæ ſunt ſupra rationis iudicium aſſentitur, & credit, propterea ab omnibus meritoria cenſetur: Nam fides non habet meritum vbi ratio humana præbet experimentum. Hinc Iſidorus ait, quod fides eſt, qua veraciter credimus, quæ nunquam videre valemus, & idcirco eſt fundamentum religionis Chriſtianæ. Hebræ. 11. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Ideo ait D. Auguſt. ſuper Ioan. quod ſicut in radice arboris, nulla apparet prorſus ſpecies pulchritudinis, & decoris: Et tamen quidquid eſt in ea pulchri & decori, ab ipſa procedit: Sic ex fidei humilitate, quicquid eſt meriti, quicquid eſt veræ beatitudinis anima ſuſceptura, procedit. Ioan. 20. *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Tali ergo fidei merito, & virtute roborati, vincunt per patientiam, omnes mundi aduerſitates, inquantum ex fide cognoſcunt, *non eſſe condignas huius temporis paſsiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. Et 2. Corinth. 4.

Hebr. 11. 6. *Ioan. 20. 29* *Rom. 8. 18.*

Id quod in præsenti momentaneum est, & læue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna.

Secundo roborat nos ad patienter tolerandum aduersa, propter præmium, quod per patientiam speramus & expectamus. Igitur sperandum est non in mundo, sed in Deo: Non sicut diuites huius seculi, de quibus D. Paulus. 1. ad Timoth. 6. *Diuitibus huius sæculi, præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis abunde ad fruendum.* Hi decipiuntur, non autem qui sperant in bonis cœlestibus & æternis, Eccl. 2. *Nullus sperauit in Deo & confusus est.* Et Psal. 36. *Spera in Domino, & fac bonitatē.*

1. ad Timo. 6.17.

Eccl. 2. 11.

Tertium quod nos facit potenter expectare, est auxilium Spiritus Sancti, & ideo subditur in auctoritate citata, *Sed spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Quemadmodum gallus super campanile, ad omnem ventum mouetur, eo quod non firmiter hæreat: Ita anima destituta diuino auxilio, & Spiritus Sancti gratia, est inconstans, instabilis & cuilibet tentationis vento obedit. Estque similis homini existenti in mortis articulo, huc & illuc sese mouenti, propter naturæ infirmitatē, qui a morbo resistere non potest. Anima etiam sine gratia Dei, peccato cum non resistere possit, voluitur de peccato cogitationis in

delectationem, & de delectatione in consensum, inde in operationem, tandemque in consuetudinem. Gratia autem dat animæ vigorem tantum vt illi sit facillimum resistere diabolo. Ad Ephes. 3. *Det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari in interiori hominе, per spiritum eius.* Auxilium porro maxime nobis necessarium est, eo quod caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Sed vnde ista contrarietas? Respondeo, carnem esse diuersæ generationis à spiritu: Illa enim est terrestris, corruptibilis, & delectando generatur: Spiritus vero est cœlestis, & à Deo corpori infunditur. Hinc non mirum est, si caro trahat ad delectationes carnales & terrestres, scilicet, ad auaritiam, superbiam, gulam & voluptates carnis: Spiritus autem ad superiores, cœlestes & diuinas. Rom. 8. *Qui enim secundum carnem sunt, ea quæ carnis sunt sapiunt, qui vero secundum spiritum, ea quæ sunt spiritus, sentiunt.*

Ad Ephes. 3. 16. Rom. 8. 5. *Heb.* 10. 36

Secundò in themate assumpto, inducimur ad patientiæ meritum, cum ait, *Vt voluntatem Dei facientes.* Deo obtemperamus, quando aduersa patienter sustinemus: Non quòd Deus delectetur nostris afflictionibus, sed merito & fructu patientiæ nostræ. Sicut pater cum iubet membrum filii resecari, vt sanetur. Tunc ergo secundum Dei voluntatem patimur, quando patientiam habemus, vel in ea progressum facimus. 1. Pet. 4. *Hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli creato-*

1. Pet. 4. 19.

ri commendent animas suas in benefactis. In quibus quidem verbis traditur forma patientiæ meritoriæ, & perfectæ in tribus. Primùm vt patiatur innocenter, id est, non committat peccatum, vnde puniatur: Nam vt ait D. Dionysius, puniri non est malum, sed fieri
1. Pet. 4. 19. pœna dignum. Vnde 1. Pet. 4. *Nemo patiatur vt homicida, vt fur, vt maledicus, aut alienorum appetitor.* Et istud est pati secundum voluntatẽ Dei.

Si dicas voluntas Dei iusta est & pia, velle autem pati sine culpa, neque iustum neque pium est: Vnde si Deus non vult mortẽ peccatoris multo, minùs mortem innocentis. Respondendum est, neque esse contra iustitiam Dei, neque contra eius pietatem, quod velit vt innocens patienter ferat pœnam illatam sine culpa, vt ex ipsa patientia coronetur & glorificetur. Cum enim boná temporalia, vix mereantur nomen boni, non est mirum si Deus velit innocentes detrimentũ pati bonorum temporalium, vt æterna & spiritualia consequantur. Imo hoc spectat ad eius iustitiam & bonitatem. Quando ergo dicitur, Deus non vult mortem peccatoris, intelligitur de morte spirituali, quę est peccati. Ergo pati secundum voluntatem Dei, est patienter ferre aduersa & infortunia huius vi-
1. Pet. 3. 17. tę, sine culpa. 1. Pet. 3. *Melius est enim benefacientes si velit voluntas Dei pati, quàm male-*

facientes. Augustinus, perfectio Christianitatis est bona facere, & mala pati, si velit voluntas Dei nos pati, sup. sine culpa.

Secundò in auctoritate allata, traditur forma meritoriæ & perfectæ potentiæ, quatenus homo patitur salubriter, & hoc fit, quādo qui patiuntur fideli creatori animam suam commendant. Nihil charius esse homini potest, anima sua. *Quid enim proderit homini, si mundum lucretur, animæ vero detrimentum patiatur?* Luc. 9. Ideo eam non diabolo, sed Deo fideli commendare debent homines qui in omnibus promissis fidelis & sanctus est, Psal. 144. Ioan. 17. *Volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam.* Ipse etiam Deus est amicus, & nihil odit eorum quæ fecit: Idcirco secure homo debet Deo commendare animam suam, quia non solum eam custodiet, sed eam perficiet. Hinc dicebat Dauid Psal. 30. *In manus tua Domine commendo spiritum meum:* Eas prætioso sanguine suo redemit, ideoque non dubium quin illas bene tractet. Sap. 3. *Iustorum animæ, in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* 1. Pet. 4. 19. Luc. 9. 25. Psal. 30. 6.

Tertiò ostenditur modus perfectæ patiētiæ, vt patiatur homo amicabiliter, id est, vt ei à quo patitur, non reddat malū, pro malo, sed potius vt amico illi benefaciat. Matth. 5. Matth. 5. 44

Rom. 12. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ: Si sitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* Hinc ait Valerius Max. Speciosiùs aliquantulum iniuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odii compensatione tollantur.

Tertiò, in themate assumpto, inducimur ad patientiæ præmium, cum additur reportetis repromissionem: Ratio est, quia patientia nascitur ex charitate. 1. Cor. 13. *Charitas patiens est*: At charitas est radix mœrendi vitã
Iacob. 1. 11. æternam. Et ideo repromissio vitæ æternæ, specialiter facta est diligentibus & patiẽtibus. Iacob. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* Quibus verbis tria præstat. D. Iacobus.

Primò commendat patientiæ actum.

Secundò, patientiæ vsum.

Tertiò, patientiæ fructum.

Qui bene armis instructus est, & generosus ab aduersario lædi non potest, ita vt tandem victoriam consequatur. Sic patiens non læditur ab aduersariis, & ideo vincit, sicque gloria afficitur. Iaco. 5. *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt, sufferentiam Iob audistis, & finem*
Iacob. 5. 11. *Domini vidistis.*

Secundo in auctoritate citata describit patientiæ vsum, quia cum probatus fuerit, inquit, Quemadmodum cum clericus præbendam expetit, probetur & examinetur priùs necesse est: Ita qui regni cœlestis particeps esse vult, prius oportet in multis tentationibus examinetur:

examinetur: Et quidem exactissimè sicut non sufficit clerico vna interrogatio, neque multi vnicum certamen vt dicatur probatus miles, & clericus aptus & idoneus ad beneficiū aliquod consequendum: Sic pluribus opus est multis afflictionibus, vt verus miles Christi dici quis possit. Iudith. 8. *Per multas tribulationes, probatus Dei amicus effectus est.* Sicut aurum igni applicatum, si non consumitur, verum & probatum dicitur aurum. Sic quādo tales applicantur ad ignem tribulationis vel tentationis & non consentiunt peccato, quasi aurum probati sunt, Prouerb. 17. Sicut in igne probatur argentum, & aurum in camino: Ita corda hominum probat Dominus. *Vnde tanquam aurum, in fornace probant illos.* Sap. 3. 6.

Iudith. 8.19

Prou. 17.3.

Item probatur aurum tactu lapidis, sic homo calumniis & vituperiis.

Probatur etiam aurum pondere: Sic homo vero amore, quando bene collocatur scilicet in cœlestibus bonis, habet enim tunc verum suum pondus. August. Psal. 138. 1. *Domine probasti me & cognouisti me*, &c. quasi dicat, vos optimè scitis, vbi posui cor meū. Hi bene sunt probati, ideoque idonei ad bellum Domini. Quod rectè figuratur Iudic. 7. Vbi legitur, quod populus Israel, habebat prælium contra Amalech, id est, contra dæmones Madiam interpretatur conditio aut iniquitas. Amalech, populus lambens, id est, diabolus, qui lambit nostram damna-

Prudēs homo.

Iudic. 7.3.

tionem. Et dixit Dominus ad Gedeon. Duc eos ad aquas, & ibi probabo eos. Qui manu & lingua lambuerint aquas, sicut solent canes lambere, separabis eos, qui autem curuatis genibus biberint, flexo poplite in altera parte erunt. Pauci lambuerunt aquas, & illi qui lambuerunt, non curuauerunt genua sua, iuerunt ad bellum, & liberauerunt Israel. Istæ aquæ sunt mundanæ voluptates: illi lãbunt manu & lingua, qui licet tententur, non tamen incuruãtur ad peccatum: Sed illi bibũt flexo poplite, qui se dant toto affectu, & ingurgitant se delitiis & delectationibus huius sæculi: Et ideo alij sunt probati & apti ad bellum.

Tertiò describit patientię fructum tripliciter. Primò, ex dignitate, *quia accipiet coronam vitæ*, id est vitam æternam: Est enim corona figura circularis principio carens & fine, propterea æternitatem designat. *Gloria & honore coronasti eum Domine*, Psal. 8.

Psal. 8. 6. Hebræ. 10. 23. Secundò ex firmitate, quia repromisit Deus, id est, firmiter promisit. Hebrę. 10. *Fidelis est Deus, qui repromisit*, id est, non deficiet in promisso. Tertiò ex congruitate, quia diligentibus se. Congruum est enim, vt amici exaltentur, & gloriam accipiant à Deo. Eccl. 1. 10. *Secundum datum suum, præbet illam diligentibus se*, scilicet, vitam æternam. Ad quam nos perducat, Iesus Christus Dei filius, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum Amen.

DE NON FLENDO SVPER IVSTOS.

THEMA.

Nolite flere super me, sed super vos flete. Luc. 23. Luc. 23. 28.

QVemadmodum syrena tempore lucido & claro tristatur & luget, nubiloso vero & obscuro lætatur, & cantat. Sic peccator moriente iusto, cui omnia clara sunt & lucida, luget: A tenebris enim huius vitæ, in lucem & claritatem æternam alterius, transit. Cum igitur hic mundus sit plenus tenebris & miseriis, ignorantia & peccatis. Iustus dicere potest ijs qui eius mortem deflent, & præcipuè peccatoribus, & in hac vita remanentibus, quod dixit Dominus noster mulieribus, quæ illum plorantes sequebantur dum ad crucis supplicium duceretur. *Nolite flere super me, sed super vos.* In quibus verbis, si assumantur vt dicta à iusto defuncto, ad consanguineos lugentes tria principaliter continentur.

Primò, prohibet ab eis tristitiam.

Secundò innuit suam gloriam.

Tertiò, ostendit remanentium miseriam.

Mors iusti non est flenda, siue habetur ratio animæ, siue corporis non, ratione animæ, quia mors est viro iusto à carcere liberatio, peregrinationis terminus, miseriæ finis, laborum requies, & ianuæ cœlestis aperitio. Ergo de morte iusti est lætandum, Ioan. 14. Christus loquens de morte sua dixit discipulis. *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.* Neque etiam iusti sunt deflendi ratione corporis, quod quidem in melius commutabitur. Sicut non doleret ille qui videret suam domum dirui, vt postea de nouo melior & pulchrior reædificaretur. 2. Cor. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod habitationem habemus ex Deo non manufactam,* &c. Et ad Philip. 3. 20. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ideoque de eiusmodi mortuo conuenit dicere illud. Hierem. 22. *Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum.* Quibus verbis excluditur duplex ratio, quare flendum sit de morte, iusti, vel ratione damni proprij: vel ex compassione defuncti. Sic ergo duo præstat.

Ioan. 14. 28

2. Cor. 5. 1.

Hierem. 22. 10.

Primo ostendit iustos non esse lugendos, ratione damni proprij. Secundo nec ex compassione illorum.

Diceret aliquis dum ille vir bonus viueret

erat mihi vtilis & necessarius, quidni igitur illius mortem deflebo? Verùm vtilitatis nostræ non est habenda ratio, sed conseruanda est eius vita sanctissima, propter quam piè credendum est frui vita æterna. Inquit D. Augustinus, mala mors putanda non est, quã bona vita præcessit. Deinde certum est existentes in gloria nobis plus prodesse, quàm si adhuc superstites essent, quia Deo magis sunt coniuncti, perfectioremque ad nos habent charitatem, quàm habuerint vnquam in hoc mundo, quia charitas nunquam excidit. Ergo nulla est materia flendi etiam respectu nostri, sed potius gaudendi, vnde Apostolus. 1. ad Thessal. 4. *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, sicut qui spem non habent.* Hinc de Beato Dominico legimus flentes fratres ita allocutum fuisse. Non vos perturbet dilectissimi filii huiusmodi corporalis à vobis separatio, quia vobis vtilior ero, post mortem quàm fuerim, dum vixi vobiscum. Vnde fuit vt granum frumenti, de quo Ioan. 12. *Quod si mortuum fuerit multum fructum affert.* Si vero quis defleat ex naturali quodam affectu non est vituperandus, *Sed qui flent tanquam non flentes sint.* 1. Cor. 7. Quis enim defleat mortem eius, qui tanquam Leo intrepidus mortem vicit, diabolum superauit, & ad thronum Christi transiuit? Apoca. 5. *Ne fleueris, ecce vicit Leo.* *1. ad Thessal. 4. 13.*

Secundò ostenditur in auctoritate allata,

iustum non esse lugendum ratione ipsius defuncti, cum subditur, *Neque lugeatis super eum:* Quia iustus fruitur gloria, ideòque gaudere debent potissimum amici: Etenim amor mutuus communem facere debet inter amicos lætitiam & tristitiam. Vt illis accidat, gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus: Conuertatur igitur luctus de morte iusti in gaudium, secundum illud, Hierem. 31. *Conuertam luctum eorum in gaudium.* Cum igitur iustus gaudeat, dicat charis & amicis illud Apoca. 21. 4. *Et mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor erit vltra, quoniam priora transierunt.*

Hier. 31. 13.

Luc. 23. 28. Secundò, in verbis Thematis, iustus defunctus innuit suam gloriam cum dicit, super me. Nam sicut damnatus gehenna cruciatus recipit iram Dei super se: *Super me confirmatus est furor tuus*, &c. Psal. 137. Ita beatus in gloria recipit super se misericordiam Dei maximam, secundum illud, Psal. 85. *Misericordia tua magna est super me, eruisti animam ex inferno inferiori.* Quibus verbis mortuus iustus duplex Dei beneficiũ confitetur.

Psal. 85. 12.

Primnm est quia supra condignum assumptus est ad gloriam.

Secundum, quia euadit ignis æterni gehennam.

Beati magnam Dei misericordiam receperunt tripliciter, primo quia periculum peccati euaserunt, nec enim ampliùs mortaliter, aut venialiter peccare possunt. Sola bea-

ta virgo Maria habuit hoc priuilegium in terra, quo gaudent Sancti in cœlo. Quantum vero illud sit beneficium vt intelligatis: Considerate quidnam sit peccatum, & Deum offendere, nam cum sit contra bonum infinitum, offensa est infinita, sic est maximum malum, cum bono priuet infinito: Ex quo sequitur totum mundum, qui finitus est, amittere, nihil esse comparatione illius infiniti boni. Ab hoc periculo iusti sunt liberati.

Dicet aliquis, nunquid qui æuo fruuntur sempiterno liberum habent arbitrium? quod si ita est, ergo possunt peccare. Respondendum est quidem habere, sed tamen peccare non posse. Quia liberum arbitrium est potentia, peccare posse, est defectus, potentia enim consistit in operatione boni non mali. Cum igitur beati licet sint impotentes ad malum, hoc tamen possunt velle vel illud, sed tamen semper bonum, ideoque non potest, illis denegari liberum arbitrium. Facere enim malum non est ex aliquo libero arbitrio, sed ex aliquo defectu, qui trahit in hac vita hominem ad malum. Sed in alia, quia continuo beati vident defectum creaturarum trahi non possunt ab illis, sed remanent semper liberæ ad bene agendum. Estque in eis magna virtus & potentia, sicut in corporalibus non posse corrumpi aut alterari. Gaudent igitur iusti, videntes se à periculo peccandi liberatos.

Secundò, lætantur etiam beati de magna Dei misericordia, quia per ipsam iudicium Dei euaserunt. Qui eximitur à iudicio hominum, magno gaudet priuilegio, maius igitur est, si quis à Dei iudicio excipiatur. Si quis proponat illa D. Pauli verba, Rom. 14. *Quod omnes stabimus ante tribunal Christi.* Dicendum est iustos venturos in Dei iudicium generale, ad rectum Dei iudicium ostendendum contra peccatores, non vt iudicentur. Idque quia priùs de seipsis iudicium fecerũt. 1. Cor. 11. *Quia si nosipsos diiudicaremus non vtique iudicaremur à Domino*: in quo magna Dei misericordia ostenditur erga nos, dum nobis de nostris peccatis iudicium relinquit. Si enim Latroni diceretur qui esset supplicio afficiendus, tuum tibi committitur iudicium, quanta efferretur lætitia? Deus nobiscum ita se gerit. Vnde inferum relinquit iudicio nostro, vt euadamus si voluerimus. Iusti igitur qui de se iudicium fecerunt, ab omni damnatione liberati sunt.

Roman. 14. 10.

1. Cor. 11. 31.

Tertio exultant iusti, quod prælium & omnem huius mundi molestiam euaserunt. Nullus quantumuis magnus & bonis affluẽs, molestiis, tribulationibus, laboribus & calamitatibus huius vitæ omnino destituitur: Etiam iustis non desunt, saltem mentales. A quibus omnibus beati eximuntur & sunt securi. Ex his quanto studio vita æterna debeat curari, quis nõ videt? Vbi omnia bona, omnes consolationes, omnia gaudia beati possidẽt.

Propter hæc dicebat Dauid, *Domine in cœlo misericordia tua* Domine. Hanc petebat, *veniat super me misericordia tua Domine.*

Secundum beneficium quod confitetur vir iustus est, quia euasit ignis æterni gehẽnam, ideoque subditur in auctorit. allata: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, id est, *ex inferno damnatorum.* Maximum quidem beneficium, quia qui dicit infernum inferiorem dicit omne malum. Pericula huius mũdi sunt velut telæ aranearum, quæ contra vẽtum citò franguntur. Si quis cum omnibus amicis, opibus, bonis, & possessionibus suis nauigaret, timore continuo agitaretur, ne oriretur tempestas, quæ omnia perderet. Verum magis timendus est infernus, quàm illa omnia, in inferno enim existentes totũ mundum amiserunt cuius possessores esse deberent. Beati enim de toto vniuerso gaudium habent, quod non Regibus & Imperatoribus concessum vnquam fuit.

Infernus omnia mala continet.

Item est malum inferni incurabile, quia nullum illi remedium adhiberi potest: in inferno enim nulla est redemptio. Est igitur summa misericordia illum euasisse. Est etiam malum continuum, quocũque improbus & impœnitens se vertat, semper infernus illum sequitur omni tempore, & omni loco: Istud malum est proprium peccatorum: Periculũ vero est iustis, ne in mortale peccatum cadant. Qui omnia sua habet in aliquo loco periculoso, cito ea tollit & auffert. Peccato-

res igitur qui animam & corpus in periculo maximo habent, debent ab illo liberari & quam citissimè surgere & fugere. Hoc modo iusti sibi adiumento fuerunt, fugiendo peccatum, & ab eo longissimè discedendo. Ideo Deus iuuit eos, vt erueret animas eorum, à peccato. Hinc Dauid Psalm. *Nisi Dominus adiuuisset, paulominus habitasset in inferno anima mea.*

Tertiò, in themate assumpto, tangitur remanentium miseria. Dicit enim flete super
Luc 23. 28. vos ipsos. Sup. quia semper vos in dubio, & periculo versamini. Improbi hic solum voluptatibus indulgere volunt, vt in æternum fleant: Iusti è contrario perpetuo hic flere cupiunt, vt in æternum lætentur: vnde ait
Ioan. 16. 20. Dominus Ioan. 16. *Plorabitis & flebitis vos, nunc mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ratio est, quia motus est contrario in contrarium, nec vnquam opposita sunt in eodem: Fletus & risus opposita sunt: Ideo qui in hac vita lætitiam & risum eligunt, habituri sunt in alia tristitiam & luctum. Arbo-
Similitudo. res nimis citò florescentes, non dant fructũ suo tempore. Sic qui in hoc mundo, eiusdem delectationibus & consolationibus pascuntur, virescunt & florescũt ante tempus; Quia hic non est tempus gaudij, sed mœroris, pœnitentiæ, & luctus: Ideoque non possunt in alia vita fructum gaudiorum vitæ æternæ sperare. At vero iusti semper lugentes, in

futura vita exultationem, gaudium & lætitiam certò sunt habituri. In cuius figuram Genes. 29. Iacob accepit lyam quæ erat lippa oculis, & postea Rachel, quæ erat venusta facie, vt significaretur, quod post vitam flebilem & laboriosam veniret ad iucundam & delectabilem. Luc. 6. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis, scilicet risu æterni gaudij.* Ad quod Deus trinus & vnus nos perducat. Amen.

Genes. 29.

Luc 6, 21.

DE CONSOLATIONE EXHIBENDA IIS, qui de morte alicuius tristantur.

THEMA.

Tristitia vestra vertetur in gaudium.

Ioan. 16.

Ioan. 16. 20.

QVæ amara sunt, quibusdam dulcia fieri possunt. Huius rei habemus exempla Exo. 15. Vbi legitur, filios Israël venisse in marath, nec potuisse bibere aquas de marath, eo quod essent amarę. Et Moyses clamauit ad Dominũ, qui ostendit ei lignũ, quod cum in aquas misisset, dulces factę sunt. Item 4. Reg. 4. *Vnus puerorum Elisæi, collegit herbas amaras, & concedit in ollam pulmenti, nesciebat enim quid esset, & dederunt sociis vt comederent. Et cum gustassent clamauerunt: Mors in*

Exo. 15. 2.

4. Reg. 39.

olla vir Dei. Et cum attulissent farinam, misit in ollam, in qua non fuit amplius quicquam amaritudinis. Sic etiam in hac vita, possumus aliquãdo huius vitæ amaritudines & tristitiam degustare, quæ in gaudium & consolationem facile conuertantur. Quod continget si nostram voluntatem diuinæ voluntati per patientiam conformare studeamus. Est quod promisit Christus Dominus suis discipulis dicendo, *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quibus verbis tria describuntur.

Primum, est luctus miseriæ.

Secundum, est virtus patientiæ.

Tertium, est fructus lætitiæ.

Tristitia bona vel mala.

In hac vita multa contingunt hominibus, quæ eis sunt causa tristitiæ & luctus. Verum tristitia illa potest esse bona vel mala. Mala quidem dupliciter: Vno modo si sit de bono sicut esse vitiosum, si quis gauderet de malo. Quæret aliquis, qui fieri potest, vt aliquis tristetur de bono, & gaudeat de malo? Dicendum est malum aliquando videri bonum, de quo quis lætari potest, non in quantùm est malum & tale videtur, sed in quantùm est bonum apparens. Ita lætantur, qui mundo huic sunt addicti: Lætantur enim cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis, vt quando vindictam quærunt & expetũt: Hoc enim illis honorificum videtur & bonum etiam si christianæ charitati, & iustitiæ repugnet. Vt ostendit Dauid, qui cum inuenisset hostem Saul in spelunca, viris quidem

qui cum eo erant apparebat bonum, vt illum occiderent. Contrarium tamen visum est Dauidi, propterea Deo reseruauit vindictam. 1. Reg. 24. Similiter est aliquid quod est re vera bonum, & tamen præ se fert aliquam boni speciem, sicut Paulo videbatur malum, quod stimulum carnis pateretur: Ideoque à Domino petiuit, vt eum à se remoueret. At Dominus non exaudiuit eius preces, quia verè erat illi bonum 2. Cor. 12. Secundum hoc, posset aliquis tristari de bono, ratione mali apparentis. Quæ tristitia esset mala, & mondanorum, qui tristari solent de bonis aliorum, quod est contra charitatem. Alio modo tristitia potest esse mala, quia est immoderata, sicut homo si nimia tristitia, de proprio damno, afficiatur, vt de morte amici, aut de iactura aliqua. Vnde Apostolus 2. Cor. 2. non vult vt pœnitens nimia tristitia absorbeatur, etiam de peccato.

C on. 24. 14.

2. Cor. 12. 8.

2. Cor. 2. 7.

Si quæratur, nunquid possit quis nimis tristari de peccato? Respondeo, si per tristitiã intelligimus interiorem displicentiam de peccato, non potest aliquis de peccato suo superfluè tristari, quia non possumus nimis dolere de peccato. Sed si intelligamus passionem, seu transmutationem quandam, quæ apparet in corpore, ita vt moueat ad fletum & luctus, eiusmodi tristitia debet esse temperata: Aliàs erit vitiosa & illicita, nocet enim sæpiùs animæ & corpori. De hac Eccl,

Eccl. 38.21. 38. *Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam à te.* Hæc tristitia est sæculi huius de qua
2. *Cor.* 7. 9. Apost. 2. Cor. 7. ait mortem operari.

Verum si sit moderata, & de malo vero & debito: Tunc erit bona: Eaque dicitur secun-
2 *Cor* 7. 10. dum Deum, estque causa salutis. 2. Cor. 7. 10. *Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilē operatur.* Quibus verbis tria facit Apostolus.

Primò, ponit motiuum, delectabile & gratiosum. Secundò ponit effectum virtuosum. Tertiò ponit finem fructuosum.

Tristitia bona. Tristitia secundum Deum est multiplex. Prima est contritionis, quæ est de proprio peccato, prout est contra Deum ideoque est de malo culpæ. Quæ si sit eiusmodi, vt tristetur quis de Dei manifestata offensa, multum
Baruch. 2. 18. placet Deo. Baruch. 2. *Anima quæ tristis est, super magnitudine mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens, dat tibi gloriam & iustitiam Domino.* Alia est tristitia passionis, scilicet, mali pœnæ propriæ, quam homo patitur: Si iniuste & patiētiam habeat propter Deum, talis tristitia
1. *Pet.* 2. 19. est ad meritum, & gratissima Deo. Vnde 1. Petr. 2. *Hæc est gratia, si propter Deum sustinet quis tristitias patiens iniustè.* Sic Christus tristis fuit dicens. Matth. 26. tristis est anima mea vsque ad mortem.

Alia est tristitia cōpassionis, scilicet de malo proximi, culpæ vel pœnæ: manatque ex
Iob. 30. 25. charitate proximi, Iob. 30. *Flebam quondam*

super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. : Et D. Paulus loquens de perditione Iudæorum Rom. 9. *Tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo: Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Alia est tristitiæ correctione, qui corrigens alium, non ridendo debet eum redarguere, sed tristi facie, & vultu compassionis ob fratris delictum, Eccl. 7. *Per tristitiam vultus corripitur animus delinquentis.* Nimis ergo huiusmodi tristitia quæ est secundum Deum, valet ad animæ salutem. 2. Cor. 7. *Contristati estis secundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis.* Rom. 9. 2. Ecclesiast. 7. 4. 2. Cor. 7. 9.

Secundo in auctoritate citata ponitur effectus virtuti consentaneus, cum dicitur, quia pœnitentiam operatur, id est, remissionem peccati & consecutionem regni cœlestis. Act. 3. *Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Nullus est qui libenter non duceret vxorem, etiam claudam & mouecculam, si ex eo putaret se possessurum aliquod magnum regnum, vt est Franciæ. Sed pœnitentia maius aliquod regnum consequimur Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Propterea magnum fit gaudium in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente. 2. Cor. 7. Act. 3. 19. Matth. 4. 17.

Tertiò, in auctoritate adducta, ponitur finis fructuosus, qui (inquit) *ad salutem stabilem.* 2. Cor. 7. 10.

Salus corporis non est stabilis, sed salus animæ, quam assequimur, per opera pœnitentiæ, per quam Christus Saluator ingreditur domum animæ nostræ. Hoc figuratum est in Zachæo. Qui erat princeps publicanorum
Luc.19.9. Luc. 19. De quo dicitur, ascendens in arborem sycomorum id est ficum fatuam, per quam crux significatur, quia verbum crucis stultitia est pereuntibus: Et tamen perascensum sycomori, qui etiam pœnitentiam designat, meruit Christum in domo sua recipere, & salutem consequi. Dicendo, *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Cui responsum à Christo, *hodie salus huic domui facta est*: Quæ fit stabilis per gratiam perseuerantiæ, quæ datur pœnitenti. Heb.13.9. *Optimum est gratia stabilire cor.* Eccl.26.23. *Pedes firmi super plantas stabilis mulieris*, id est, pœnitentiæ.
Hebr.13.

Patientia. *Ioan.16.20.* Secundò, in themate assumpto, tangitur virtus patientiæ, cum dicitur *Vertetur.* Nam sicut virtute pœnitentiæ malum culpæ vertitur in bonum gratiæ. Iob.17. *Noctem verterunt in diem*, hoc est, pœnitentes noctem culpæ, in diem gratiæ. Et 28. cap. *Lapis calore solutus, in æs vertitur*, id est cor durum pœnitentis in soliditatem gratiæ. Ita quoque malum pœnæ, conuertitur pœnitenti in bonum gloriæ. Figura huius habetur Genes.50. *In Ioseph qui ait fratribus suis. Vos cogitastis de me mala, sed Deus vertit illud in bonum.* Quibus verbis tanguntur tria.
Iob.17.12. *Iob.28.2.* *Genes.50.20.*

Primum

Primum est persequentis crudelitas. Secundum est permittentis Dei benignitas. Tertium est patientis vtilitas.

Quando contingit aliquem casu & non data opera, aliũ lædere: Illi ad crudelitatem aut malitiam non imputatur. Vnde Deutero. 19. *Iussit Deus*, vt essent ciuitates quædam refugij, ad quas tales, id est, qui casu, & non ex aliquo præcedenti odio proximum percussissent & occidissent, possent confugere. Sed illi qui scienter & ex odio hoc fecissent, non saluabantur cum fugiebant ad eas ciuitates, imo occidebantur, propter eorum crudelitatem & malitiam. De his Psal. 34. *Confundantur qui cogitãt mihi malum.* Nam Maius malum est, quando quis cogitat nocere sub specie pacis, vt est proditor Neemiæ. 6. *Miserunt ad me dicentes veni, percutiamus fœdus pariter in vinculis, in campo vno: Ipsi autem cogitabant, vt facerent mihi malum.* Deuter. 19. Psal. 34 50. Nemia. 6.

Secundò, in auctoritate citata ponitur Dei benignitas, quæ permittit iustis inferni mala, vt vertantur eis in bona. Vnde sequitur. *Deus autem vertit illud.* Vbi nota differẽtiam inter Deum & diabolum. Diabolus conatur vertere bonum in malum: Nam post actam pœnitentiam, acriùs impugnat pœnitentem vt præcipitet eum in peccatũ, quàm antea. Hoc figuratum est. 4. Regum. 23. Vbi legitur, quod Pharao Nichao, qui significat diabolum, constituit Eliachim, sup. regem. Qui resurrectionem Domini significat & Gen. 50. 20. 4 Reg. 23. Helliachim.

pœnitentem in Ioachim, qui interpretatur præcipitatio.

Sed è contrario Deus conuertit malum in bonum: Vnde non adimplet Dominus malam voluntatem persequentis, sed remunerat constantiam patientis. Cuius figura habetur Deutero. 23. Vbi dicitur, *Noluit audire Dominus Deus tuus audire Balaam*: Vertitque maledictionem eius, in benedictionem, eo quod diligeret te. Aliquãdo etiam Deus mala, quæ homines impij moliũtur facere contra iustos, conuertit in eos. Figuram huius habemus. 2. Paral. 20. Vbi legitur, quod cũ Iosaphat Rex & viri Iuda cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, scilicet, Ammon & Moab, qui egressi fuerant, vt pugnarent contra Iudam, & percussi sunt, in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus.

Deuter. 23. 5

2. Paral. 20

Tertio in auctoritate inducta ponitur patientiæ vtilitas, cum dicitur, *in bonum*, sup. ipsius patientis. Ratio est, quia patientia ex charitate procedit. Charitas autem similis est caloris solis: quia sicut virtute caloris Solaris conuertitur humor aquæ, in vinum: Ita virtute charitatis conuertitur malum in bonum: *Quia diligentibus bonum omnia conuertuntur in bonum*. Rom. 8. Vbi dicit glosa Augustini. Vsque adeo prorsus omnia, vt etiam peccata conuertantur, dum ex eis humiliores & sapientiores fiũt. Vnde siue sint humiliati ex causa culpæ, siue ex passione pœnæ, dicant

illud, Psal. 118. *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Ioan. 16. 20.

Tertiò in themate assumpto ponitur fructus lætitiæ, cum dicitur, *in gaudium æternum*, quod Sancti habent in Deo. Quod quidem omnia alia excedit gaudia, triplici ratione. Primò quidem, quia est gaudium originale: Ab eo enim quòd est essentialiter tale, omnia alia sumunt originem. Sicut *Gaudium spirituale.* lux solis, est omnium aliorum luminum origo, & principium: Vnde cum diuinum gaudium, sit essentiale, quia est ipsemet Deus. Ab ipso omnia alia originem ducant necesse est. Hoc autem gaudium, beati ab ipso immediate percipiunt, ideoque cum à fonte hauriant illud, cum maxima abundãtia illo replentur. Qui vero hic degunt, & ex creaturis percipiunt voluptatem aliquã, nihil est, respectu illius infinitæ & cœlestis lætitiæ. Errant igitur toto cœlo, tota quę terra, qui propter creaturas summum illud gaudium amittunt: Quod quidem est indeficiens & continuum: vnde Abacuch. 3. *Ego autem in Domino gaudebo.* Et Ioan. 16. 22. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Secundò, gaudium cœleste excedit omnia gaudia, quia est finale gaudium: finis autem habet rationem optimi, quia est illud propterquod, omnia desiderantur, & quæruntur: Quo obtento nihil amplius expetitur: Sicut qui adeptus est sanitatem, nihili facit medicos. In summo illo igitur & infinito gaudio noster est constituendus fi-

nis vltimus. Non autem in delectationibus perceptis ex creaturis, quæ nihil sunt comparatione illius. In quo improborum error & amentia maximè notanda est, qui vt his fruantur, illa contemnunt. Si aliquis domi, accensa candela, Sole lucente fenestras clauderet, ne domum illustraret, pluris faceret lucem candelæ, quàm solis: cõtrà si quis esset in sole, candelam sperneret. Sic peccator in carcere tenebroso & obscuro peccati detentus, parùm luminis in hac vita ei refulget, quo tamen nullum aliud maius esse putat, ideoque in eo totus est, vt illud sibi seruet. Sed iusti, qui aliquid, iamiam perceperunt, de vero lumine Solis Christi saltem per fidem & spem: contemnunt lumen candelarum, id est, gaudia creaturarum, nec illarum priuatio eos affligit. Et potissimum beati, qui plenissimo illo gaudio perfruuntur. Ideoque illud D. Pauli. 1. Cor. 7. impletur dicẽtis. *Qui gaudent tanquam non gaudentes sint*, quia gaudia huius mundi nihil reputant, quia adepto fine excluditur omne contrarium, sicut adepta sanitate excluditur omnis infirmitas: Ideo adepto illo finali gaudio, excluditur omnis tristitia & luctus. Esa. 35. *Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.*

1. Cor. 7. 30. dicentes.

Esa. 35. 10.

Tertio quoque illud gaudium, excedit omnia gaudia, quia est incomparabile, alia enim omnia ei non comparantur. Ratio

est, quia mundi omnia gaudia sunt falsa, Verum enim gaudium non est nisi de bono: Ideo de malo non est verum, sed falsum. Eccl. 2. *Gaudio dixi, quid frustra deceperis?*

Item quia gaudia mūdi sunt mixta multis anxietatibus & curis. Prouer. 14. *Extrema gaudii, luctus occupat.* Illud vero est purissimum nihil habens admixtionis, tædii vel amaritudinis. Sap. 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.* *Ecclesiast. 2.* *Prouerb. 14. 13.* *Sap. 8. 16.*

Item gaudia mundi non satiant appetitum, illud autem ita abundans est vt perfectissimè adimpleat omne desiderium, omnemque voluntatem. Ioan 15. *Gaudium meū in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.* *Ioan. 15. 11.*

Item gaudia huius vitæ temporalia sunt, istud autem est æternum. Esa. 35. *Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt*: Ad quod quidem gaudiū Deus Optimus Maximus Trinus & vnus nos perducat, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. AMEN. FINIS. *Esa. 35. 10.*

INDEX RERVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A

FINIS.

HEnry par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre à nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlement de Paris, Tholose, Rouen, Bordeaux, Dijon, Anjou, Poictou, Grenoble, & Rennes, au Preuost de Paris, Baillif de Rouen, Senechaussee de Lion, Tholose, Bordeaux & Poictou, & à tous nos autres iusticiers & officiers qu'il appartiendra, Salut MICHEL NIVELLE marchand Libraire demeurant en nostre ville de Paris, nous a faict remonstré qu'à grand frais & despens il a recouuert la coppie d'vn liure intitulé CONCIONES FVNEBRES F. *Ioannis de Sancto Geminiano ordinis Pradicatorum illustrissimi Theologi, &c Studio & diligentia Magistri* IOACHIMI FORGEMOVLTII Doctoris Theologi Parif. &c. Lequel il desireroit volontiers imprimer & mettre en lumiere, mais d'autant qu'il luy couste ja de grands frais & coustera encores, pour l'aduancement de l'impression d'iceluy liure, il doute & craint qu'apres l'auoir exposé & mis en vente, autres Imprimeurs & Libraires de Lyon ou de Paris, Rouen, ou autres villes de cestuy nostre Royaume, le voulussent semblablemēt imprimer, ou suscitassent les Imprimeurs estrangers à ce faire, & par ce moyen frustrer ledict exposant de ses frais & mises, & rendre ses peines, diligence & trauail inutilles, & luy faire receuoir perte & dommage: Pour à quoy remedier, & afin que ledict Niuelle, qui a trauaillé pour le bien public, ayāt fourny à ce qui estoit necessaire pour aduancer ledit œuure, se ressente du fruict de ses labeurs; Nous a tres humblement requis luy permettre faire imprimer ledit liure intitulé *Conciones funebres*, &c. & interdire à tous Libraires & Imprimeurs l'imprimer ou faire imprimer, tant dehors, que dan cestuy nostre Royaume, ny susciter semblablement aucun estrangers à ce faire. Nous à ces causes, desirant la promotion & aduancement de la chose publique en nostre Royaume, & ne voulant permettre que ledict Suppliant soit frustré de ses frais, peines & trauaux, vous mandons & enioignons par ces presentes, que vous ayez à permettre, comme nous permettons audict Niuelle qu'il puisse imprimer ou faire imprimer, vendre & distribuer tant de fois, en telle forme & caracteres que bon luy semblera, faisant tres expresses inhibi-

tions & deffences à tous Imprimeurs, Libraires, tant de Paris que de Lyon, Rouen, & estrangers de quelque nation qu'ils soient, traffiquant en nostredict Royaume, qu'à toutes autres personnes de quelque estat & condition qu'ils soyent d'imprimer ny faire imprimer aucune partie d'iceluy separement, vendre ny debiter, contrefaire ny alterer, soit par extraict ou abregé l'ordre & methode d'iceluy liure, ny mesme susciter les estrangers à ce faire, sans le congé dudict Niuelle durant le temps & terme de six ans apres que ledict œuure sera paracheué d'imprimer pour la premiere fois, sur peine de trois cens liures d'amende, de laquelle moityé nous appartiendra, & l'autre moityé audict Suppliant, & sur peine aussi de confiscation des exemplaires qui seront faicts ou imprimez par autres, & sans le consentemẽt dudit Niuelle. De ce faire vous donnons pouuoir, authorité, commission & mandement special, & de proceder à l'encontre de ceux qui contreuiendront par toutes voyes deües & accoustumees, & par les peines susdites, nonobstant oppositions ou appellations quelconques, pour lesquelles & sans preiudice d'icelles ne voulons estre differé. Et pour ce que de ces presentes ledit exposant pourra auoir affaire en plusieurs endroits nous voulons qu'au vidimus d'icelles, fait sous seel Royal, ou par l'vn de nos amez & feaux Conseillers, Notaires & Secretaires, foy soit adioustee comme au present original, & voulons & mandons que mettant par bref le contenu du present priuilege au commencement ou à la fin de chacun desdits liures, que cela ayt forme de signification tout ainsi que si l'original estoit particulierement signifié à chacun, & que cela soit de tel effet & vertu, comme si lesdites lettres leurs auoyent expressement & particulierement esté monstrees & signifiees: car tel est nostre plaisir. Donné à Paris le 13 iour de May l'an de grace mil six cens neuf, & de nostre regne le vingtiesme.

Par le Roy en son Conseil

Signé BRIGARD.

Et seellees du grand sceau de scire jaune.

Acheué d'imprimer le 2. iour de Nouembre, 1610.